


(2)

FERDINANDI
QVIRINI
DE SALAZAR,
E SOCIETATE IESV,
Cantici Canticorum
SALOMONIS

I N T E R P R E T A T I O

Prophetica, Mystica, & Hypermystica.

TOMVS POSTERIOR.



LVGDVNI,
Sumptibus PETRI PROST.

M. DC. XLII.

CVM PRIVILEGIO.

FRANCIS
O V R I N I
DE SALAZAR
E SOCIETATE
CANTICANTICORUM
SALOMONIS
SANTER
Baptista
TOMAS FOSTER



LVGDANI
SIMPSON PETRI PROST

DE LIA
CVM PRIVILEGIO



I N T E R P R E T A T I O
P R O P H E T I C A
 de Ecclesia,
M Y S T I C A
 de Anima,
E T H Y P E R M Y S T I C A
 de B. Virgine,

CANTICI CANTICORVM SALOMONIS.



*H*AS interpretationes, earumque naturam, & proprias singularum qualitates, in Isagoge huius commentarij non persumptorie descripsi à cap. 5. & deinceps, ac proinde quæ ibi dixi, superuacaneum esset iteratò hîc præfari. Id tantum præmittere necessum est, primam interpretationem, quam Prophetica appellamus, esse germanam & litteralem huius carminis sententiam, ab Spiritu Dei sancto primò ac per se intentam, in qua sponsa Christo nupta est, Ecclesia Catholica & Uniuersalis, cuius primordia, progressus & incrementa ad finem usque sæculi describuntur in hoc libro. Secundam verò interpretationem, quæ mystica appellatur, & in qua sponsa Christo copulata est anima iusti, esse accommodatitiam. Tertiam verò, quæ hypermystica dicitur, & in qua sponsa Christo tradita est Virgo sanctissima, non prorsus accommodatitiam esse, sed litteralem, aut ita proximam litteræ, ut supra omnem accommodatitiam euecta hypermystica dici debeat, ut in eo loco citato multis rationibus euici.

C A P V T P R I M V M.

Vers. 1. Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

E X P O S I T I O P R O P H E T I C A
 de Ecclesia.

*H*X his, quæ diximus suprâ cap. 4. §. 6. in Isagoge huius commentarij, constat, præcipuam, & maximè litteralem huius libri sententiam esse prophetica de Ecclesia, ut de illius progressu & decursu, atque adeò hæc ante alias mihi exquirenda est. In hac verò perscrutanda ita me geram, ut eam interpretationem,
Salazar in Cantica. Bars II. A 2 quam

quam secundum eam totius libri structuram & compagem, & peculiarem ipsius allegoriarum sensum, quem sequutus fuero, cæteris anteponendam iudicaui, primo loco præscribam, ut prophetiarum ordo texatur. Deinde verò alias & alias Patrum expositiones accommodatitias appendicis nomine præscribam.

In primis ergo sponsa, quæ hic loquitur ante nuptias, est Synagoga fidelis diuinarum promissionum, fide saltem imbuta, in qua fide sponsaliorum forma consistit, ut diximus supra in *Isagoge cap. 5. §. 1.* Ita expressè docent Origen. *hom. 1.* Gregor. Magn. *in hunc locum*, D. Hieronymus *in Epist. 146. ad Damasum*, Ioan. Chrysost. *in homil. de Turture*, Anselmus, Cassiodorus, Beda, Philo, Aponius, & communior fert aliorum interpretum sententia. Per Synagogam autem intelligo Ecclesiam ipsam, prout præcessit aduentum & Incarnationem Christi, quam vnâ & eandem esse cum ea, quæ Christi aduentum insequuta est, inibi comprobauimus. Ex præscriptis autem Patribus, ut alios dimittam, sponsaliorum expressè meminit Chrysostomus, *Desponsata*, inquit, *sum cælesti sponso per legem ac Prophetas.* Origenes verò sic scribit. *Omnia habeo, repleta sum muneribus quæ sponsaliorum nomine ante nuptias sumpsi; dum enim præpararer ad coniugium filij Regis, & primogeniti omnis creaturæ, obsequuti sunt, & ministrauerunt mihi Angeli, afferentes legem sponsalitiij muneris loco.* Itaque Ecclesia quæ ante Incarnationem Verbi nomen Synagogæ fidelis tulit, per illud tempus in sponsalibus mansit, quatenus præfatam Incarnationem habebat in promissis, atque hæc promissa, sua acceptatione rata fecerat, semetipsam per fidem ei, quem iam tunc expectabat, Christo spondens, ut supra *in eo cap. 5.* vberius tradidimus.

Et sanè ita decuit, ut ante nuptias Christi & Ecclesiæ eiusmodi sponsalia præirent. cuius decentiæ plures rationes efferri possunt ex his, quæ inter homines eueniunt sponsalibus petitiæ; nam de his sic cecinit Ouidius:

*Nubere si qua voles, quamuis properabitur ambo,
Differ, habent parua commoda magna mora.*

Sed commoda ista, atque rationes perscrutari libet: illa in primis celebris apud Iurisperitos, suadens sponsalitia pacta ante nuptias præmitti oportere: ut nimirum parentum consensus non solum habeatur, sed etiam cunctis innotescat, sine quo vix aliquando non est turpe filiis matrimonia copulare. hanc rationem petunt Iurisperiti ex *l. in sponsalibus*, lib. 7. & ex *l. in potestate*, lib. 20. tit. 1. & *l. si ut proponis*, C. de nuptijs, &c. Haud dispari ratione de Christo & Ecclesia dicendum est: ideò scilicet sponsalia ante nuptias præcedere oportuisse, ut Patris æterni filium suum Ecclesiæ tradentis voluntas nota & comperta esset. Id autem ut capias, supponendum est id, quod diximus supra in *Isagoge cap. 5.* assensum illum, qui ex parte Christi accessit ad nuptias suas, cum Ecclesia copulandas & perficiendas, non fuisse voluntatis diuinæ, sed humanæ, atque adeò non prius iste assensus à Christo præstari potuit, quam humanitas existentiam habuit, scilicet ab Incarnationis priori momento: ex tunc enim Christus Ecclesiæ tanquam sponsæ suæ sese addixit atque deuouit. Quapropter cum in his Christi & Ecclesiæ sponsalibus Christi Domini humana voluntas, quæ ante Incarnationem nulla fuit, intercedere non potuerit, necessum fuit omnino, ut quandoquidem tunc filij humana voluntas adesse non poterat, præfata sponsalia à voluntate Patris diuina perficerentur. Itaque sicut in externis & humanis sponsionibus sæpe accidit, ut pro filio impubere, & ad spondendum libertatis vsuram necdum habente, pater ipse spondeat, ac promittat: quæ promissio eatenus vim sortitur, quatenus iure optimo speratur futurum, ut postea filius id prorsus velit, & amplectatur, quod prius parenti suo placuit. Ita etiam de sponsalibus Christi & Ecclesiæ iudicandum est, per id tempus, quod ante Incarnationem fluxit, nimirum tunc, cum eiusdem Christi voluntas humana ad spondendum necdum erat, æternum pro ipso Patrem nuptias Ecclesiæ spondidisse, ac promississe. Hæc autem Patris voluntas diuina, quatenus humanam Christi voluntatem cum ea conformem esse necessum erat, ad sponsalitiuum pactum olim perficiendum satis fuit. Atque adeò locum habet prima illa ratio, ideò scilicet sponsalia præmissa, ut Patris voluntas locum haberet, & de ipsa etiam certissime constaret.

Secundam rationem, propter quam sponsalitiuum pactum ante nuptias præcedere oportet in humanis, & externis coniugijs, attigit Sigismundus *in lib. de rebus Moscoviticis*, ut nimirum inter sponsaliorum moras noua nupta discat ab alijs ingenium, ac mores coniugis, cuius ad nutum in perpetuum sese accommodare, ac temperare debet,

ne si ignara prorsus ad nuptias veniat, dum placere nescit, iam tunc displicere incipiat. Eandem rationem in Christi atque Ecclesiae matrimonio contemplari fas est: nam id eò vel maximè sponsaliorum inducias præmitti opus fuit, vt Ecclesia antiqua olim à Prophetis & Patriarchis de Christo venturo, de illius dignitate, ac moribus edoceret, vt ipsum deinde venientem agnosceret, coleret, atque amaret, eidemque iam inde ab initio placere, ac minimè displicere inciperet.

Tertiam rationem, ob quam sponsalia præcedere congruit, donat nobis D. Augustinus *lib. 4. Confess.* & habetur *can. institutum. 27. quest. 2.* his verbis. *Institutum est, vt iam pacta sponsa non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam.* Et eodem modo de sponsa erga maritum cogitare licet: ideò nimirum nuptias sponsalibus interpositis diduci oportere, vt huic maritus diu desideratus, & suspiratus non vilescat, sed gratior, iucundiorque contingat, & si quid in ipso morosum, ac difficile postea euenerit, lubentiùs tolleret. Non dispar causa fuit dilationis nuptiarum Christi & Ecclesiae sponsaliorum interstitio diuturno tempore factæ: vt nimirum Ecclesiae vota, & desideria, quæ de Incarnatione, & nuptiis Christi conceperat, dilatione ipsa crescerent: atque adeò Christus denique adueniens nequaquam ipsi vilis fieret, quamlibet summam vilitatem præferret, sed gratior, & iucundior eueniret, cunctasque Euangelij ab ipso denunciati, & proclamati difficultates, tanquam seueriores quasdam leges connubiales ab sponso sibi impositas libentiùs suslineret.

Quid plura? Sponsaliorum moræ in humanis coniugiis eò spectant, vt maritus, aut illius parentes interim domum componant, & supellectilem adornent, ne fortè sponsa si initio celebrati matrimonij plurimarum rerum inopiam experiri cogatur, virum odisse, & incusare incipiat. D. Hieronymus *in Epist. ad Demetriadem*, sacras Scripturas *præcipuam Ecclesiam supellectilem* appellat. Et meritò quidem: nam, vt docet Labeo, *nomine supellectilis, venit quidquid vel ad decorem domus, vel ad usum spectat.* scilicet ornamenta, & utensilia. Vtrumque autem præstat Scriptura sacra, in qua satis multa sunt ad ornatum, & decorem Ecclesiae, scilicet miracula, & portenta: plura ad usum, & mores, scilicet documenta, & exempla. Hæc igitur quarta ratio, ob quam congruum fuit, vt ante Incarnationem Christi longum tempus in sponsalibus ageret Ecclesia, vt nimirum illud sponsi pater Deus in conferenda ad ornatum, & usum sacrarum Scripturarum amplissima supellectili poni, atque impendi posset, vt nimirum sponsa vel ideò impensius adamaret sponsum suum, quia nihil ex his, quæ ad speciem, & ad usum in domo illius ab exordio nuptiarum desiderare poterat.

Ad hæc, quinta ratio, propter quam sponsaliorum induciæ ante nuptiarum celebritatem præmitti solent, petitur ex *cap. cum inhibitio*, de clandestinis desponsationibus, vbi præscribit Pontifex, vt antequam matrimonium contrahatur, quandiu in pactis est, præmittatur cognitio, & probatio impedimentorum à Parochis per publicas monitiones facta. Certè in his spiritualibus nuptiis Christi & Ecclesiae, de quibus nobis sermo est, nulla alia impedimenta excogitare licet, nisi graua hominum peccata, & demerita: hæc enim sola diuinæ voluntati iustam causam afferre videbantur, ne filium incarnari, & Ecclesiae copulari vellet. Sed tamen contrà factum: nam ea, quæ impedimento fore videbantur, ipsamet præfatis nuptiis occasionem dederunt, quatenus propter illa delenda Verbum Dei carnem suscepit, & Ecclesiae suæ coniugali vinculo sese obstrinxit. Quapropter in his Christi & Ecclesiae nuptiis aliquid contigit satis nouum, & ab his, quæ in humanis coniugiis eueniunt, longè diuersum. In his enim comprobatio impedimentorum præcedit, ne contrahantur: in illis verò eadem impedimentorum comprobatio, & ostensio præmissa est, vt opportunè, & tempestiuè copularètur. Et hæc est altera ratio, propter quam Patres Verbi Incarnationem tandem dilatam, & moratam passim affirmant, vt nimirum impleretur peccatorum mensura. Huc spectant illa Pauli verba ad Galat 3. *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio per fidem daretur credentibus.* Vbi loco promissionis subest *επαγγελία*, quæ vox sponsonem, & promissionem significat, atque adeò Apostoli verba sic exponi possunt. Scriptura ipsa locupletissima autoritate sua comprobauit omnia esse peccatis obstricta, & grauata, vt nimirum Dei sponsio copulatis denique nuptiis effectum sortiretur; quia scilicet peccata, quæ impedimentorum rationem habitura esse videbantur, eadem Incarnationi occasionem exhibuerunt. hoc enim ad declarandam summam sponsi erga sponsam dilectionem faciebat plurimum quatenus superatis omni-

bus impedimentis eam sibi adiunxit, iuxta illud Pauli, *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, &c.*

Cæterum, quia longiores erant sponsaliorum moræ, ne hic temporum fluentium lapsus perpetuus animum huius spiritualis sponsæ nimium augeret, de industria factum est, ut sicut sponsi absentes imaginibus ac simulachris inuicem summissis, nuptiarum longas inducias fallere solent: ita etiam Ecclesiæ absentis sponsi sui Christi iterum aduentum pluribus simulachris, figuris, & imaginibus, quæ cunctam illius formam & speciem ipsi repræsentabant, fallere licuit. Eiusmodi fuerunt veteris Testamenti exempla, & legalia quamplura, quæ illustres, ac perfectas Christi venturi formas, ac repræsentationes continebant: atque adeò postquam idem Christus & Dominus noster carnem induit, atque è cælo ad nos descendit, tanquam superuacaneæ, & mutiles prorsus cessarunt: quia nimirum locum habuit sententia Lactantij, qui in *lib. 2. de origine erroris cap. 2.* sic scripsit. *Quæro enim, si quis imaginem hominis peregrè constituti contempletur, ut ex ea solatium capiat: num idem sanus esse videatur, si eo reuerso, atque presente, in contemplanda imagine perseuerat, eaque potius, quàm ipsius hominis conspectu frui velit? Minimè profectò. Etenim hominis imago necessaria tunc videtur, cum procul abest, superuacua futura cum præstò est.* Hactenus de sponsalibus.

Ex dictis in superiori expositione constat, Sulamitem non solum induci à Salomone in aditu huius libri in sponsalibus ante nuptias, sed, ut moris erat his puellis, quæ ad regias nuptias assumebantur, etiam in gynæceo inclusam fingi, hoc est, in domo illa, ubi præfata puellæ formam suam pigmentis, vnguentis, ac deliciaribus cibis ad regalia connubia colere, & expolire solebant. Ad hæc suprâ *cap. 5. §. 3.* fusè docuimus, arctiorem illam, & seueriorem conuersationem secundum legem Moyse, quæ Synagogam, seu antiquam illam Ecclesiam ante aduentum Christi undique concludebat, gynæcei rationem habuisse, ubi ad eum sensum vocauimus verba Apostoli ad Galat. 3. *Priusquam veniret fides sub lege, custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat, &c.* quæ respondent his, quæ de gynæceo legimus Esther 2. *Quærantur Regi puella virgines, & speciosæ, &c. & tradant eas in domum fæminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus, & custos mulierum reginarum, & accipiant mundum muliebrem, & cetera ad vsus necessaria.* Et sanè ita contemplari fas est legem ipsam Moyse, seu Moysem ipsum cum seueriori illo præposito, & custode fæminarum aptè componi, & vitam, seu conuersationem secundum eam legem gynæcei vires fortiri: vtrumque satis idoneum, & ad mentem Origenis in hunc locum, cuius verba pleniora dabimus infrâ. Est etiam quædam Hebræorum glossa ad hunc modum. *Esther tradita Egei eunuchis fæminarum præposito, & custodi, Synagogam repræsentat Moyse commissam, ut illam erudiret, atque formam illius curaret, ut post eam curam definito tempore in cubiculum Regis Mesia transferatur.*

De cultu illo, qui in gynæceo agentibus puellis adhibebatur, diximus plura suprâ in *Isagoge cap. 3. §. 4.* & nuper in expositione allegoriæ. Dabantur itaque illis partes, hoc est, cibi deliciares, & vnguenta pretiosa ad cutem curandam. Sed inter alia vnguenta, & aromata, specialiter Scriptura meminit myrrhini vnguenti, quo per totos sex menses uti solebant. Sic enim habes Esther 2. *Ita duntaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, & alijs sex, &c.* Est autem vnguenti, seu olei myrrhini præcipua vis ad læuigandam cutem, & delendam scabritiem, næuosque abolendos. Ita docet Plinius *lib. 24. cap. 16. & lib. 21. cap. 21.* Auctor verò historiæ plantarum affirmat, myrrham cum helenio & betonica permixtam faciei colendæ cum primis bonam esse; & quidem de helenio sic Plinius loco citato, *Helenium ab Helena, ut diximus, natum;* quia nimirum ex lachrymis Helenæ in terram fluentibus pullulasse finxerunt antiqui, ut idem Plinius scripsit in eodem libro cap. 10. *fruere creditur formæ, cutem mulierem in facie ac reliquo corpore nutrire incorruptam.* Præterea putant, vsu eius quandam gratiam, Veneremque conciliari. De betonica verò *lib. 26. cap. 11.* sic ferit: *Betonica colorem plumbicum corporis priuatim emendat, gratiorémque reducit;* & quia ad præfatum vsu betonica myrrhæ infundi & admisceri solebat; ideò myrrhim, aut myrrhidam compellatam vult idem Plinius *eo loci.* Sed quænam, inquires, & qualia erant alia vnguenta, vel succi pretiosi, qui faciei medicandæ, & formæ expoliendæ adhiberi solebant. Solius enim myrrhini vnguenti Scriptura meminit Esther 2. Hæc certè vnguenta colligere possumus ex Psalmo 44. ubi Vates cum myrrhâ guttam & casia copulat. *Myrrha, gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt*

lectauerunt te filia Regum in honore tuo. Nam hinc sermonem haberi de preparatione & cultu virginum in gynæceo, aliàs diximus, ac probabimus etiam vberius infra in interpretatione hypermystica huius carminis. Pro *gutta* autem hinc subest in primitiuis מדיחלמ quæ vox non significat stactem, vt quidam volunt; est enim stactes myrrha illa, scilicet quæ ex caudice ante ictus & vulnera sponte fluit, quam Hebræi myrrham electam & primam appellant; Græci verò ἀπὸ τῆς σαδέν, id est, *fluere*, aut stillare stactem vocitant; sed *aloëm* potius eo nomine dictam puto. Ita enim fert communior Hebræizantium sententia, & eam lectionem commendat nomen *ahalim*, & *aloës* similis cadentia. Nec reluctatur vulgata lectio, quæ *guttam* habet; hoc enim nomen omnibus illis vnguentis commune est, quæ lachrymæ appellantur, his scilicet, quæ guttatim è suis graminibus decidunt: *aloës* verò ex his est; de illa enim Plinius lib. 27. cap. 4. *Quidam & caulem ante maturitatem seminis incidunt succi gratia, aliquè & folia, inuenitur & per se lachryma adherens. Ergo pauimentandum ubi sata sit, censent, vt lachryma non absorbeatur.* Repudiant nonnulli hanc lectionem, quia *aloës* non valde commendabilis odor est: hinc autem de adoratissimis vnguentis sermo esse videtur. Debilis sanè ratio. Nam præterquam quòd odor illius à Plinio & ab aliis laudatur; in hoc certè loco, non tam de gratia odoris agitur, quàm de efficacia & vi speciem colendam, & formæ vitia emendanda: de qua vi Plinius supra sic eloquitur: *omnia oculorum vitia, pruriginis & scabritiem genarum, aut insignita & leuida illita, cum mille emendat, ac delet.* Appellat autem *insignita* quascumque cicatriculas, aut notas faciei, quas Medici sigillationes vocant, quæ nisi deleantur & extergantur, formam non parum deturpare solent. Tertio loco Propheta enumerat casiam, quæ iuxta communem sententiam, cinamomi quædam species est, odoris gratia celebris, de qua sic Martialis,

*Semper casiaque cinamomoque,
Et nido niger alitis superba
Flagras, &c.*

Nascitur intra paludes in Arabia. sic Plinius lib. 12. cap. 19. Dioscorides lib. 1. cap. 12. & 13. nec solum ad linitionem adhiberi solebat casia, sed etiam ad suffitum. Symmachus apud Athenæum lib. 9.

*Casiam vrunt aduectam ab Asiatica terra
Nares procul multus odor quatit, &c.*

Sed quæres, an hæc etiam species ad medicandam formam idonea sit? id tantum dixerim etymologis casiam deriuari *κατὰ τὸ κάσσιον*, id est, *ornare*, & decorare, ex eo certè, quia faciei illita decorem ac pulchritudinem eidem afflat. Est autem illius propria vis & facultas cutim mollitie sua læuigare, & ad candorem adducere. Hæc de vnguentis, quibus in gynæceo curabatur forma.

Vterius præter eiusmodi vnguenta & aromata, quibus utebantur virgines in gynæceo ad futuras nuptias sese adornantes, numeratur etiam aqua munditiem adducens, *Ezech. 16.* vbi gynæcei tota cultura describitur (vt aliàs monui) inter alia sic *Vates: Et laui te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo, &c.* Item Paulus ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vite, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi.* Quid illustrius? Sed qualis hæc aqua, & qualis illa, quæ per ipsam fiebat lotio? Est qui dixerit in his locis alludi ad veterem morem ducentium uxores, qui ad explorandam naturalem earundem pulchritudinem, ne fucis, aut pigmentis illam mentiri possent, easdem pura aqua faciem abluere iuebant, aut cogebant, antequam nuptias copularent. sed tamen huius moris nullum idoneum testimonium affertur. Alij rursus aiunt, Prophetam non loqui de aqua simplici & pura, sed de aqua composita & medicata, simili ei, quam hodie scæminæ ad curandam & extinguendam faciem adhibere solent; sed non audiendi. Ego quidem tam Ezechielem, quàm Paulum ad balnearum lauationem respexisse puto. Ita enim cenfeo puellas illas, quæ in gynæceis degebant, pulchritudinem colentes, vnguentis illis pretiosissimis ad cutem curandam post lauacrum balneis egredientes vti solitas. In primis enim balnearum crebram lauationem scæminis ad cultum formæ expedire, scribit Cælius lib. 28. c. 27. puellis quoque ante nuptias familiare fuisse lauari & vngi; loca verò, vel ædes, in quas virgines ad lauandum secedebant, *Nymphæa* appellari, inibi affirmat (quamuis

de hac voce alij alia sentiunt.) Ad hæc solennem vsum lauandi ante nuptias comprobatur historia *Æliani lib. 12. in principio*, & *Stobæi serm. 1.* qui tradunt Dardanos & Illyrios ter tantum in vita lauari solitos; semel in partu, iterum ante nuptias, & tertio in obitu cuiusque. *Nonus lib. 1. Dionysiacon: Sponsam*, inquit, *more solenni, ante nuptias lauant lauacris genitalibus.* & *lib. 2.* sic scribit: *Ferte aquam ad typhonem sponsa ornato-*

rem. & Valerius Flaccus,
Ignem Pollux, vndamque iugalem,
Prætulit.

Quapropter mihi compertum est, inter alia gynæcei oblectamenta numerari balneas, à quibus egressæ puellæ vnguentis liniebantur, eo auxilio cutem emollientes & expolientes. Quàm ve rò familiare esset fœminis è balneis ascendentibus inungi, nulli non compertum est. Apud Danielelem *cap. 12.* Susanna, cuius pulchritudo seniores populi iudices ad sui concupiscentiam conuertit (nisi fallor) curandæ formæ gratia apud balneum vnctionem adhibebat; sic enim ipsa ad ancillas: *Afferte mihi oleum & smigmata, & ostia pomerij claudite vt lauer.* & *Ruth. 3. Lauare igitur, & vngere, & indue te cultioribus vestimentis,* &c. nimirum vt nuptias Booz ambiret. & *Iudith 10. Lauit corpus suum, & vnxit se myrrho optimo.* Missa facio humana testimonia, sunt enim valde obuia. hanc coniecturam boni consulit noster Hieronymus de Prado *in cap. 16. Ezech.* vbi asserit *in cap. illo 2. libri 8. Esther*, vbi solius vngenti ac pigmentorum mentio occurrit, supplendam omnino lauacionem, quia hæc à puellis illis numquam non præmittebatur ante vnctionem. Et idem etiam iudicium ferendum est de illis verbis, *fragrantiora vnguentis optimis*, vt statim dicemus.

Inde ergo lux affertur primum Ezechieli. *Et laui te aqua, & vnxi te oleo,* &c. Deus enim cum Synagoga tanquam cum puella in gynæceo agente sic serit: Ego tibi balnea indulsi ad lauandum, & oleum, siue vnguentum optimum, donavi, quod, post lauacrum, ad curandam formam adhiberes, vt his auxiliis exculpta ad nuptias venires. Hic cortex; sub cortice autem latentem nucleum excussit Theodoretus, qui verba illa, *& laui te aqua*, de lustrationibus, & baptismatibus, quæ secundum legem fiebant, accipienda esse dicit: *De illis, inquam, Baptismatibus, & institis carnis vsque ad tempus correctionis impositis,* (vt loquitur Paulus) quibus expiabantur hi, quotquot immunditias legales contraxerant: illa autem, *& vnxi te oleo*, de vnguento accipit sacerdotali, quo iuxta legis præscriptum Pontifices inungebantur. Itaque sensus est. Ego tibi lustrationes, & Baptismata pro balneis, & sacerdotale vnguentum olei ac smigmatum loco dedi, quæ te ad futuras nuptias adornares, &c. D. Hieronymus præfata verba non de Synagoga ante Christi aduentum, sed de Ecclesia post Incarnationem interpretatur, ad hunc modum. *Lauit te aqua Baptismatis salutaris, & vnxi te oleo: oleo, inquam, letitiæ, id est, chrismate salutis.* Hæc enim duo in Baptismate adhiberi solent, scilicet linitio, & tinctio, quæ planè ad imitandum balnearum vsum de industria inuenta fuisse, docet Chrysostomus *in homil. de Baptismate.* vt nimirum sicut in balneis ad tergendas corporis labe solennis erat lauatio, & vnctio: sic etiam in Baptismate ad eluendas animi sordes vtraque conuenirent, id in animo penitus efficiencia, quod exterius adsignificant. Cæterum, quamuis hæc posterior interpretatio per accommodationem recipi queat, prior tamen est litteralis, & ad Prophetæ mentem, qui planè loquitur de Synagoga ante Christi Domini aduentum.

Paulus certe loquitur ad litteram de Baptismo: alludit autem eo modo ad prædictam gynæcei culturam, id est, ad vsum balnei, & vnctionis ante nuptias. Nam sicut in loco illo *Esther 2.* vbi expressa fit mentio vnguenti & pigmentorum, subintelligitur lauatio, vt nuper dicebamus: ita etiam de Pauli verbis censendum est, nimirum exprimi lauacrum, supplendam verò esse vnctionem, quæ ante & post lauacionem fieri solebat. Id verò facile persuadent mihi illa verba, quæ post lauacionem inducit: vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, &c. quia maculas detergendi, & næuos delendi, rugasque exterendi virtus non erat aquæ solius, sed vnguenti post tinctionem adhibiti, vt nuper dicebam.

Sed tamen, vt teneas, quàm apta sit Baptismatis & balnei comparatio, cum vnctio ad lauacionem accedebat, illud apud te constitue circa balnearum vsum, nimirum vnctionem, ac linitionem post lauacrum sumi, & antè etiam præmitti solitam. Nam cum ex lassitudine, aut ex alia infirmitate ad balneas descendendum erat, præ-

mittebatur

mittebatur linitio : quod ab Alexandro Seuero factitatum refert Lampridius. *Operam*, inquit, *palæstra dabat, atque inde vnctus lauabatur*. De Laconibus idem narrat Plutarchus in *Problematis*, & de Athletis hoc idem tradit Dempsterus apud Rosinum. Accedit etiam Medicorum aliqua conspiratio, qui id lassus, & imbecillibus valde salutare esse docent. Cùm verò balneum, vnctioque ad delicias, & ad curandam pulchritudinem adhibebatur, tunc certè linitio post lauationem fiebat, quia cutis ex tinctione mollior effecta vnguentis efficacius condiebatur. Sed quorsum hæc? Duplex certè vnctio, iuxta veteris Ecclesiæ ritus, in Baptismo fieri solet: alia quidem ante tinctiorem in pectore, ac scapulis, alia subinde post lauationem in vertice, ac fronte recentis Christiani. Legendus (si ita iuuat) Iosephus Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus *lib. 5. cap. 3.* vbi de vsu chrismatis ante & post Baptismum, & de vtraque linitione copiosè scribit. Tam intelligis quò tendam. Baptismus certè bifariam capi potest: aut tanquam lauatio hominis lassus, imbecillis, & valetudinarij; talis enim est peccator, qui ad eluendas animi sui labeas tingitur, ipsa scilicet peccatorum suorum grauitate lassus, & ægritudine imbecillis. Quia igitur sic affectus ad sacrum balneum accedit, eapropter ante tinctiorem chrismate illinitur, dorso, ac pectore vnctiorem excipiens. Quia verò homo eo auxilio per gratiam vberem, & affluentem, quam sacro fonte tinctus accipit, ceu sponsa ad nuptias cum Christo copulandas sese adornat, post lauacrum identidem vertice, ac fronte inungitur, atque adeò vtraque linitio ad duplex istud munus, quod Baptismus obit, significandum aptè admodum inseruit.

Ad hæc, lauatio, & vnctio emortuis cadaueribus antiquo ritu impendi solebat. Nemo id nescit. Ex prophanis subest illud Virgilij *lib. 6. Æneidos*,

Percalidos latices & athena vndantia flammis

Expediunt, corpusque lauant frigentis, & vngunt.

Lege eruditam notationem nostri Cerdæ in eum locum, vbi de hoc ritu vngendi & abluendi defunctos absolutissimè tractat. His verò quæ ipse inibi concessit, hoc adiice ex Scriptura sacra, quæ (nisi fallor) non aliam causam, nisi quia defunctorum corpora de more ablui solebant, mortem ipsam *Baptismum* appellare consuevit per Metonymiam, accepto scilicet consequente pro antecedenti. Huc spectant verba illa *Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, &c. & Marci 10. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & Baptismo quo ego baptizor, baptizari, &c.* de vnctiõne verò suppetit illud *Marci 14. Quod habuit hæc fecit, præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam. & cap. 16. Maria Magdalena, Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes vngerent Iesum.* Hinc etiam lucem accipit Paulus ad *Rom. 6. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; conssepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis, &c.* Plures similitudinem hanc sepulturæ & Baptismi in eo ponunt, quia sicut baptizatus in fonte mergi, & aquis obrui solebat, ita etiam cadauer defoditur, atque tellure altiùs obducitur. Sed non acquiesco. Puto enim comparisonem magis aptam duci ex lauatiõne & vnctiõne defuncti corporis, quæ antiquo ritu ad sepulturam præmitti solebat. Itaque Pauli sententia talis est. quando Christi Domini corpus iuxta morem patrium aqua ablutum & vnguentis pretiosis delibutum fuit, vt ritu Iudæorum sepeliretur, in ipso Christi corpore omnes baptizati, & chrismate inuncti sumus, & simul etiam cum ipso sepultri. Quasi dicat: Baptismus, seu lauatio, & ipsa chrismatis vnctio, qua baptizatus illinitur, officia sunt quæ eidem tanquam mortuo impenduntur, vt sciat quòd sicut Christi corpus emortuum, lotum & vnguentis conditum sepulturæ mandatum fuit: ita etiam Christianus, laurus quoque & munitus in Baptismo tanquam mortuum, sepultumque se æstimare debet, vt cum Christo pariter resurgat, &c. Quid igitur nuptiis commune cum morte & sepultura, vt propterea ad nuptias animæ cum Christo præparatio sit Baptismus, & idem mortis imaginem contineat. Audi Artemidorum *lib. 2. cap. 54. Eadem* (inquit) *eueniunt nubenti ac morienti, & deduci ab amicis viris & mulieribus, & lauacra, & aromata, & vnguenta, &c.* sed de hac similitudine vberius dicemus *cap. 8. vers. 6. & 7.*

Redeamus nunc ad illa verba: *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi.* quæ alludunt planè ad vsum vnguentorum, post lauatiõnem; quia scilicet hæc erat eorum propria vis, maculas detergere, rugas exterere, ac læuigare, vt de myrrhino, helenio & betonica, aloë, & casia nuper dicebam. Sed quid inde? Certè eiusmodi vngenta eam dispositionem, quam baptizandi, cùm

cùm adulti sunt , ad sacrum fontem afferre debent , ap tē significant. Myrrha enim acri sapore dolorem apprimè notat. Helenium etiam , quod ex fluentibus Helenæ lachrymis enatum fabulantur, & betonica , cuius etiam gustus valde austerus est , ad pœnitudinis sensum denotandum apposita videntur. Aloës, siue gutta , quæ, vt docet Hieronymus in *Psal. 44.* accipitur contra venena, & à viru defendit, seu præseruat, propositum atque decretum animi non peccandi vltèriùs aptè significat. Casia denique fidem denotat , de qua Rufinus *ad præfatum locum*, sic fatur : *Casia herba quæ crescit in aquoso loco , & in altitudinem magnam se extollit , & reddit magnum odorem , fides est quæ oritur in aquis Baptismi, & crescit in iustis, multum & bonam famam dat alijs.* Hęc autem, scilicet fides, detestatio peccatorum anteactæ vitæ, & propositum abstinendi vltèriùs ab eisdem peccatis, dispositiones sunt requisitæ , quæ accedente salutari lauacro, animam expurgant, omnesque illius maculas , ac rugas delent , puram scilicet elutis sordibus, nouamque ac recentem extritis rugis afficiunt. Ad rem nostram.

Profectò ex dictis constat, culturam illam , quæ in gynæceo puellis ad nuptias regias sese adornantibus exhiberi solebat , iuxta sensum propheticum , apud Ezechielem significare præcipuas ceremonias , & ritus antiquæ legis , quibus Synagogam ad excipiendam Euangelij doctrinam , & ad Christi aduentum ex longo tempore præparauit, atque adornauit Deus optimus maximus. Ita nimirum , vt per balnea lustrationes & expiationes ; per vnguenta & aromata, sacerdotale vnguentum, thymiama, aliaque suffimenta, quæ in templo adolebantur; per delicatos cibos, sacrificia victimæ, & libationes accipiantur.

Accinit etiam Dauid Propheta , iuxta expositionem Cyrilli, qui illa verba *Psal. 44.* *Myrrha, & gutta, & casia,* &c. ad Synagogam referenda esse affirmat , ac per tres dictas aromatum species omnes eas notari, ex quibus componebatur & confiabatur sacerdotale vnguentum. Reluctatur Chrysostomus, & aliam longè diuersam compositionem aromaticam , adduci à Propheta asseuerat : tamen negari nequit, duas illas species , scilicet myrrham & casiam cum aliis in sacerdotali vnguento conuenire. Ad do etiam per *guttam*, quæ, vt nuper dicebam, quamcumque lachrymam ex aromaticis graminibus decidentem in Scriptura adsignificat, duas alias species notari posse : hæc sunt cinamomum, & calamus, vtraque enim species, lachryma est , seu gummi, vt *ad cap. 30. Exodi* communiter obseruant interpretes : vtraque etiam ad medicandam faciem idonea; nam de calami oleo sic Plinius lib. 32. cap. 10. *Tollit mulierum lentigines in facie.* De cinamomo eadem ferme ferit lib. 1. cap. 13. *Lentigines & vitia cutis in facie ex melle illitum detergit.* Quamobrem non vacat certè mysterio , easdem illas species aromatum , quæ curandæ formæ vim habent, ad sacerdotale vnguentum componendum accessisse, vt vel ex eo liceat coniectari, illud Synagogæ ac veteri Ecclesiæ, tanquam puellæ cuiusdam in gynæceo agenti donatum, vt ad futuras cum Christo nuptias sese adornaret. Quapropter Ecclesia tandiu in gynæceo ante nuptias fuisse dicenda est, quandiu sub lege mansit, & veteres illos ritus tenuit, vt suprâ in *Isagoge cap. 5.* latius probauimus. Ad do etiam Baptismum ad eandem præparationem referri debere, quatenus hîc est proxima & immediata causa infusionis iustitiæ & gratiæ , quæ est animi pulchritudo ; ita tamen, vt non excludamus aliam priorem & remotiorem præparationem per legalium obseruationem factam. Luculentiùs dicam. Sicut in gynæceo (vt ex libro Esther constat) duplex erat ornatus , aut præparatio ; alia quidem remotior ad emolliendam , extergendam, & abluendam cutem adhibita : alia proxima & immediata ad nuptias, de qua sic habet textus sacer : *Ingredientesque ad Regem*, (id est, iam iam ingressuræ,) *quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, & vt eis placuerat composita ad Regis cubiculum transibant.* Addit Iosephus puellas istas, *curiosius lautas, & suauius delibutas, cunctumque mundum muliebrem circumferentes, ad Regem ingredi solitas,* &c. Ita etiam circa Ecclesiam sponsam suam, à Christo factam puto ; hanc enim per lustrationes , aliasque antiquæ legis ceremonias ex longo tempore præparauit, ac demum , eandem proximè per Baptismum & sacram linitionem, veluti *curiosius lautam, & suauius delibutam*, ad nuptias transtulit. Hęc de gynæceo, & de illius significatione, quæ Paulum cum Ezechiele conciliant.

Ad germanam igitur istius loci expositionem propiùs accedens, illud præterea dico, sponsam describi in gynæceo , non modò expectantem nuptias & translationem in Regis cubiculum , sed illas etiam ardentissimè exoptantem. hoc enim sibi vult subita illa proruptio in verba amatoria : *Osculetur me osculo oris sui.* Ita expressè docent

cent Patres *in hunc locum*, Gregorius, Bernardus, Theodoretus, Nyssenus, Origenes, & alij passim. Subiicio verba Origenis: *Introducitur, inquit, nunc per historiae speciem, sponsa qua suscepit quaedam sponsaliorum ac dotis titulo dignissima munera ab sponso nobilissimo: sed plurimo tempore moram faciente sponso sollicitari eam desiderio amoris sui, & confici iacentem domi suae, & agentem omnia quatenus possit aliquando videre sponsum suum, atque osculis eius perfrui. Quae quoniam nec differre amorem suum, nec adipisci se posse, quod desiderat, videt, conuertit se ad orationem, & supplicat Deo, sciens eum esse patrem sponsi. Consideremus ergo eam ornatam dignissimis ornamentis, quibus ornari decet nubilem sponsam aestuantem desiderio sponsi, orationem fundere ad Deum, ac dicere de sponso suo: Osculetur me, &c.* Haecenus Origenes, desideria & vota, quibus animus sponsae conficiebatur ante nuptias, graphice expingens, quae desideria antiquorum Patrum ante aduentum Christi, & ardentissima vota Incarnationis Christi iuxta prophetiae sensum perspicue adumbrant, quae licet ipsam Incarnationem secundum substantiam, nullo modo nec ex condignitate, nec ex aliqua congruentia impetrauerint: tamen iuxta veriore sententiam eiusdem magis celebrem, citatumque effectum exorarunt. Habemus de hac re praecelaram sententiam Isaiae 76. *Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis: antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum.* In primis illa verba: *Vox populi de ciuitate*, quae D. Hieronymus de clamore exercitus Hierosolymam valantis interpretatus est, Cyrillus, & ex illo alij, de clamoribus & orationibus intelligunt, quas antiqui Patres in templo & extra templum ad Deum fundebant, aduentum Messiae tanquam praesentissimum omnium calamitatum, quas eatenus subierant, remedium deposcentes. Sed quid inde? *Antequam parturiret peperit, &c.* *Lyra in hunc locum*, duas natiuitates à Propheta describi affirmat: alteram ipsius Christi, cum ait: *Antequam veniret partus eius, peperit masculum*; alteram verò totius populi Christiani subiectis verbis: *Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna: aut parietur gens simul?* &c. Accinit etiam Interlinearis, nec dissentit Theodoretus, sed praeter ceteris hanc interpretationem commendat Thargum, quod sic habet: *Adhuc non erat ei veniens angustia, & adhuc non veniet ei tremor ex doloribus, propter partum, & reuelabitur Rex Messias.* Sed cuius matris partus fore dicitur Christus? D. Ildephonsus, & Damascenus, cuius verba infra dabimus, per Matrem hanc Mariam intelligunt; Theodoretus verò de hac Matre sic scribit: *Peperit ergo Sion, id est, reliquia Israel, masculum, id est, Christum, &c.* Sion igitur, vel (quod idem est) Synagoga antiqua, quae mater Christi saepius à sanctis Patribus nominatur, ac censetur, Christum Dominum ab eo tempore concepit, in quo de illius aduentu edocta fuit, atque illius promissionem accepit, tam diu gestauit, quandiu illum venturum sperauit: & tunc demum ipsum enixa est, cum tandem aliquando in hanc lucem editus fuit. *Hac igitur mater, antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum, id est, Messiam.* Sed quid partum illius citauit? Certè mulieris partum ardentior, ac vehementior aliqua concupiscentia citare, ac celerem efficere solet: id igitur volo, praefatum Synagogae partum, quo Christus maturius in lucem editus est, per ardentissima, ac vehementissima antiquorum Patrum desideria, & vota incitatum, & acceleratum fuisse: haec enim celeritas est maximè proprius eorum desideriorum, & votorum effectus, vt certior Theologorum sententia fert. Sed nescio quid discriminis est in hoc Christi partu, & in alijs; alios enim celeres reddit desiderium, & cupiditas alterius rei, in quam parentis appetitio ardentius fertur: at verò Christi partum, ipsiusmet Christi desiderium, cupiditasque citauit.

Certè inter artis medicae peritos pro comperto est, eas concupiscentias, aut desideria, quae partus accelerant, ita esse parientis matris, vt ipsum praecipue foetum in utero clausum tangant: argumento est, quia si quando cuiuspiam infantis partum appetitio alicuius escæ corripuit, non prius infans vbera matris appetere, ac sumere incipit, quam os ipsius de escæ concupitæ succo irroretur, eamque lambat, aut gustet. Hinc natum apud Medicos celebre illud proloquium, concupiscentias praegnantium non tam esse matrum desideria, quam infantium. Atque eam celeritatem partuum inde quasi natura duce accidere affirmant, quia infantis in utero clausi naturalis appetitio aliquid vehementius affectat. Quapropter si illud quamprimum mater non sumat, praedictae appetitioni acquiescens, & ex ipsa ad infantem rei concupitæ gustus non influat, eo desiderio incitatus foetus, vt re desiderata quomodolibet potiri liceat, ex

utero matris egredi nititur. An hæc sit vera, an falsa aliquorum Medicorum coniectura, non valde curo. Illud pro certo habeo, impensum istud Incarnationis desiderium, quo Synagoga ante aduentum Christi arsit, ipsiusmet Christi potius, quam Synagoga desiderium dici posse, quatenus eiusdem Christi merita in præuisione Dei iam tunc operabantur, & ea desideria causabant, & efficiebant: ita ut affirmare liceat, Christum Dominum iam tunc se ipsum in antiquis Patribus vehementissimè concupiuisse, atque adeò sibi ipsi accelerati partus causam præcipuam exitisse, iam inde ab initio conditi orbis sui ipsius parturitionem stimulans. Vnde non immeritò Patriarcha Iacob in benedictione Ioseph ipsummet Christum sic compellat: *Donec veniret desiderium collium aeternorum*. vbi illud adnota, Saluatorem in eo loco desiderium nuncupari, non solum, quia obiectum fuit communis desiderij, ac voti antiquorum Patrum, sed etiam, quia reuera sui ipsius desiderium, & appetitus erat: quippe qui prius in desideriis eorundem Patrum (quos nomine *collium* hic censerit plures sentiunt) exitit, quam in se ipso existere inciperet. Succedant memoriæ illa verba Salomonis *Proverb. 8.* vbi nomine sapientiæ sic fatur: *Necdum montes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar.* quæ verba literaliter expositione donans olim notauimus verbum originale, quod respondet illi voci *parturiebar*, ad tumorem vteri referri: atque adeò appositè additum in eo loco, quia montes, & colles terræ ipsius quasi parturire volentis quidam tumores sunt. Quò respexit ille quisquis cecinit: *Parturiunt montes*, &c. Atque adeò sensus est: Antequam terra montibus, ac collibus veluti ingrauesceret, atque intumesceret, ipsa Dei mens grauida iam iam pariebat me, &c. Ita igitur concipe, eodem sensu à Iacob Patriarcha antiquos Patres *colles* appellari, quasi quidam mundi vniuersi prægnantis tumores Christum ab initio parturientes, ac per desideria vehementissima partum eiusdem stimulantem, atque incitantem. atque eapropter dictum, *desiderium collium aeternorum*.

Cum autem dicimus, desideria antiquorum Patrum præfatum partum celeriore reddidisse per desideria, non tantum vota eorum intelligo, sed etiam merita: hæc enim pro desideriis habentur, quatenus præmissum Christi partum accelerarunt. Sed quod magis admirare, non merita tantum, & iusta opera antiquorum Patrum, sed etiam demerita, & peccata ipsorum in desideriis partum Christi accelerantibus censentur: hæc enim quatenus sunt hominum ærumnæ, & miseræ, quæ ipsius Dei misericordiam ab initio deposcebant, & ad Christum quamprimum mittendum incitabant, desideria quoque appellare fas est. Huc spectant illa verba Aggæi Prophetæ cap. 2. *Et ego commouebo caelum, & terram, & commouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Quomodo ergo gentes omnes eum, quem eo tempore venturum minimè nouerant, aut sperauerant, aut promeruerant, desiderare dicuntur? Non alia certè occurrit huius rei ratio, & causa, nisi illa, quam iam dedi. Ideo gentes cunctæ aduentum Christi optasse, & desiderasse feruntur, quia in summa ipsius Christi ignorantia ipsa illorum demerita, & scelera ingentia, Christi aduentum incredibili contentione flagitabant, & deposcebant: atque adeò hæc ipsis pro desideriis, ac votis ardentissimis, & vehementissimis computabantur.

Sed ad rem nostram. Salomon in hoc Cantico, speciali, ac proprio schemate ad significanda ista Synagoga, seu antiquæ Ecclesiæ vota, quibus Messia aduentum vehementius exoptabant, in aditu ipso inducit sponsam in gynæceo nuptias afflictim concupiscentem, & sponsi moras incusantem. *Osculetur me osculo oris sui*, &c. Et sanè ad significandam istam, quam desideriis, ac meritis antiquorum Patrum vim nuper dedimus accelerandi, atque incitandi aduentum Christi, idonea valde est ista comparatio, si accersamus huc historiam Esther, vbi inter alia sic textus sacer. *Quæ placuit ei* (id est, Assuero,) *& inuenit gratiam in conspectu illius, & præcepit Eunuchis, ut acceleraret ei mundum muliebrem, & traderet ei partes suas.* Hæc verba facillè demonstrant eas puellas, quæ in gynæceis ad regias nuptias adornabantur, antequam ibi includerentur, & ad culturam istam exciperentur, coram ipso Rege comparere solitas, ut si fortè placerent, gynæceum ingrederentur; si autem displicerent, non ira. Ergo cum Esther puella ad eum modum Regi initio sisteretur, ut ipsam probaret, aut excluderet: *Placuit certè ei, & inuenit gratiam in conspectu illius: eapropter pulchritudine illius delectatus præcepit Eunuchis, ut acceleraret ei mundum muliebrem.* quia nimirum voluit illam non expectato tempore, quod alioquin ipsi in colenda pulchritudine de more insumendum erat, sibi adiungere, & ad thalamum admittere. Non aliter de Synagoga,

& Ecclesia antiqua iudicandum est: Deus enim antiquorum Patrum sanctitate, ac meritis allectus, & inflexus, vt eandem ocyùs connubiali vinculo sibi copularet, culturam eius deproperauit, atque aduentum maturauit suum. Ita enim conuicio antiquæ legis maximam feueritatem, qua Deus antiquum populum vrgebat, & premebat: ritusque, ac ceremonias plurimas, quibus ipsùm nunquam non exercebat, quandam fuisse quasi, deproperatis terminis, mundi muliebris accelerationem, qua Deus meritis, ac votis antiquorum Patrum acquiescens Verbi Incarnationem, ac nuptias multò ante patrauit, quàm alioqui secundùm ordinatæ prouidentia cursum euenirent. hæc enim est accelerationis propria vis.

His igitur constitutis, quæ significant statum illum, in quo erat Ecclesia, antequam Christus veniret: iam nunc propheticum, ac literalem huius loci sensum eruere procliue est. *Osculetur me osculo oris sui*, &c. Succedat igitur memoriæ id quod supra obseruauimus, osculum, & amplexum fuisse olim præcipuos ritus, quibus nuptiæ sanciebantur, & firmabantur. cuius ritus germanam significationem supra in Allegoriæ sono dedi: quia nimirum in nuptiis legitimis duplex vnitas adstringitur, alia animorum, alia carnis, & corporis. Igitur eam vnionem, quæ inter coniugatorum animas intercedit, & quam amor mutuus adstringit, nuptiale osculum præclare adumbrat. Ita docet Tertullianus *vbi supra*, illis verbis. *Quia corpore, & spiritu masculino mixta sunt per osculum, & dextras*, scilicet datas. Ita etiam docet Pseudo Augustinus in *lib. de amicitia cap. 6.* vbi sic habet. *Porro osculum spirituale non fit oris attactu, sed mentis affectu; non coniunctione labiorum, sed coniunctione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, & ex sui participatione cælestem immittente saporem. Nam ipse hunc sacratissimum inspirat affectum, vt videatur alteri quasi vnã animam habere in diuersis corporibus. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Vnde anima sic affecta ad osculum spirituale suspirat, cum maximo desiderio clamans: Osculetur me osculo oris sui.* Accinit verus & germanus Augustinus in *lib. 4. Confes. cap. 8.* vbi postquam inter alia amicitia signa, & documenta numerauit oscula pudica, & casta, sic demum infit. *His, atque eiusmodi signis à corde amantium, & redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnum facere.* Huius autem significationis optimam rationem accommodauit D. Ambrosius in *lib. de Isaac & Anima.* *Osculum est enim, quo inuicem amantes sibi hærent, & velut gratia interioris suauitate potiuntur. Per hoc osculum adheret anima Deo Verbo, per quod sibi spiritus transfunditur osculantis, sicut etiam hi, qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi videntur infundere.* Rursus vnionem illam carnis, quam vsus matrimonij sancit, ac firmat, per coniugatorum castum amplexum aptè notatur; quia duo corpora brachiis sese mutuò cingentia, & obligantia, in vnum quasi corpus migrare videntur. Sic docuit Tertullianus *loco citato*, qui præmissam carnis vnionem per solam apprehensionem dextrarum olim notatam voluit.

Sensus ergo germanus, & propheticus conformandus est ad hunc modum: *Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia* (siue *fragrantiora*) *unguentis optimis.* O vtinam Christus sponsus meus (ait Ecclesia) è cælo descendens ad me, & carnem assumens, nuptias illas mecum copulet, quæ osculo, & amplexu sanciri, & firmari solent: id est, vtramque illam vnitatem carnis, ac spiritus mecum contrahat, in qua nuptiæ consistunt, & quam osculum, & amplexus nuptialis apprimè notant, vt dictum est. quia hæc longè præstant *vino*, id est, epulis delicatioribus, & lautioribus, & *unguentis* pretiosis, nimirum sacrificiis, sacerdotali unguento, thymiamatis, aliisque aromatibus, quibus iam inde ex longo tempore in lege, tanquam in gynæceo inclusa, & Moyfi tradita adornor, atque delinior. Hunc sensum agnoscit Ambrosius in *Psal. 118. ferm. 1.* *Osculetur, inquit, me, &c. Iam volebat adherere Christo spiritus, & caro iam festinabat innubere, vt esset vnus spiritus, & fieret caro Christi, quæ erat ante meretricem.* quibus verbis vtramque illam vnitatem carnis ac spiritus nomine, osculi & amplexus ab sponsa deprecari, ac deposci docet Ambrosius. Integram verò expositionem expressè tradit Origenes *hom. 1. in hunc locum*, vbi sic scribit. *Sponsa, id est, vetus Ecclesia, habuit quendam vsum, & notitiam aromatam, hoc est, legis, & Prophetarum, quibus ante aduentum sponsi, mediocriter licet, instrui tamen, atque exerceri videbatur ad cultum Dei, utpote paruula adhuc, & sub tutoribus, & curatoribus agens. Hæc autem omnia aromata fuerant, in quibus enutriri visa est, & sponso suo preparari. Sed vbi venit plenitudo temporum, & adoleuit Ecclesia, atque vnigenitum suum Pater Spiritu sancto vnctum misit in hunc*

mundum, odorata sponsa diuini unguenti flagrantiam, sentiensque quòd illa unguenta longè inferiora sunt ad comparationem ipsius Christi unguentati, ac delibuti, ait: Quia meliora sunt vbera tua, &c. Et quoniam Christus idem sponsus, atque idem Pontifex dicitur: Pontifex quidem secundum quòd mediator est Dei, & hominum: sponsus verò secundum hoc quòd Ecclesiæ iungitur non habenti maculam, aut rugam, aut aliquid horum. Considera ne fortè unguentum illud pontificale, quod in Exodo componi iubetur arte pigmentarij, hìc à sponsa commemoratum sit, vt præferret nimirum Christum summum, & maximum Sacerdotem, atque sacerdotium ipsum noui Testamenti Pontifici, & sacerdotio antiquo. Hactenus Origenes, qui interpretationem à nobis nuper datam præscriptis verbis absolutissimè complexus est.

Quid plura? Certè sponsa osculum, & amplexum sponsi sui, atque adeò nuptias illius, tam ratas, quàm consummatas, quæ nimirum in duplici illa, animorum, atque carnis vnione consistunt, impensè desiderans, sub hac metaphora, seu allegoria Incarnationem, Baptismum, & Eucharistiam deprecatur. Incarnationem quidem, quia ante ipsam Deus ob inopiam carnis nubere non potuit: Baptismum, quia hic Christi & Ecclesiæ nuptias ratas efficit, per vnitatem spiritus quam causat. Eucharistiam denique, quia hæc vnitatem carnis adducit, & per illam coniugium consummat, vt in cap. 5. *Isagoges* longiori sermone demonstraui. Vnde Bernard. *serm. 2. in Cantica per osculum* Incarnationem adumbrari existimauit: sic enim fatur. *Intendite fratres. sit os osculantis Verbum assumens; osculatum, caro, quæ assumitur; osculum verò, quod pariter ab osculante, & osculato conficitur, persona ipsa ex utroque compacta.* Sed tamen Bernardus in his verbis per sponsam non Ecclesiam, sed assumptam à Verbo Dei humanitatem accipit. Genuinus verò huius loci sensus non spectat ad eas nuptias, quæ inter Verbum & humanitatem, sed ad illas, quæ inter Christum & Ecclesiam copulatæ sunt. Aio ergo cum Bernardo, & aliis Patribus, sponsam sub prædicta osculi, & amplexus allegoria Incarnationem appetere, sed alio sensu, quatenus scilicet illa duo signa exteriora animorum simul & carnis vnionem adsignificant, vt hactenus demonstraui. Fieri autem non poterat, vt Deus & Ecclesia carnis vnitatem contraherent, antequam Deus carnem assumeret: atque adeò eam carnis vnitatem nomine complexus exoptans, in ipsam Verbi incarnationem huius desiderij vehementia ferebatur.

Ad hæc sub eadem allegoria Ecclesiam Christi sponsam Baptismi gratiam postulare sentit Beda: quia nimirum in hoc Sacramento Spiritus Dei sanctus, qui osculi, imò & amplexus nomine denotatur, renatis infunditur. Sensum etiam istum ad prophetiam spectare credo: quia, vt diximus supra in *Isagoge* huius Commentarij cap. 5. §. 3. *sect. 3.* nuptias Christi & Ecclesiæ Baptismus ratas efficit, & aliquo etiam modo quasi in radice consummat, quatenus scilicet ipse Baptismus gratiam, & charitatem per se infundit, in quibus animorum vnio consistit, quam matrimonium ratum designat: & alioqui etiam Eucharistiæ votum est, cuius vsus vnitatem illam carnis adducit, quam matrimonium consummatum adsignificat, vt ibidem notauimus. Quapropter haud temerè dixerim, hoc ipsum per vmbra significatum olim à Primitiuis Christianis ex Apostolorum traditione, inter quos more comparatum fuit, vt minister Baptismi personam Christi, cuius autoritate agebat, sustinens, leuatum ex fonte siue infantem, siue adultum osculo simul, & amplexu donaret. Ita expressè tradit Cyprianus in *epist. 59. ad Fidum Episcopum*, quæ ex consensu sexaginta sex Episcoporum, qui Concilio interfuerant, conscripta fuit ad coërcendum illius Episcopi errorem, qui affirmabat infantes recenter natos ante adultam ætatem Baptismo neutiquam lustrari debere: quia nimirum propter immunditias, & sordes puerperij eos exosculari, & amplecti haud licebat ministro, ne ex osculo, & amplexu immunditiam contraheret. Contra quem sic scribit Cyprianus: *Deus personam non accipit, sed neque ætatem, cum se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem aequalitate librata præbeat patrem. Nam quod vestigium infantis in primis adhuc sui partus diebus mundum non esse dixisti, quod vnusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cælestem gratiam dandam (scilicet ad Baptismum impendendum,) impedimento esse oportere; scriptum est enim: Omnia munda mundis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu nouus est: non ita est tamen, vt quisquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat exosculari, quando in osculo infantis vnusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recenteris Dei manus debeat cogitare, quas in homine*

*Domine modo formato, & recens nato quodammodo exosculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur. Caterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis certè adultos, & prouectos, & maiores natu impedire possent peccata grauiora. id est, longè iustiùs à Baptismo arcendi essent prouecti, & adulti, quos nimirum propter grauium peccatorum saniem osculari horribilius esset, quàm infantes, quos puerperij sordes inficiunt: hæ enim naturales sordes illis immunditia, ac spurcicia faciliè cedunt, quas prauis moribus aspergunt. Nec solùm osculum renatis libabat minister, sed etiam amplexum stringebat, vt planè innuunt illa verba Cypriani: *Quando id, quod Deus fecit, amplectimur.* Mitto etiam alia huius perantiqui ritus testimonia, quæ collegit Ioseph Vicecomes de Baptismo *lib. 5. cap. 1.* quibus probat, illum morem non tantùm Carthagine viguisse, sed in aliis etiam Ecclesiis vsurpatum. Quemadmodum ergo S. Gregorius Nazianzenus *orat. 40.* in sanctum Baptisma de psalmodia, quæ super recens baptizatos occinebatur, affirmat eum concentum eò spectasse, vt quodam veluti epithalamio celebraretur *ingressus anima tanquam recentis sponsæ in geniale sponsi cubiculum.* Ad eundem modum affirmare fas est osculum, & amplexum, quo excipit renatos illius sacramenti minister vices Christi agens, eius osculi, amplexusque umbram esse, quibus Christus spiritualiter animam veluti nouam sponsam nuptiali fœdere sibi deuincit, vtramque illam vnitatem animorum, & carnis, cum eadem anima copulando.*

Vteriùs etiam integrum est affirmare sub ea allegoria osculi, & amplexus nuptialis ab Ecclesia Christi sponsa expetiti Eucharistiam propheticè notari: hæc enim (vt in eo *cap. 5.* nuper citato fusè probauimus) priorem illam vnitatem animorum, ac spirituum, quæ ab amore proficiscitur, & per osculum denotatur, nuptias ratas efficit in his, qui dignè accipiunt, nunquam non supponit; & posteriorem illam vnionem carnis, quæ per amplexum designata earundem nuptiarum perfectam consummationem continet, per semetipsam præstat. Quapropter sicut de Baptismo nuper statuimus, ita etiam de Eucharistia pronuntiare licet: osculum nempe, & amplexum, quæ pacis nomine proximè ante sumptionem Sacramenti minister vices Christi gerens per Diaconum ad populum mittit, eodem modo spirituales istas nuptias vtramque illam vnitatem animorum carnisque continentes mysticè demonstrare. Ita sentire videtur Origenes *hom. 1. in Cant.* tres Patres apud Theodoretum, & Ambrosius in *serm. de Sacramentis*, ad Neophytos; ex quibus hic ita fatur. *Venisti ad altare, vocat te Dominus Iesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam, & ait: Osculetur me osculis oris sui. Vis ad Christum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil iucundius. Osculetur me. Videt te mundum ab omni peccato, quia delicta de terra sunt, idè te Sacramentis cælestibus dignum iudicat, & idè inuitat ad cæleste conuiuium. Osculetur me ab osculis oris sui. Tamen propter sequentia, anima tua, vel humana conditio, vel Ecclesia videt se ab omnibus mundatam peccatis, & dignam, qua ad altare Dei possit accedere. Quid est enim altare nisi forma corporis Christi? Videt Sacramenta mirabilia, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui, hoc est, osculum mihi sponsus Christus insigat. Origenes verò sic ferit: *Et hoc est verius, propriùsque, & sanctius osculum, quod ab sponso Dei Verbo porrigi dicitur sponsæ puræ, scilicet anima, ac perfectæ: cuius rei imago est illud osculum, quod in Ecclesia sub tempore mysteriorum nobis inuicem damus.* De osculo, & amplexu, quæ minister per Diaconum mandat populo, & de illius significatione frustra hîc multis. Adeundus est Thomas Botius *de signis Ecclesiæ lib. 14. cap. 5.* vbi de his copiosè scribit. Interim autem accipe verba, quæ habentur in opere illo, quod inscribitur, *Gemma anima, lib. 1. cap. 62.* vbi in solo osculo duplicem illam vnionem spirituum, & carnis mysticè adumbratam author illius operis contemplatur; sic enim inquit: *Quòd Sacerdos in Missa osculum pacis nomine ad populum mittit, altera causa est, quia in osculo caro carni, & spiritus spiritui coniungitur.* (nam & labia osculantium inuicem se premunt, & animam, halitumque sibi mutuò transpirant.) Quasi dicat, osculum, quod inter Missæ sacrificia Sacerdos libat, quatenus per illud caro carni, & spiritus spiritui immiscetur, vtramque vnitatem animorum, & carnis per mysterium adsignificat, quam inter Christum & Ecclesiam sanctissimum Eucharistiæ sacrificium copulat. Sed tamen longè meliùs, & opportuniùs de osculo, & amplexu Theodoretus, qui locum istum sic expendit: *Ne quis osculorum vocabulo perturbetur, consideret quemadmodum mystico tempore sponsi corpus suscipientes complectimur, & osculamur, atque oculis cordis imponimus, atque animo, & cogitatione quasi complexus quosdam, & complexus nuptiales effingimus, atque ipsum claritate timorem foras ej-**

ciente, nos amplexari, & suauitari putamus. quæ verba non parum coherent cum his, quæ hætenus diximus, scilicet per osculum vnionem spirituum, per amplexum verò corporum vnitatem designari: quatenus per illud spiritus permisceri, per istud verò duo corpora implicatis brachijs quasi in vnum coalescere videntur.

Appendix superioris expositionis ex sanctis Patribus.

PRæter eam, quam iam dedimus, huius loci prophetica, & liberalem expositionem de sancta Christi Ecclesia ex sanctis Patribus petitam, & alias & alias de eadem Ecclesia accommodatias interpretationes ex eisdem adscribere oportet. Origenes *homil. 1. in Cantic.* Hieronymus *epist. 147. ad Damasum.* Chrysostomus *homil. 18. in Symbolum,* quæ inscribitur, *de Turture.* Bernardus *serm. 2.* Gregorius Papa *lib. 19. Moral. cap. 22.* S. Thomas, Beda, Cassiodorus, Philo, Aponius, & Anselmus, per istius osculi tanto studio ab sponsa concupiti metaphoram, doctrinam ex ipsius Christi ore fluentem intelligendam esse dicunt, hoc sensu: *Osculetur me osculo oris sui,* id est, qui toties per legatos, & nuntios suos Prophetas, quasi per quosdam paranymphos, aut pronubos allocutus est me, veniat ipse tandem aliquando, & os ad os verba faciat. Fauet huic expositioni verbum Hebraicum *פושׁ נאסאק*, quod *deosculari* significat, atque *erudire*, vt in grammatica expositione obseruauit. Sed qualis est osculi, atque doctrinæ allegoria?

D. Bernardus verba ista expendens animaduertit, nequaquam dictum ab sponsa, *Osculetur me ore suo*, sed *osculo oris sui*, quia nimirum in osculo Verbi atque humanitatis vnionem contemplatur, & per istud osculum ad aliud osculum se admittam esse dicit. sic enim habet. *Sit os osculans Verbum assumens, osculatum verò caro quæ assumitur; osculum verò, quod pariter ab osculato & osculante perficitur, persona ipsa ex utroque compacta, mediator Dei & hominum Christus Iesus.* Et subinde attexit ex hoc osculo mystico, & arcano, quod duas naturas, diuinam, humanamque in eadem hypostasi deuinxit, Ecclesiam à Christo exosculatam fuisse, quando ad nuptias, & vnitatem spiritualem cum ipso contrahendam excepta fuit. Quia ergo doctrina Euangelij à filio Dei incarnato, qui os Patris censetur, deprompta fuit, & per ipsam Christus Ecclesiæ suæ sese intimè coniunxit, ideò osculi nomine designatum fuisse affirmat Bernardus.

Origenes verò, vel ideò osculi vocabulo doctrinam euangelicam denotatam esse dicit, quia osculum arctioris amicitiae, & gratiæ significationem continet: amicitia verò, cum arctior est, omnium secretorum, arcanorumque manifestationem suadet. Quapropter sic scribit. *dum enim inde capax fuerit, vt ipsius verbi Dei caperet veram, solidamque doctrinam, vbi caperet obscura cernere, enodare perplexa, inuoluta dissoluere, parabolas, & enigmata competentibus intelligentiæ lineis explicare: tunc iam oscula ex ore sponsi sui percepisse se credat: os autem sponsi intelligamus virtutem Dei, quæ illuminat mentem, & velut sermone quodam amoris ad eam facti, incognita quæque, & obscura sibi manifestat: hæc enim est lex amicitiae, quam osculum adsignificat.*

Ad hæc, præmissus Bernardus *loco citato* doctrinam Christi ideò osculi nomine compellatam esse dixit, quia ipsam exemplo firmavit. *Osculetur (inquit) me osculo oris sui. Nam verbis iam quomodo credam? opus magis est opere verba firmare.* Sed cur doctrina exemplo comprobata osculi nomen fert? quia nimirum exemplum doctoris quamlibet etiam feuerissimam doctrinam, facilem, iucundam, & amicam reddit: itavt non mentem tantum irradiet, sed osculi in morem cor, animumque deliniet, & ad amorem sui flectat.

D. Gregorius osculi nomine non eam doctrinam notari existimat, quæ externis auribus insonat: sed eam, quæ internè inspirat, per quam Deus cor ipsum penitus affatur, ipsumque ad bene operandum permouet. Ideò verò osculi vocabulo significatur eiusmodi doctrina, quia is, qui osculum alicui propinat, suum illi spiritum libandum, & hauriendum tradit. *Osculum oris (inquit Gregorius) dulcis amor interna inspirationis. Ille quem super omnia, imò solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat; quia cum istud eius osculum sentio, subita mutatione me derelinquo.* Hæc est vis sermonis internè inspirantis, quem vnus & solus Christus nobis promeruit, ac dedit.

Beda doctrinæ osculum paulò aliter exponit; ad osculum enim perficiendum duorum ora mutuò coherent. Ecclesia igitur istam oris sui cum ore Christi coherentiam postulat, inquit Beda. Sed quonam sensu? *Non solum (ait) velut osculum offerens, proprio*

me ore alloquens confortet, sed mei etiam oris patienter ad tactum suscipiat, id est, interrogantem me de via salutis audiat, & vicissim mihi respondere, ac me erudire non spernat. Aliter etiam ad mentem huius Doctoris licebit dicere, per hanc cohærentiam labrorum cum labris, sanctam Dei Ecclesiam hoc deprecari, vt Christus ipsam alloquatur, & cum his, quæ à Christo acciperet cohærentia, nunquam non pronunciet, suam cum doctrina Christi doctrinam conformans. Ad hæc infra idem Doctor doctrinam alia de causa osculi nomine compellatam esse dicit, vt nimirum distingueretur à lege, & Prophetis: horum enim documenta erant seuera, minarum plena, & ad exterrendos, concutiendosque animos comparata: Christi verò doctrina mitis, suavis, & beneuola osculi in morem, ad conciliandos, promerendosque animos valde idonea existit.

Aliter Iustus Orgelitanus, qui osculi simbolo pacem ab Ecclesia flagitari affirmat. Cui accinit etiam D. Bernardus in eo serm. 2. in Cantica. *Tunc enim* (inquit Iustus) *uenientibus ad se osculum tradidit, quando vnigenitum suum in homine nasci voluit, per quem etiam vt ei pacis vinculo adhareamus, attribuit.* Lege Bernardum, qui de hoc themate latissimè fatur. Osculum autem ideò pacis simulachrum olim fuit, quia veteres cum salutatione osculum iungebant, in salutationibus autem sibi mutuò pacem precabantur.

D. Ambrosius in *Psalm*, 118. *vers.* 1. & 2. & in *lib. de Isaac & Anima cap.* 3. Ecclesiam osculi nomine Spiritum sanctum postulasse affirmat. *Petit* (inquit) *sponsi osculum, per quod sibi spiritus transfunditur osculantis;* quia nimirum exosculans suum quasi inhalat spiritum osculato. Reliqua Ambrosij verba nuper dedi. Ad stipulatur etiam D. Bernardus serm. 8. in Cantica: *Non enim exiguum quid, aut vile putat osculari ab osculo, quod non est aliud nisi infundi Spiritum sanctum: nempe si rectè Pater osculans, filius verò exosculatus accipitur, non erit abs re per osculum Spiritum sanctum intelligi: utpote qui Patris, & filij imperturbabilis pax sit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis unitas.* De ipso igitur ardet sponsa, ipsamque sibi infundi sub osculi nomine petit. Huc spectat etiam Eucherij coniectura, qui ad illa verba Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* addit inspirationem illam, per quam Spiritus sancti infusio adumbrata est à Deo illius è luto ficti simulachri faciem deosculante factam: *Non enim* (inquit) *horrori fuit tantæ maiestati lutum nostrum exosculari, vt ipsi animam inspiraret.* Haud aliter Christus Dominus Ecclesiam suam per immisionem spiritus gratiæ quasi libato osculo animauit, ac vitæ reddidit. Quapropter integrum est dicere sponsam quæ osculum primo homini infixum simul cum temporali vita spiritualement accepit, id deprecari, vbi Deus ad reparationem osculum illud reperat, & amissam vitam restituat. Denique Philo Carpathius propius ad hanc expositionem accedens, & translationem Septuaginta tenens (quæ sic efferenda est: *Osculetur me osculis oris sui*) sic demùm scribit. *Sunt enim Spiritus sancti oscula purissima, castissima, sanctissima, planèque diuina, septem gratiarum dona cælestia, id est, septem Spiritus sancti dona, quæ septem eiusdem oscula compellare fas est.* Hactenus de osculo. De vberibus ex mente Patrum aliquid seramus.

Quia meliora sunt vbera tua vino, &c. Ex Patribus satis multi modum loquendi obferuantes, quod planè ad præsentem intendi videtur, docent post illa verba: *Osculetur me osculo oris sui.* quæ ad absentem prolata fuerunt, sponsæ precibus acquiescentem sponsum illicò dicto citius aduentasse; atque ideò ipso præsentem, ea quæ sequuntur: *Quia meliora sunt vbera tua vino, &c.* dictata fuisse. Quem subitum aduentum (vt Origenem dimittam,) sic expendit Bernardus serm. 9. *Sponsus* (ait) *nunc non vocatus affuit, & delectatus verbis præuenit preces. Arbitror quod interdum nec verba expectat, sed solis cogitationibus aduocetur. Desiderium enim pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorū audiuit auris tua, &c.* Sed cuius sunt ista verba? Bernardus serm. 9. sic scribit. *Hæc verba cuius sint, author non loquitur, relinquens nobis liberè commentari, cui potissimum personæ conueniant. Mihi enim non deest, vnde illa conuenienter assignem, siue sponsæ, siue sponso, siue sponsi sodalibus.* Profectò ab sponso Christo ad sponsam Ecclesiam dicta in altera expositione censuit Origenes: sic enim in persona sponsi scribit. *Meliora sunt vbera tua, &c. id est, cor tuum o sponsa, & mens, id est, dogmata, quæ intra te sunt, vel doctrina gratia superat omne vinum, quod cor hominis letificare solet.* Bernardus verò sic comminiscitur. *Sponsus subito adueniens flagitatum osculum sponsæ imprimat: tantæ verò efficacitatis osculum istud est, vt ex ipso mox, vt acceperit illud, sponsa concipiat, tumescantibus nimirum vberibus, & lacte pinguescentibus in testimonium.* Quibus studium

est orare frequenter, experti sunt quod dico. Sæpe corde tepido, & arido accedimus ad altare, persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis, & si sit qui premat lac conceptæ dulcedinis, ubertim fundere non tardabunt. Dicit ergo sponsus: Habes sponsa quod petisti, & hoc tibi signum, quia meliora sunt vbera tua vino. Meliora scilicet vino scientiæ secularis, quod quidem inebriat, &c. & in sermone sequendo sponsæ vbera ita partitur, ut alterum lac consolationis, alterum verò lac exhortationis effundat. Hæc Bernardus de Anima, quæ ad eundem modum vniuersali Ecclesiæ accommodare fas est, in qua ex osculo, scilicet ex aduentu Spiritus sancti, quem osculum adsignificat, ut nuper dicebam, illa omnia subita, & repentina fuerunt, conceptus, partus, & lactatio. Ita enim prædixit Isaias, *Quis audiuit unquam tale, aut quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiiuit, & peperit Sion filios suos?* Eos verò, quos intra diem subito enixa est, statim lactauit: subdit enim Propheta, *Latamini cum Hierusalem, & exultate ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis eius, ut mulgeatis, & delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* quæ omnia in prima Petri concione expleta sunt, cuius eximia vox tria circiter hominum millia ad pietatem, fidemque traduxit *Actor. 2.*

Præfata verba sponsi sodalibus vnus, quod sciam, tribuit Bernardus *in eo serm. 9.* quos ad sponsam sponsi oscula auidius deposcentem hæc verba intendisse affirmat. *Meliora sunt vbera tua.* &c. id est, noli nimis insistere osculis contemplationis, quia meliora sunt vbera prædicationis. Et subinde eadem verba tribuens adolefcentulis pedissequis, eandem fermè, diuerso tamen lepore, sententiam tradit.

Sed tamen reliquorum Patrum conspirans sententia hæc verba sponsæ donat, & de sponso continenti sermonis filo ab ipsa pronunciata esse affirmat. *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Sed quonam sensu vbera, & mamma, quæ fœminarum propria sunt, sponso accommodatè traduntur? Si literæ adhæreas, habes suprâ in sono allegoriæ germanam vberum significationem, vbico nomine amplexum nuptialem notari fusè probauimus. Si accommodationis liberam licentiam sequaris, habes utique apud Patres quamplures, qui huic licentiæ indulgentes, vbera, & mammas fœmineas lacte distentas sponso donant. Ac ne id nimis liberè dictum, factumque quispiam putaret, sic occurrit Beda. *Et iure vbera sponsi nominat, quod mulieris est membrum corporis. Sicut etiam in Apocalypsi, qui & ipse typicus liber est, cum dicit de illo Ioannes: præcinctum ad mamillas zona aurea. Sed nec ipse sponsus, & Dominus noster sexus fœminei figuram in se transferre refugit, cum per Isaiam dicit: Numquid ego, quia alios parcere facio, ipse non pariam? & iterum. Quomodo sicut mater blanditur, ita & ego consolabor vos, &c.*

Ergo iuxta hanc vberum acceptionem quamplures sunt Patrum expositiones. D. Gregorius, *Vbera* (inquit) *sponsi dilectio Dei, & proximi: in his vberibus sponsam suam Ecclesiam lacte pietatis nutrit, quæ nimirum præstant vino, id est, curæ temporali, quæ hominum mentes ad ebrietatem adducit.* Ex Gregorio eandem interpretationem transcripsit Anselmus. Bernardus *in eo serm. 9.* per duo sponsi vbera, *longanimitatem in expectandis peccatoribus, & benignitatem, facilitatemque in donandis eorum culpis,* accipiendas esse docet, quæ præstant vino, id est, mordaci, & seueræ correptioni humanorum Prælatorum: hi enim nec delinquentes diutiùs sperant, nec facile adduci possunt, ut eorum crimina inulta abire sinant.

Beda per *vbera*, quæ infantibus lac suppeditant, ipsa Euangelij rudimenta, & prima elementa intelligit: sic enim serit. *Vbera ergo sponsi meliora sunt vino, quia rudimenta noui Testamenti præstant legi, & obseruationi legalium: nihil enim ad perfectum lex adducit. Si autem vbera Christi, id est, primordia dominice fidei, meliora sunt vino legis, quantum magis vinum Christi, id est, perfectio doctrinæ Euangelicæ, &c.* S. Isidorus, & D. Thomas per *vbera* totam Euangelicam doctrinam conceperunt, atque eadem vterque verba subtexit. *Meliora sunt, &c. quia nimirum dulcedo Euangelij austeritate legali melior est.* Anselmus in vberibus eodem modo Euangelicæ doctrinæ dulcedinem contemplatur: per *vinum* autem prophana Philosophorum documenta intelligit. *Doctrina* (inquit) *Euangelica est dulcis refectio, & suavis sicut lac; ac melior vino, id est, doctrina Philosophorum, quæ non nutrit, sed inebriat, & superbire facit recipientes, &c.* De hac enim prophana, & humana sapientia verè enunciare licet, quæ falsò Festus Proconsul in Paulum coniecit. *Insanis homo. multa te litera ad insaniam conuerterunt.*

Iustus Orgelitanus in his Christi vberibus Apostolos, & Euangelistas cogitat, quorum doctrina præstat legi. *In lege enim figura, in Euangelio veritas; illic tanquam austeritas*

austeritas vini diligendum tantummodo proximum, & inimicum odiendum ostenditur: hic dulcedo gratia pro inimicis orandum, & eos, qui nos oderunt, diligendos admonemur. Huius rei rationem adiecit nouus interpretes, ex natura ipsa petitam, quia foemina, quae vbera plurimo lacte distenta gerit, non suos tantum, sed alienos etiam infantes ad sugendum excepit, vt ea ratione vbera recreentur. Talis, inquit, est charitas Christiana tam affluens, ac redundans, vt non amicis tantum, sed alienis & inimicis opus habeat, vt illis sese hauriendā & exprimendam praebeat. A iusto non longē abit Gregorius Papa lib. 30. Moral. cap. 10. qui per vbera Christi omnes in vniuersum Ecclesiae Doctores concipi vult. Isti enim (inquit) sunt, quae in arca pectoris fixa lacte nos potant, quia ipsi arcanis summae sapientiae inherentes subtili nos predicatione nutriunt. Aponius duos Ioannes, Baptistam, & Euangelistam, in duobus Christi vberibus agnoscit. Non erit (inquit) inconueniens duo vbera Christi duos Ioannes intelligi, Baptistam, & Euangelistam, qui Ecclesiae post oscula Incarnationis plenissima vbera sunt propinati, cum alter agnum peccata mundi tollentem, id est, redemptorem demonstrat: alter verò Verbum Deum apud Deum Patrem manentem, id est, Creatorem designat. Qui etiam per amorem ipsius Christi tanquam vbera pectori adhaeserunt, &c.

Philo Carpathius per duo vbera Christi duo Testamenta, nouum, ac vetus capit, à quibus lactantur Ecclesiae filij. Vt enim (ait) duo vbera, duaeq; mammae hinc inde pectori affixae cor ambiunt: ita & duo Testamenta ex Spiritu sancto spiritualem potionem diuini lactis instar effundunt, nosque super omnes delectationes humanas sanctissime letificunt, &c.

Tres Patres apud Theodoretum vberum nomine Eucharistiam concipi volunt: quamuis enim hic sensus alio schemate, quatenus per vbera amplexum nuptialem, ac per hunc eam vnitatem carnis inter Christum & Ecclesiam, quam Eucharistiae vsus copulat, significari supra diximus, ad prophetiam pertineat: tamen eo modo, quo vbera pro mammis lacte manantibus praefati Patres tumunt, accommodatitiam sententiam reddunt. Per vbera (inquiunt) illa admiranda, & vino praestantiora cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur.

Ad extremum Origenes propius ad litteram accedens, vbera, & mammam sponso tradere renuens, vt sexus proprietatem teneret, per vbera ipsius sponsi cor notari voluit. Vbera (inquit) principale cordis intelligamus. In corde autem sponsi thesauros sapientiae, ac scientiae Dei meditatur, qui Christi latebant in corde, & quorum copiam fecit Ecclesiae sponse suae: haec autem (inquit) confert cum vino, & ex collatione praefert. Per vinum autem, tam bonum, quam malum, intelligit ibi Origen. vinum malum vocans siue saecularem, & prophanam sapientiam, siue etiam haereticorum prauos errores; vinum bonum, legis notitiam, & disciplinam, quae longo interuallo cedit Euangelio.

Addit etiam Salomon: *Fragrantia vnguentis optimis.* Bernardus haec verba ab sponso in sponsam coniecta putans, duo vnguenta considerat, quibus illita sunt sponsae vbera, scilicet vnguentum deuotionis, & vnguentum contritionis, & de his latissime disserit. Addit etiam sub finem capitis tertium vnguentum, scilicet gratiarum actionis, quod recolendo diuina beneficia quasi ex multis speciebus ab anima praediuite configitur, & miscetur. & in serm. 12. quartum vnguentum attexit ceteris nobilius. Est (inquit) vnguentum, quod reliquis longē antecedit, & hoc appellauerim pietatis, & misericordiae, quod fiat ex necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, &c. Despicabiles videntur species istae, sed est super omnia aromata vnguentum, quod ex eis configitur, &c. Videatur etiam Hugo Victorinus ex Miscella 2. lib. 2. tract. 60. tom. 3.

Reliqui Patres de vberibus sponsi accipiunt, ex quibus Origenes haec vnguenta, quibus Christi vbera delibuta dicuntur, cum illo vnguento, quo Sacerdotes summi olim inungebantur, confert, ac praefert: & postquam retulit quatuor species, ex quibus configebatur, scilicet myrrham, cinamomum, calamum suaueolentem, & casiam, sic attexit. Vide quod iste quatuor species vnguenti istius, formam tenebant Incarnationis Verbi Dei, quod ex quatuor elementis compaginatum corpus assumpsit. Et subinde quatuor illas species sic accommodat, in myrrha mortalitatem, in cinamomo vim expiantem ad emaculandam, extergendamque Ecclesiam, in calamo doctrinam, in casia, quae praeceteris aromatibus calida est, feruorem sancti Spiritus, quem Christus abunde in fideles suos effudit: ac demum in oleo, quo praefatae species configebantur, & miscebantur, finem Incarnationis contemplatus est: quae nimirum tota ad

miseritiam pro miseria nostra, id est, ad redemptionem generis humani tota spectauit.

Philo Carpathius, quia tam Sacerdotibus, quam Regibus solenne olim fuit oleo initiari ad regnandum, & offerendum per unguenta hæc, quibus sponsus delibutus fertur, Christi regnum, & sacerdotium notari censuit. Aponius prædicta unguenta non tantum sacerdotium, & regnum in Christo manens, sed etiam in fideles, ac iustos deriuatum, & effusum intelligi oportere censuit, iuxta illud, *Regale sacerdotium gens sancta*, &c. 1. Petri 2. Et accinit Anselmus, qui sic habet. *Hæc enim unguenta rectè optima dicuntur, quos enim unguunt, veros Reges, ac Sacerdotes efficiunt.* Beda, quia Prophetæ etiam unguento consecrari solebant, Regibus, & Sacerdotibus adiungit Prophetas. D. Gregorius Magnus, cum per vbera doctrinam Christi concepisset, per unguenta, quibus hæc fragrare dicuntur, eiusdem exempla, & mores intellexit, quibus doctrinam firmavit suam. Orgelitanus in vberibus Christi Apostolos contemplatus, unguentorum fragrantiam miracula, & virtutes ab eisdem patratas designare dixit. Beda odorem bonæ famæ, & prædicationis fragrantiam latissimè effusam intelligit in secunda expositione.

In prima autem interpretatione idem per eiusmodi unguenta Spiritus sancti dona concipit: cui adstipulantur tres Patres apud Theodoretum, S. Thomas, D. Isidorus, & alij: dona (inquam) illa, quæ à Christo in fideles profunduntur, & sparguntur: idè verò non in singulari *unguentum*, sed *unguenta* in plurali numero hic usurpata adnotat Theodoretus ad istorum donorum multitudinem notandam. Quid plura? Idem Theodoretus per fragrantiam, & odorem, quem sponsi vbera unguentata late effundunt, ea signa, & indicia, quæ tam ex Scriptura, quam ex natura ipsa nobis suppetunt ad subodorandam, vestigandamque Dei voluntatem, ipsiusque notitiam aucupandam, denotari mauult. Mitto alia minora.

E X P O S I T I O M Y S T I C A

de Anima.

M LERAQUE ex his, quæ nuper diximus de Ecclesia in vniuersum, ad hanc, quæ de anima est, interpretationem aptare, & transferre valde procliuè erit. Ergo quemadmodum in expositione Prophetica, ea, quæ Salomon quasi præsupponit de statu, & conditione sponsæ ante nuptias, Ecclesiæ accommodauimus: ita etiam in expositione mystica eadem animæ adaptare operæ pretium est. Hæc sunt sponsalia, gynæceum, & desideria, seu vota nuptiarum quamprimum contrahendarum. Sic igitur apud te ipsum statue, ante spirituales Christi & animæ nuptias, quas charitas, & gratia denique copulat, præcedere primùm sponsalia. Habet autem sponsaliorum rationem fides, vt diximus supra in *Isagoge cap. 5. §. 3.* hæc enim pactum continet, per quod anima Deo sese impostero obstringit, ac credit. Audi Chrysostomum in sermone de charitate, & fide, sub finem comment. prioris epistolæ ad Corinth. *Est (inquit) fides pactum cum Deo, cum Christo placitum, consignatio promissorum. Quoties ad fidem acceditur, pactum inter Deum, & hominem firmatur, & homo Deo se credere profitetur, & à Deo homini pignus quoddam Spiritus sancti tribuitur. Teneris igitur Christiane, & tenes, aliud à Deo accipis, aliud Deo promittis: non debes placitum destruere, cuius te conspicias pignus retinere.* Subest autem hic placitum pro conuentione: & planè loquitur Chrysostomus de pacto sponsalicio, quod per fidem initur; quia qui Deo credit, eiusdem dictis fidem præstans, idem Deo sese credit, ipsi fidem suam ita obstringens, vt ipsam amplius liberare non possit.

Mitto alios Patres, qui sponsalia isthæc animæ cum Deo in fide ponunt. Illud proprium Chrysostomi, qui his, qui per fidem Christo sponponderunt, arrhæ, ac pignoris loco Spiritum sanctum donari affirmat. Per Spiritum verò sanctum non intelligit gratiam iustificantem, sed excitantem, & vocantem, quæ cum fide cohæret, & meritò arrhæ nomine censetur. Nam in iure arrharum nomine veniunt omnes donationes antenuptiales, quas sponsus sponsæ largitur. Atqui eiusmodi dona, quæ nuptias præcedunt, eo consilio ab antiquis usurpata docent Iurisperiti, vt puellæ, quas suapte sponte ob genuinum pudorem coniugium detrectaturas esse leges præsumebant, his largitioni

largitionibus ad consensum nuptiarum aut flectantur, aut proliciantur. Quapropter appositè admodum gratia excitans, arrhæ, seu muneris antenuptialis nomen fert: tota enim ad inuitandam, & alliciendam voluntatem refertur, vt Deo per amorem adhæreat, & ea liberè prosequatur, & amplectatur, quæ alias suæ naturæ relicta omnino respueret.

Sed à Chrysofomo dissentit Origenes *hom. 1. in Cant.* vbi de muneribus, quibus Deus animam iustam tanquam sponsam ante nuptias cohonestat, aliter decernit, sic enim scribit. *Sicut enim Ecclesiæ dos fuit legis, & Prophetarum volumina: ita huic, id est, anima, lex naturæ, & rationalis sensus, ac libertas arbitrij dotalia munera deputentur. Habens autem hæc dotis suæ munera, sit ei primò eruditionis doctrina à monitoribus, doctoribusque descendens.* qui non ita accipiendus, quasi hæc, quæ ibi numerat, sint initia iustificationis nostræ: absit; quia nec lex naturæ, nec rationalis sensus, nec libertas arbitrij, imò nec ipsa Doctorum commonitio, aut correptio, sine motu gratiæ interioris inspirantis, ad iustificandam animam peruenire, aut pertingere possunt, vt Catholici omnes decernunt contra Pelagium. Sed vocat antenuptialia munera, quia reuera dona sunt Dei, iustificationem ipsam præcedentia, & cum gratia inspirationis internæ ad eandem iustificationem perficiendam quasi confœderatis viribus per se conferunt, ac concurrunt.

Sed quorsum spectant isthæc sponsalia, de quibus nunc agimus, iustificationis nuptias præcedentia, quæ inter Christum & animam per fidem copulantur? Sanè sponsalium pactum ante coniugium ideò vel maximè præmitti oportere suprâ dicebam, vt sponsa sponsum agnosceret, eiusque genus, & diuitias addisceret, atque exploraret; ingenium quoque, & mores, quibus in perpetuum vsura esset, nosset. Ipsissima quoque sunt fidei ante iustificationem propria, & germana munera: hæc enim Christi sponsi perfectam notitiam animæ tribuit, mores illius aperit, de illius genere, diuitiis, ac studiis edocet, vt ipsum lubentiùs amet, & eidem per amorem studiosiùs copuletur, noritque prorsus, qualiter sibi post initam sui sponsi gratiam conuersandum, atque viuendum sit. Luculentiùs dicam, fides Christum, eiusque diuinam humanamque naturam, beatitudinis præmia, & totius vitæ Christianæ mores, & studia fidei animæ demonstrat; vt nimirum illa credere, hæc verò exercere, & exequi possit. Huc spectant Hieronymi verba in Isaiam lib. 8. *Ne anima ad Christi nuptias, sui, atque sponsi ignara veniat, præmittitur catechesis ante Baptismum.* Lege alias rationes, propter quas sponsalia ante nuptias præire oportet, quas dedimus suprâ in expositione Prophetica: illas enim ab Ecclesia, ad vnâ animam transferre valde procliuè est. Quomodo autem anima iusti in sponsalibus manens nuptias expectet, totamque sponsalium rationem absolutissimè tradit Macharius Ægypt. *hom. 45. Quo autem patet virgo locuples desponsata viro, quæcumque dona acceperit ante coniunctionem, siue perueniant ad mundum, siue ad vestitum, seu ad suppellectilem pretiosam, non quiescit in illis, donec tempus nuptiarum accesserit, & societatem adeptam fuerit: ad hunc modum anima cælesti sponso in sponsam aptata, arrhabonem spiritus accipit, siue gratiam sanandi, siue scientiæ, aut reuelationis: non tamen in illis conquiescit, donec plenam societatem consequatur, nempe dilectionis, quæ quidem non mutatur, nec excidit, & impatientes, ac immotos reddit illos, qui tenentur eius desiderio.*

Rursus sponsam in gynæceo, ac foeminarum domo ante nuptias manentem, atque ibi balnea, vnguenta, pigmenta, delicatasque epulas ad formam excolendam adhibentem fingit Salomon. Sicut autem Ecclesiæ status ille, quem habuit sub lege veteri, pro gynæceo fuit: ita etiam animæ tempus, ac status pœnitentini, quem in delendis peccatorum maculis ponit, quasi gynæceum quoddam est. Succedat ergo memoriæ id, quod sæpe aliàs adnotauimus ad illa verba Psalm. 44. *Myrrha, gutta, & casta à vestimentis tuis, à domibus eburneis, in quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo.* nimirum per istas domos eburneas, in quibus morabantur Regum filia, iuxta sonum allegoriæ gynæcea designari, in quibus puellæ myrrha, & aliis vnguentis ad regales nuptias formam curabant. Augustinus igitur, Eusebius, Hieronymus, Glossa, & alij non pauci secundum spirituale sensum, per prædictas domos pœnitentiam, compunctionem, & mortificationem membrorum concipiunt. Augustinus enim sic scribit: *Vis domos eburneas spiritualiter accipere, magnas domos corda Sanctorum intellige, qui planè Reges sunt, subiugantes sibi turbas humanarum affectionum, castigantes corpus, & seruituti subijcientes, affligentisque animas suas.* Itaque anima ad suorum peccatorum

pœnitudinem excitata, & impulsâ, atque ad eò ad cordis sui penetralia rediens, de commissis dolorem suscipiens, anteaquæ scelera lachrymis abluens, atque detegens, vt gratiam, & familiaritatem Dei inire possit; similis est puellæ innubæ gynæceum ingredienti, myrrham, guttam, & casiam, & alia medicamenta formæ adhibenti, vt sese præparet ad nuptias. Recurrat ergo memoria ad ea, quæ nuper in prophetica huius carminis expositione diximus, vbi ea, quæ in gynæceis ad excolendam formam agebant puellæ, accuratè descripsimus, & ad significationem propheticam traduximus; eadem enim pœnitentiæ accommodare procliuè est. Et sanè in eo versu Psalmi nuper adscripto habes *myrrham, guttam, & casiam*, inter præcipua formæ curandæ auxilia: atqui myrrhæ amaritudo, & austeritas pœnitentiæ dolorem, & amaritudinem apprimè notat: & gutta, similiter, quæ quamcumque aromaticam pretiosam lachrymam sonat, eiusdem pœnitentiæ maximè nobilem motum designare potest; itavt per myrrham attritionem, per guttam verò contritionem capere liceat. Item casia, quæ aliàs calamus, seu fistula dicitur, & non nisi aquis immerfa germinat, vt docet Glossa *in eum locum*, eandem pœnitudinem, quatenus non tantum in animo deintus agitur, sed foras etiam lachrymis vberioribus circumfluit, rectè demonstrat. Alias verò species, seu aromata, ex quibus myrrhinum vnguentum ad faciem medicandam, & læuigandam configi solebat, recensuimus *loco citato*, & quæ ibi de helenio, & betonica tradidimus, pœnitentiæ adaptare valde pronum est: illud enim ex helenæ lachrymis enatum ferunt; hæc austeritate quadam mordaci pollet.

Ad hæc in gynæceis balnea, & frequens lauatio ad emolliendas, & extergendas carnes in vsu erant; quæ, sicut in expositione prophetica, de Ecclesia Baptismi Sacramentum; ita etiam in hac mystica de anima lachrymas eandem animam emollientes, & eluentes aptè designant. Audi Pseudo Augustinum ad Fratres in Eremito serm. 111. *O felix* (inquit) *balneum, felix lauacrum pœnitentiæ, & lachrymarum, quòd toties vales ad purgandum, quoties purgatione indiget cor humanum.* & *ibidem* lachrymas pœnitentiæ ipsius Baptismi vicarias appellat. Accinit Chrysost. *hom. 10. de Pœnit. circa finem*, vbi de Petri lachrymis sic fatur. *Petrus tunc sentiens cepit flere, & non fleuit modò, sed amarè fleuit, secundum Baptisma per lachrymas ex oculis demonstrans.* Denique propria gynæcei cultura erat cibus lautior, ac delicatior, qui præ cæteris rebus formam splendidiorum efficere solet: hæc autem eam, quæ pœnitentiæ lachrymas insequitur, bonæ conscientie refectioem aptè significat. de qua apud Salomonem *Proverb. 5.* est illud. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* vide quæ in eum locum coniecimus de lautissimo, & delicatissimo bonæ conscientie epulo: quod appositè admodum confertur cum his delicatioribus cibus, quibus in gynæceis ad formam curandam vti solenne erat innuptis puellis. de his enim loquitur Ezechiel cap. 15. *Similam, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora vehementer nimis.* quæ verba de bonæ conscientie suauissimis, & conditissimis epulis, quibus Deus animam iustam nutrit, accipit Glossa interlinearis. Et sanè eiusmodi cibi, quos mentis securitas assiduò animæ libat, ac suggerit, non modò ipsam reficiunt, sed venustatem, & decorem maximum eidem conciliant; nec animæ tantum, sed corpori etiam venustatem afflant. Ita enim affirmat Lyra ad illa verba Dan. 1. *Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores* (id est, pulchriores,) *& corpulentiores præ omnibus, pueris qui vesebantur cibo regio.* Hunc enim venustatis florem, quem Daniel, ac socij sobrij, ac ieiuni obtinuerant, ex animi interno gaudio, ac benè sibi conscie mentis tranquillitate manasse dicit: quæ nimirum in illis delicatius, & suauius pulchritudinem nutrebat, quàm cibus è mensa regia aliis exhibitus. Possumus etiam aliter, & meliùs fortasse gynæceum instituere, & conformare; scilicet ex timore Dei, qui ad iustificationem, & charitatem animam præparat; aut ex cognitione moralium, ac naturalium disciplinarum, quæ ad fidem, & charitatem eandem animam exercet, vt infra dicemus. Pergo ad alia.

Fingitur etiam sponsa in gynæceo nuptiarum desiderio mirum in modum exardescens: cuius desiderij, ac voti contestationem contineat illa subita exclamatio, seu deprecatio. *Osculetur me osculo oris sui,* &c. vt supra statuimus. Nec immeritò, quia desiderium istud ardens vnâ cum fide, dilectionem, in qua nuptiæ consistunt, præire, ac præcedere solet. Huc spectat illud Sap. 6. *Initium enim illius* (id est, honestæ, & sanctæ vitæ, quam charitas perficit) *verissima est disciplina concupiscentia.* Quomodo autem sanctæ animæ desideria, & vota sponsi aduentum, & præsentiam præcurrant, luculenter ostendit Bernardus *Serm. 31. in Cant.* vbi sic fatur. *Deus dignatur inuisere animam*

querentem se, quæ tamen ad querendum toto se desiderio deuouit. Ignis ante ipsum præcedet, ait Propheta: Oportet enim ut sancti desiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animam, ad quam est ipse venturus. & tunc scit anima, quia iuxta est Dominus, cum se senserit illo igne succensam. Tali animæ suspiranti frequenter, & afflictanti se præ desiderio, desideratus ipse, qui ita queritur, miseratus occurrit, &c. Sed aliquid magis appositum ad rem nostram ferit idem Bernardus in Epist. 17. ad Petrum Cardinalem. *Quandiu non possumus plenè amplecti per amorem, dedit nobis interim sapere per fidem, & querere per desiderium; per quæ utique duo ad esse de non esse reducti fieri incipiamus initium aliquod creature eius.* Pende verba. fides, inquit, cum sancto desiderio nos de non esse, in quo per culpam iacebamus, ad esse transfert. At, inquires, hoc non desiderij, ac fidei, sed perfectæ charitatis proprium esse constat? Ita quidem res habet: sed tamen sicut in generatione naturali quædam sunt dispositiones vltimæ, quibus forma è vestigio succedit: ita etiam in spiritali regeneratione pro vltimis dispositionibus, quæ animam ad recipiendam charitatem, & gratiam comparant, sancta sunt desideria, ac vota cum fide coniuncta. Ideo Bernardus per hæc nos de non esse ad esse reduci affirmat; quatenus scilicet ad iustitiam, & gratiam proximè, atque vltimò disponunt animam. Subdit verò sanctus Doctor: *Sicut fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem. & sicut dicitur: Nisi credideritis, non intelligetis; sic dici æquè non absurdè potest. Si non desideraueritis, non perfectè amabitis.* & subinde sic ferit: *His ergo fortasse quasi duobus animæ brachijs, intellectu videlicet, & amore, id est, cognitione, ac dilectione veritatis amplectitur, ac comprehenditur cum omnibus Sanctis longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, hoc est, æternitas, charitas, virtus, & sapientia Dei.* Obseruanda isthæc verba.

Non solum autem istiusmodi sancta desideria, & vota ad spiritaliæ hominis generationem tanquam dispositiones præcedunt, sed eandem etiam celeriore efficiunt. Nam sicut vehementiores concupiscentiæ in puerperis partum stimulant, & accelerant: ita etiam vota, & desideria ardentiora salutis adipiscendæ, iustificationis, & regenerationis nostræ partum deproperant. Eiusmodi aliquid videre est apud D. Petrum in 2. Canon. cap. 1. nam initio sic præfatur Apostolus: *Benedictus Deus, qui per misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, &c.* Huius verò regenerationis, aut renascentiæ causam assignans infra sic ferit. *Quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia vestra desiderijs; sed secundum eum, qui vocauit vos Sanctum, ut ipsi in omni conuersatione Sancti sitis.* ut nimirum ex hac posteriori, & spiritali natiuitate renascamini filij obedientes, nempe ex inobedientibus tales effecti, non configurati prioribus ignorantia vestra desiderijs. Expende clausulæ istius energiam, & vim: quia, nisi fallor, ad illam fœminarum parientium natiuam proprietatem alludit. Nam iste earum rerum, quæ in æstu ipsius conceptus attentius oculis conspexerunt, seu mente contemplatæ sunt, formas fœtibus suis imprimere solent. Sic Galenus in lib. de Theriaca, ad Pisonem. Hippocrates citatus ab August. q. 93. in Gen. & idem August. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 5. D. Isidorus lib. 12. originum, qui vbi plura de hac re seruit, sic demùm absoluit. *Hanc enim fœminarum dicunt esse naturam, ut qualem perspexerint, siue mente cogitauerint in extremo voluptatis astu dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in usu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorumque satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem.* Galenus verò loco citato non solam cogitationem, aut contemplationem huius expressionis causam esse dicit; sed etiam desiderium, & concupiscentiam. Sic enim ait: *Eius forma, quam in conceptionis astu mulier cogitauit, amauit, ac concupiuit, speciem attrahere conceptus fœtus solet.* Ita enim sensit Medicus, ac Philosophus insignis ad imprimendam in rudi fœtu rei imaginatæ figuram, non solam cogitationem, sed etiam desiderium, & concupiscentiam posse, ac valere: hæc enim potissimum ad formas eo modo affigendas idonea est. Paulus igitur sic ait: *Non configurati prioribus ignorantia vestra desiderijs, &c.* id est, per regenerationem spiritaliæ filij obedientiæ renati estis, non utique Adami peccatoris, & transgressoris formam vobis attrahentes per praua desideria priora, quæ vos illi homini conformes effecerunt; sed Christi sancti, atque iusti figuram, & imaginem referentes per honesta, & pia desideria in ipso spiritalis regenerationis calore attractam, & expressam: quæ desideria vos eidem Christo configurant, atque conformant. Quia nimirum ipsummet Christum cogitantes, & appetentes, per celeriore quendam partum ei similes renascimini.

Huius verò regenerationis modum, & formam subnectit Petrus: *Renati* (inquit) *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in aeternum.* Et quia filij recenter nati lactatione opus habent, vt sic concrefcant, & adolescant, subdit Apostolus: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & detractiones, sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quàm suavis est Dominus.* Pende illud verbum, *sicut modò geniti*, Græcè *ὡς ἀπὸ γυναικός*. quæ vox non tantum de his, qui nuper nati sunt, sed etiam de his, qui citato partu ante menses in lucem prodeunt, enuntiari solet: nam *ἀπὸ* nonnunquam idem est quod *οκύς*, aut *maturius*. Atque adeò licet conuertere, *Sicut οκύς geniti infantes*, &c. Quasi dicat? Eapropter vos omnes sicut infantes illi, quorum partum vehementius aliquod desiderium celeriore effecit, *lac rationale* concupiscite; vel, vt alij conuertunt, *lac verbale*. Nam cum per verbum Dei renati sitis, eiusdem verbi lacte vos innutriti oportet: nullum enim lac infanti salubrius, quàm matris, quæ ipsum enixa est.

Sed cur, inquires, id suadet Petrus fidelibus, vt nimirum sicut infantes ante menses editi lac concupiscant? In promptu est ratio. Sanè infantes illi, quorum partus vehementior aliqua concupiscentia incitauit, seu accelerauit, nuper nati matrum suarum vbera tamdiu respuere solent, donec eius rei, cuius desiderium partum eorum stimulauit, quidpiam tenellis labris, & palato gustandum infundatur, aut instilletur. Ita docet experientia, & ex Medicis sic præcipiunt Cornelius Celsus, Auicenna, & alij. Ergo Petrus, nisi fallor, hoc ipsum respiciens, ita suadet. Sicut infantes per Dei verbum ex concupiscentia, & desiderio salutis, atque melioris vitæ, celeriori partu in lucem editi, nolite matris vestræ vbera detrectare, ac respuere; sed magis illa appetite, & concupiscite, vt eorum auxilio crescatis. Nam etsi infantes, quorum nixum vehementior appetitio incitauit, materna vbera ex tædio respuere soleant, à vobis utique hoc tædium longius aberit; *si tamen gustetis, quàm suavis est Dominus.* si illius vitæ, & conuersationis, quæ secundum Christum est, & ex cuius desiderio οκύς renati estis, gustum aliquem percipiatis. Ita enim experientia duce nouimus honestioris vitæ primum gustum, probitatis, & honestatis perpetuam quandam appetentiam in piorum hominum animis excitare, & mouere.

Itaque ex dictis liquet, illa pietatis, ac probitatis desideria, quæ iustificationem nostram præcedunt, ad ipsam accelerandam, & properandam plurimum facere. quod similitudo ex nuptiis petita non minùs eleganter ostendit. Nam desideria & vota nuptiarum non solum priora, sed etiam ardentiora esse solent in fœminis, quàm in viris. Priora quidem sunt, quia fœminæ duodenæ pubertatem attingunt, & exinde nuptiarum appetitione tanguntur: viri verò quatuordecim, & maiores natu ad pubertatem perueniunt, & vix tunc de nuptiis aliquid cogitant. Ardentiora verò sunt prædicta fœminarum desideria, quia licet ipsæ viros plerumque expectent, vt ab his petantur, atque rogentur, id quidem naturalis pudor, & rusticitas facit. Sic enim cecinit de fœmina Ouidius,

At si rusticitas non vetet, ipsa rogat.

Et alibi ita decernit, quòd si viri ita secum deliberarent, ne quis fœminam aliquam ambiret, ac peteret, ipsæ certè longè ardentius viros & ambirent, & peterent, quàm viri ipsas. Sic enim scribit:

Conueniat maribus, ne quam nos ante rogemus,

Fœmina iam partes dicta rogantis aget.

Rationem autem huius appetentiæ, quæ fœminas in primis tenet, obtulit Iurisconsultus ad legem, *& si crimine, C. de adulterijs*, quia mulieres suis affectionibus, & cupiditatibus imperare minùs possunt; & quia ante nuptias arctiori clauduntur custodia, quàm viri, atque adeò laxiorem illam libertatem, ac licentiam, quam nuptiæ afferre solent, auidius desiderant. Nec longè absum, vt putem hoc sensu donanda esse illa verba Ieremiæ cap. 31. *Quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* id est, aliquid nouum, atque insolens, Deo parante, continget in terra: nam contra solennem hominum morem, inter quos viri fœminarum nuptias ambire, ac rogare solent, fœmina hæc viri coniugium rogabit, ac petet. quæ verba siue de Ecclesia, siue de anima iusta accipiantur, facillè declarant, quàm idonea comparatio desumatur ex puella nuptias impensius optante, & deprecante, ad significanda illa vota, & desideria salutis, quæ iustificationem præcedunt. Hæc enim similitudo præclare

præclare innuit, eam animam, quæ Christo Domino sponso suo spirituali connubio, tanquam sponsa copulari, & adiungi ocyus simul & ardentius exoptat, non frustrari votis suis, sed tandem aliquando desideratis osculis, & amplexu potiri.

Repetamus ergo memoriâ id quod nuper in sono allegoriæ præmisimus, scilicet sponsam tunc cum osculum, & vbera sponsi sui rogat, ac petit, nuptias quidem deprecari, ac rogare, quæ nimirum osculo, & amplexu publico sanciri, & firmari solebant, ad notandam duplicem illam vnitatem animorum & carnis, quam nuptiæ ratæ, & consummatæ includunt. Igitur sponsam, id est, piam, & iustam animam in eo statu, quem hæcenus descripsimus ante nuptias, mente nostra ponamus: nimirum fingamus illam habentem fidem, & cognitionem mysteriorum Dei, quæ locum sponsalitiij pacti tenent, & donatam quoque gratia excitante, quæ munerum antenuptialium vices agit: insuper pœnitudinis, ac doloris motu peccatorum labe expurgantem, lachrymisque abluentem (in his enim spiritualis gynæcei tota forma continetur) ac demùm ipsarum nuptiarum quamprimum contrahendarum desiderio inflammata, & accensam, morâque omnes ægrè ferentem sic demùm profari. *Osculetur me osculo oris sui. quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia*, (id est, fragrantiora) *unguentis optimis*. id est, liceat tandem ipsi per nuptias legitimas copulari: liceat, inquam, ipsi libare osculum nuptiale, quod eam, quæ per charitatem perficitur, animorum, ac spirituum vnionem apprimè notat. Fas sit eidem nuptiali quoque amplexu vinciri, & adstringi, qui iam vnionem carnis, quam vel Incarnatio Christi, vel Eucharistiæ vsus agglutinat, præclare adsignificat. In his enim duobus, scilicet animorum & carnis vinculis, spirituales nuptiæ Christi, atque animæ sitæ sunt. quas nuptias sancta anima præfert vino, id est, lautioribus epulis, & vnguentis, seu aromatibus illis, quibus forma curabatur in gynæceo. quæ omnia pœnitentiam, lachrymas, & dolorem, de peccatis susceptum, & qui cum his cohæret, bonæ conscientiæ gustum, & saporem adsignificant, vt nuper dicebam. Ab his enim animus spiritu expurgato ad charitatis arctissimos modos, & carne mortificata, ad eam vnitatem carnis quamprimum transit, quæ spirituales nuptias consummat. Itaque spirituale gynæceum, quod animam, carnemque ad spirituales nuptias comparat, iuxta nuper dicta sic concipere debemus, vt tota pœnitudinis ratio, siue quæ animum per internum dolorem purgat, & per assiduas lachrymas lauat, siue quæ carnem per voluntarios cruciatus, & mortificationem conterit, ipsissima gynæcei cultura sit. Prior enim animum disponit ad intimam vnionem cum Deo, per quam homo vnus spiritus fit cum Deo. Posterior vero corpus præparat ad corpoream vnitatem cum Christo, per quam demum in vnam & eandem cum ipso carnem coalescit, vt nihil ad ratificationem, & consummationem nuptiarum desit, quæ per osculum, & amplexum aptissimè notatur, & per charitatem, & vsus Eucharistiæ perficitur, vt supra in prophetica expositione constitui.

Et quidem huc spectant sanctissimæ Gertrudis præclara verba diuinarum insinuationum *lib. 4. cap. 29.* vbi sic habet. *Feria tertia Paschæ dum communicans desideraret à Domino, vt per idem Sacramentum viuificum renouare dignaretur in anima eius matrimonium spirituale, quo ipsi in spiritu erat desponsata, Dominus blanda serenitate respondit: Hoc, inquiens, indubitanter faciam, sicq; dignantissimè inclinatus ad eam, blandissimo affectu eam ad se adstringens osculum prædulce animæ eius infixit, per osculum quidem renouans in ea interiorem spiritus vnitatem; per amplexum vero imprimere videbatur pectori eius monile quoddam splendidissimum, gemmis pretiosis mira vermiculatione exornatum; per quod reformauit in ea quidquid caro vitiauerat, & quidquid neglexerat in exercitijs spiritualibus, quibus potuisset insudasse.* Hæcenus illa de vtraque vnitate, spiritus & carnis, cui Deus illa sentire & experiri concessit, quæ in alijs iustis gratia & Eucharistiæ vsus perficit.

Rursus aliter de gynæceo decernere, ac proinde locum istum alio sensu donare licet. Sic enim apud te statue, timorem Dei animæ nuptias Christi optanti, & ambienti pro gynæceo esse, à quo ad charitatis nuptias tempestiuè migrat. Repete memoriâ ea, quæ gynæcei sunt propria. hoc enim domus erat, in qua clausæ continebantur puellæ innuptæ sub potestate custodis, seu nymphagogi, balnea, vnguenta myrrhina, aliaque pigmenta ad curadâ formam, & deliciares epulas ad pulchritudinem comparandam adhibentes, vt in sono allegoriæ diximus. eadem prorsus de timore Dei concipe. Audi Augustinum in *Ser. 18. de Verbis Domini*, de timoris Dei custodia pulchra serenem. *Time, inquit, vt ista formido custodiat te, & perducatur ad dilectionem: timor enim iste,*

quo gehennam times, & idcò malè non facis, continet te, & sic volentem peccare animo interiore non sinit. Est quidam custos timor, & quasi nymphagogus custodiat te timor iste, donec veniat charitas. quasi dicat, tamdiu anima tua velut in gynæceo sub potestate huius nymphagogi, & custodis fit, donec maturam coniugio ad charitatis nuptias transire liceat. Accinit etiam Bernardus in serm. 54. super Cant. Time, inquit, quia si non times, dereliquit te custodia tua. & in altero sermone ex paruis: Timor Dei ad sui custodiam excitat, & tanquam custos animæ presidet. Habet etiam hîc timor balnea, & lauationem. Succedant memoriæ sex illæ hydriæ, de quibus Ioannes cap. 3. Erant, inquit, lapideæ hydriæ sex, posite secundum purificationem Iudæorum. id est, ita paratæ, vt Iudæi de more corpora sua tingerent, & lauarent. De his ergo Bernardus ser. 2. in Dominic. 1. post Epiphaniam, sic ferit. Tu precipuis, inquit, vt vasa lauationis, & purificationis impleant. Implete hydrias aqua. Quæ est autè aqua sapiëntia salutaris, etsi non adeo suavis, nisi fons vitæ, & initium sapiëntiæ timor Domini? Dicitur ergo ministris: Incutite timorem, & spiritu timoris non tam vasa, quàm corda implete ad spiritualem ablutionem. Et paucis intercalatis. Sed quomodo implentur hydriæ? Prædicat Euangelista capientes singula metritas binas, vel ternas. Quæ sunt duæ metritæ, & quæ tertiæ? Vtique duplex timor Dei communis, & notus omnibus, & tertius minùs communis, & minùs notus. Primus timor est, ne cruciemur in gehenna; secundus, ne exclusi à visione Dei priuemur tam inestimabili gloria; tertius replet animam omni sollicitudine timida, ne fortè deseramur à gratia. Præcipit ergo Dominus, vt hac aqua hydrias impleamus, quæ tunc mutatur in vinum nuptiale, cum timor expellitur à charitate, & implentur omnia feruore spiritus, & perfectæ deuotione. Hactenus Bernardus, qui ne quid in ipso desiderare possis, vt ad nostram rem appositius diceret, de præfatis hydriis ita præmisit: Necessè habemus his lauari, vt ad nuptias admittamur, nisi fortè voluerimus propter scèditates nostras à Domino accipere libellum repudiij. Rursus idem Bernardus in lib. sententiarum circa finem: Fontes, ait, quibus iusti se balneant, sunt Ior, & Dam, fontes Iudææ. In altero autem, nempe in Dam, qui iudicium interpretatur, diuinæ correptionis timorem contemplatur; in quo iusta anima affiduo sese mersans, sordes, & maculas ex peccatis contractas abiicit. Quid plura? Habet etiam Dei timor pretiosa vnguenta myrrhina, quibus animæ pulchritudinem excolit. Audiendus idem Bernardus sermone 10. in Cantic. vbi sic habet: Primum vnguentum optimum, & purgitiuum est id, quod anima Dei timore excitata, & multis irretita criminibus, sibi ipsi conficit, si cum incipit cogitare vias suas, colligat, congerat, conteratque in mortariolo conscientie multas ac varias species peccatorum, & intra æstuantis pectoris ollam simul omnia coquat igne quodam penitentiæ, ac doloris. Ecce hoc est vnum vnguentum, quo anima peccatrix suæ conuersionis primordia condire debet, &c. Ac demùm ne quid desiderare posses ex his, quæ gynæcei sunt propria, habet certè timor lautitias suas. Ad stipulatur huic sententiæ Dauid in Psal. 30. vbi sic ait. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Sed adeundus quoque Bernardus in homil. infra octauam Epiphaniæ. Cernis, ait, ni fallor, quàm necessarium, & utile est inter bonorum operum exercitia per triduum hoc Hierosolymiticæ frequentare delitias, in quibus timor Dei ministrat panem doloris, scientia vinum exultationis, bonitas lac consolationis. Scio te nunc mirari, quòd delitias dixerim, quibus dolorem non deesse commemoravi, cum expertus sim sapius, quòd dolorem illum, qui de casto timore Dei procedit, omnibus huius mundi delitijs mens compuncta præponit.

Habemus igitur ex dictis in timore Dei cunctam gynæcei rationem, & formam inueniri, per quam anima iusta veluti sponsa recens ad charitatis nuptias præparatur, & expolitur. Quapropter aliam superiori non valde dissimilem expositionem conformare licet ad hunc modum: Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia, seu fragrantiora vnguentis optimis. id est, faxit Deus, vt cum sponso meo Christo legitimas nuptias osculo, & amplexu publico firmatas contraham; hæc enim vnguentis, ac vino facillè præfero: his nimirum epulis, & aromatibus antepono, quibus hactenus in gynæceo posita vsa sum, ad futura connubia formam curans. Quasi dicat: Illud impensius opto, vt à timore Dei excedens, qui mihi pro gynæceo hactenus fuit; in quo scilicet custodiam, nymphagogum, balnea, pigmenta, vnguenta, & delicatas epulas, aliaque formæ medicamenta hactenus habui, ad eas nuptias legitimas traducar, quas vnitas spirituum per osculum adumbrat, & media charitate ratas efficit, & carnis vnio per amplexum notata, Eucharistia intercedente, consummat. Hoc enim charitatis proprium, vt timori Dei succedat, & ipsa succedente, timor exulet.

exulet. iuxta illa verba Ioannis. *Perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet.* Quapropter appositè admodum timori gynæceum, & amori nuptiæ adscribuntur.

Quomodo verò ea vnitas carnis, quam Eucharistia perficit, per osculum, & amplexum notetur, exponit Gerson super *Magnificat*, tract. 2. *Alph. 81. lit. z.* his verbis. *Ista dum dicis, quare non recogitas sacerdotium tuum? ratione cuius fas est quotidie filio Dei, & hominis oscula dare, & amplexus cingere, ipsum cernere, ipsum gestare, contrèctareque manibus, qui mutauit te in se, ut sis ipse in eo, & ipse in te. Væ mihi, quantum verear illud improprium frequenter impingi posse mihi. O Iuda, osculo filium hominis tradis? Prohibeat à seruis suis hoc improprium Deus, faciens, ut homo dignitatem huius osculi sacramentalis semper attendat eminentiorem esse, quàm fuerit præsentia corporalis, &c.*

Denique Origenes *hom. 1. in Cant.* per gynæceû, in quo sponsa, id est, anima, ad nuptias præparatur, & excolitur, moralis, & naturalis doctrinæ cognitionem, & exercitium accipit. Sic enim scribit. *Simili autem expositione utimur, etiamsi ad vnâ animam in amore, & desiderio dispositam transferatur hic sermo, cui fuerint omnes doctrinæ per ordinem decursæ, in quibus ante cognitionem Dei exercitata videtur, & erudita, siue ex moralibus descendens, siue ex naturalibus scholis. Erant enim ei omnia ista aromata quadam pro eo, quòd in his institutio probabilis, & morum conquiratur emendatio; & quia deprehenditur in his bonitas sæculi, & caducarum rerum respuuntur falsa miracula. Erant ergo ei hæc omnia, velut aromata, & odoramenta quadam animæ pigmenta. Sed ubi ad cognitionem diuinorum mysteriorum, & diuinorum dogmatum ventum est: ubi, inquam, anima ad tantam cognitionem & amorem accessit arcani, meritò dicit, Odor unguentorum tuorum, spiritualis scilicet intelligentia, & mystica, super omnia aromata moralis, naturalisque Philosophia.* Hactenus Origenes, qui de gynæceo non ineleganter statuit ipsum in moralis, & naturalis doctrinæ cognitione poni, quatenus hæc ad fidem, & charitatem præparat. Naturales enim disciplinæ earumque cognitio ad fidem comparant & disponunt. tum quia mentem excolunt, & ad capienda diuiniora, & sublimiora exacuunt. tum quia, ipsius fidei mysteria nihil cum principiis naturæ pugnans continere ostendentes eidem fidei liceat sic dicere, fidem & auctoritatem comparant. Et si verò doctrina & contemplatio ad charitatem disponit animum dum more informat, virtutes inferit charitati, obsistentia vitia remouet. Cùm autem diximus ex Origene eiusmodi scientias, & disciplinas tam naturales, quàm morales ad charitatis nuptias animam præparare, non ita intelligimus, vt præfatæ disciplinæ humanæ sint causa, aut initium iustificationis nostræ; absit: sed quia eatenus fidei obseruiunt, quatenus cum illius principiis cohærentia, & consonantia docent, ac tradunt. Sed huic expositioni non multum tribuo.

Appendix ex testimonijs Patrum pro superiori expositione.

Diuersas quoque, ac dissimiles valde expositiones ad piam animam spectantes coniiciunt Patres in hæc verba. *Osculetur me osculo oris sui.* Ambrosius semel hæc verba sponso tribuit, quem animæ sponsæ suæ oscula deprecantem describit hoc modo in lib. 5. de Sacramentis cap. 2. *Venisti ad altare, vocat te Dominus Iesus, vel animam tuam, & ait: Osculetur me osculo oris sui. Videt te mundum ab omni peccato, quia delicta de terra sunt, & ideo te Sacramentis celestibus dignum iudicat, & ideo inuitat te ad celeste conuiuium.* Quia propterea osculi nomine Eucharistiæ vsum notari voluit; quia, vt supra dicebam, Sacerdos rem sacram conficiens de Christi nomine cunctis fidelibus osculum mittebat; vel quia maximè proprius Eucharistiæ effectus est fidelium inter se & cum Christo concordia, quam osculum apprimè notat. Sed tamen idem Ambrosius *ibidem*, ait eadem verba eodem sensu sponsæ, id est, animæ, Christum sponsum alloquenti tribui posse, animæ, scilicet corpori, & sanguinis Christi Sacramenta osculi nomine flagitanti. Accinit etiam Theodoretus. Redeant illa verba, quæ supra dedimus. *Ac ne quis osculi vocabulo perturbetur, consideret, quemadmodum mystico sponsi tempore corpus illius suscipientes amplectimur, & osculamur, atque oculis cordis imponimus, & animo, & cogitatione quasi complexus quosdam, & congressus nuptiales effingimus.* Obseruo illa verba. *& oculis cordis imponimus;* respiciunt enim solennem disuauiantium morem, qui oscula non tantùm ori, sed oculis etiam libare solent. Eapropter Plinius secundus sic de noua nupta: *Oscula ore, atque oculis dedit, accepitque.* id est, excepit oculis, ac re-

tulit. Fortasse autem ad hoc spectauit Origenes, qui per osculum internas Dei illuminationes, & illustrationes concipiendas esse affirmans, vt distinguntur à verbis Doctorum monentium, quæ foris tantum insonant. *Sit, inquit, illi pro dote eruditionis doctrina à monitoribus, Doctoribusque descendens. Sed quoniam in his non est plena desiderij sui, & amoris expletio, deprecatur, vt mens eius pura, & virginalis ipsius verbi Dei illustrationibus, & visitationibus illustretur. Cum enim nullo vel Angeli, vel hominis ministerio, diuinis sensibus, & intellectibus oculus mentis impletur; tunc ipsius verbi Dei oscula suscipere se credat.* Sensus autem verborum hic esse videtur. Mentis oculus, qui ad eum modum illustrari dicitur, idem oscula suscipere dicatur. Et sanè si ita res habet, & verum est id, quod præmissa Plinij verba innuere videntur, scilicet in nuptiis non vnum tantum osculum ori ab sponso sponsæ affigi, sed alterum etiam oculis imprimi solitum; de illius significatione ego ita censerem. Quod nimirum sicut osculum oris, quod permixtis, & quasi inhalatis alterutrinque spiritibus fit, animorum vnitatem adsignificat: ita etiam osculum oculorum, arcanorum, & mysteriorum communionem notaret; hæc enim amoris coniugalis non minimam partem continet: oculi enim mentem, (quia animæ, ac mentis præcipua sedes sunt,) adumbrant: os verò oculis ad motum sermones, & eloquia menti instillata non obscure designat. Et hæc videtur Origenis sententia, dicentis. *Cum diuinis sensibus, & intellectibus oculus mentis impletur, tunc ipsius verbi Dei oscula suscipere se credat.*

Quapropter lectionem illam, quam septuaginta Interpretes amplexi sunt, *Osculetur me ab osculis oris sui.* & non vnum tantum osculum, sed plura continet, de duplici illo oris, & oculorum osculo interpretari fas est; ita vt vtrumque deponat noua nupta, id est, anima iusta, & sub his mysticè externam prædicationem, & internam inspirationem postulet, sine qua sola prædicatio vana, & inanis est; vel, si placet, spirituales vnitatem cum Deo, & secretorum manifestationem poscat, quæ præfatam vnitatem consequitur, & amicitia semper hæret. iuxta illud, *Vos autem dixi amicos, quia omnia quacunq; audiui à Patre, in eo nota feci vobis.* Hæc dixerim, quamuis Origenes de lectione illa, *ab osculis oris sui,* aliter censeat. Sic enim addit. *Cuiuscumque obscuri, & arcani sensus illuminatio, & illustratio osculum quoddam Verbi ad animam delatum est.* Cum Origene concinit Ambrosius in lib. de Isaac & Anima cap. 3. *Non vnum (ait) osculum quarit, sed plura oscula, vt desiderium suum possit explere. Multa Verbi oscula desiderat, vt illuminetur diuinæ cognitionis lumine: hoc est enim osculum Verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ.* & multa alia subnectit in hanc sententiam.

Nyssenensis de infusione spiritualis vitæ, quæ per Dei gratiam quasi immissio, & inhalato spiritu fit, hæc verba concipit: nam inter alia sic addit. *Quia verba sponsi, spiritus, & vita sunt; quicumque autem conglutinatur spiritui, fit spiritus; & qui vitæ coniungitur, transit à morte ad vitam: propterea spiritualis anima desiderat appropinquare fonti vitæ, nempe ori sponsi, vnde scaturientia verba vitæ æternæ implent os assidue ea attrahens.* quibus verbis osculorum metaphoram aliter exponit. Nam iustam animam ideo multa oscula sponsi deprecari dicit, vt os suum illius ori adiungens, de spiritu illius rapiat, atque inde animetur, & viuat. Sicut enim corpus externum istum aërem hauriens viuit: ita etiam anima ipsum Dei spiritum per assiduas eiusdem inspirationes carpens animatur, ita vt necessum sit animæ singulos Dei halitus per singulos haustus arripere, atque ad eò oscula multiplicare.

Rursus etiam Nyssenensis, quia oscula non nisi præsentibus libantur, & his, quibus iam perfruimur; id quidem ab anima iusta plurimum osculorum nomine flagitari dicit, vt Christi Domini præsentia sibi perfrui, atque ad eò oscula repetere ipsi liceat: ne scilicet vnquam absit Deus, & ipsam solitariam relinquat. De hac autem Dei absentia multa comminisci fas est.

Ad hæc præfata lectioni, quam Græci Patres sectantur, *Osculetur me ab osculis oris sui,* inferuiunt ea omnia, quæ Bernardus scribit de tribus osculis, scilicet pedum, manuum, atque oris, in quibus tres vitæ spiritualis gradus contemplatur, incipientium, proficientium, & perfectorum: (si nimirum cum eodem Bernardo præfata verba non quidem sponsæ, sed sponso tribuamus animæ oscula expetenti. lege apud ipsum.) Et idem videre est apud Gerfonem tract. 2. super Magnificat. Alph. 81. lit. Z. & seq. vbi triplex quoque osculum numerat, *vnnum reonciliationis, aliud benedictionis, & alterum dilectionis.* Et infra aliam osculorum triplicitatem comminiscitur, *corporale, sacramentale, & figurale.* & de his non pauca ferit, ac demum sic addit. *Os suum aperuit Christus*

Christus, cuius tot sunt oscula, quot verba. Et post pauca. Ipse quidem Christus os aperuit Prædicatorum, & Doctorem, qui sapientiam eruçant porrigentem oscula volentibus. Dicuntur autem Prædicatores os Dei, quia separant pretiosum à vili. Ad hunc modum allegoria de multis osculis replicari potest. Venio ad vnum.

D. Gregorius. *Osculum (inquit) oris dulcis est amor inspirationis. Et subinde. Quia cum osculum eius sentio, subita mutatione me derelinquo, & in eius similitudinem illico liquefacta transformor, &c.* Cape Gregorium; vult enim piam animam, cum osculum petit, id certè expetere, vti sponsus os ori, & faciem faciei applicans ipsi veluti ceræ cupiam per amorem mollitæ, & liquefactæ formam imprimat suam. Adscribendus etiã hoc loco Gerson super Cant. Cant. 3. p. partit. 2. Alph. 97. lit. z. *Osculum (inquit) vel osculatio & amplexus totius sponsi dignissima est impressio, per illapsum secretum in anima, quod petitur, atque conceditur ab sponsa ad facilius tolerandum exilium præsens. Itaque osculum est illa suauitas, & intima consolatio, iucunditas, & exultatio, quocumque modo fiat, ac sentiatur in anima secundum portionem virginalem, quæ mens dicitur, vel apex mentis.* Et statim addit eiusmodi osculum spiritualis delectationis, quod in via carpitur, visionis Dei claræ vices tenere ad fallendam absentiam peregrinationis huius. Et infra. *Caput autem Christi Deus, qui per deuotionem singularem osculari dicitur ore ad os, quia nullum interponitur medium creatura separatiua. Hinc est illud Dionysij à Paulo diuinitus edocti. Benignus Iesus venientes ad se totus totos deosculatur, atque adeò totos ad se transfert.* Pende energiam horum verborum, quæ planè concinunt cum sententia Gregorij. Quasi dicat, totus totos per singulas sui partes contingit, vt ipsis formam imprimat suam. Vel aliter, totus totos exosculari dicitur, quia cum Christus diuinitate, & humanitate constaret, per eam vnitatem, quam osculum adsignificat, non modò humanitatem, sed etiam diuinitatem cum ipsis copulauit, totus totos ad se ipsum transferens, ac sibi deuinciens, in homines Deificos, ac Deos quoque humanos conuertens.

Quia meliora sunt vbera tua vino. Interpretationem Patrum de Ecclesia, quam in superiori appendice dedimus, animæ quoque aptare procliuè est. Relege per otium multa, quæ ibi præscripsimus, & pauca nunc accipe. Origenes hom. i. in Cantica. *Homo, inquit, donec paruulus est, & nondum semetipsum ex integro obtulit Deo, bibit vinum, & bibens latificatur ex vino (id est, indiget consolatione diuina.) Cum autem obtulerit, & deuouerit se ipsum Deo, & Nazareus fuerit effectus, & ad ipsa vbera, fontesque peruenit Dei, vinum, & siceram iam non bibit, dicens ad ipsum: Quia bona sunt vbera tua super vinum.* quibus verbis Origenes per vinum spirituales lætitiæ concipit, quia vini proprium est lætitiæ cordi inspirare: in lacte verò robur, & fortitudinem meditat, quia lac ex vberibus, ac pectore manat, vbi fortitudo, & robur præcipuè sedet.

Philo Carpathius cum per vbera sponsi duo Testamenta, nouum, & vetus, accepisset, ita de anima subnectit. *Hæc lactis potio illis salutaris est, qui diuinis rebus intenti, ita mente, ac lingua sacras literas sugunt, vtque in ventrem, sic & in cor exsucta coniciunt, indeque dolorificas penitentiæ purgatiuas, & salutare peccatorum medicinas assumunt.* Cape Philonem, nam verba illius elegantem valde sententiam cohibent. Non infuetum est Medicis, cum tenerrimum adhuc puerum morbo aliquo laborantem sanitari restituere volunt, amaram portionem nutriti hauriendam præbere, quam puer præ teneritudine accipere non potest, vt nimirum purgatiuam illius potionis virtutem decoctam, & mitem cum lacte combibat, atque eo auxilio exitiales humores egerens ex morbo conualescat. Id ipsum (inquit Philo) de Deo concipiendum est, qui nutriticem benignissimam agens, duorum Testamentorum, quasi duorum vberum lacte homines implet, dolorificas purgatiuas, & salutare medicinas cum lacte ipsis tanquam infantulis infundens, seu instillans. Nam in Scripturis sacris (liceat sic dicere) omnis purgatiua virtus, id est, omnis exhortatio ad pœnitentiam, dolorem, & laborem, quæ per se amara, & austerâ existit, veluti lactescit, & dulcescit, ita vt paruuli etiam infantes spiritu ipsam auidè arripiant.

Iustus Orgelitanus de euangelica doctrina sic scribit. *Idcirco vbera sponsi meliora vino probantur, quia euangelica doctrina eminentior est, quam lex olim data: illic enim figura, hic veritas, &c.* Extrema verba Orgelitani, nisi fallor, naturales lactis, & vini proprietates respiciunt: vinum enim figuras excipit, ac reddit: lac verò ob nimium candorem nullas concipit formas. Atque adeò sensus est. Præstat Euangelium legi, quia in lege ceu in vino figuræ multæ; in Euangelio verò ceu in lacte candor, & veritas. Reliquam huius Doctoris sententiam habes in superiori appendice.



Aponius verò de eadem doctrina, quam Christi vbera Apostolis propinarunt, & hi ad reliquos Ecclesiæ fideles transmiserunt, sic lepidè scribit. *Huius doctrina lacte vitam æternam conferente prædicta vbera Christi Domini nostri manantia, de cuius pectore vitam æternam per candorem doctrina in Apostolis infusa, quasi per vbera in credentibus suscipit Ecclesia, & suis posteris quasi ex lacte butyrum effectum per interpretationem sermonis quotidie porrigit. Nam primum in se continet Sacramentum per lactis naturam, id est, liquorem, & cum fuerit arte subactus liquor, reddit butyrum: ita & lactea Apostolica doctrina, cum inuenerit magistrum, declaratur, &c.* Iam tenes sententiam Aponij, qui Evangelicam doctrinam, quam Christus per Apostolos effudit, lactis instar ex vberibus manantis obtinere affirmat. Quia sicut lac liquidum facilè effluit, ita etiam illa doctrina præ subtilitate elabatur quodammodo, atque rudiorum mentes fugit: eandem verò, cum à sacris interpretibus per varias expositiones, & declarationes veluti subacta, & compressa est, butyrum imitari dicit, quia nimirum per dictas interpretationes veluti crassescit, & pinguescit, ita ut ab imperitis etiam capi, ac teneri queat.

D. Gregorius, ubi per duo sponsi vbera utramque dilectionem Dei, ac proximi, & per vinum temporarias huius vitæ curas capiendas esse dixit, non inelegantem antithesim vini, atque vberum subnectit. *Sed vbera sponsi vino meliora existunt, quia illud oculos mentis turbat, hæc acuunt: illud apostatare facit sapientes, hæc ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt.* Quorum verborum leporem facilè assequetur ille, quisquis considerauerit id, quod tradit Galenus in lib. de tuenda sanitate, nempe oculorum imbecillitatem, aut robur in paruulis à lactatione ipsa plerumque manare. *Lac (inquit) parentis, aut nutricis, si pingue sit, oculorum aciem iuuat: quod verò macrum est, ac tenue, visum parum acutum reddit.* Atque ibidem affirmat puerum quendam capreæ, aut dorcadis lacte pastum tam acuti visus euasisse, ut res valde diffitas oculis clarissimè obiret. Illud etiam exploratum est, vini intemperantem vsus oculos hebetare, ac perstringere: nam meri vis caput inuadens, etiam illa, quæ propè sunt, oculis eripit. Vnde ebrius quidam apud Xenophontem in Cyropæd. sic exoptulat. *Va quia nec vicinas res, nec me ipsum præ fumo, ac nebulis videre licet.* Iam igitur tenes Gregorium. Vinum (inquit) temporalium curarum, & terrenæ affectionis oculos turbat; atque adeò efficit, ne quis proximos quosque, vel se ipsum videat: nimirum in causa est, ne homo vel his, qui sibi amicitia, aut alio nomine coniuncti sunt, imò nec sibi ipsi fati prospiciat. Duo verò vbera sponsi pinguißima vtriusque dilectionis lacte manantia oculos acuunt, ut non proxima tantum, sed etiam distantissima quæque videre queant: hoc est, ut non amicis tantum prouideant, sed alienis etiam, atque inimicis prospectum velint.

Ambrosius in lib. de Isaac cap. 3. sic habet: *Anima osculum poposcit, Deus Verbum se ei totus infudit, ei nudavit vbera sua, hoc est, dogmata sua, ut interiores sapientia disciplinas, quibus capta iam dicit vberiore esse incunditatem diuinæ cognitionis, quam letitiam corporeæ voluptatis.* Et sanè Ambrosius eò spectauit, ut significaret Deum, non tantum postulatis, ac votis acquiescere, sed etiam vota, & petitiones nostras superare solitum. Petiit enim sponsa osculum, at sponsus non osculum tantum libauit, sed vbera etiam sua eidem haurienda tradidit. Ideò sponsa post petitionem osculi adiecit: *Quia meliora sunt vbera tua vino, &c.* significans non modò osculum expetitum à se obtentum, sed insuper vberibus ex venia sponsi sui potitam fuisse.

Ioannes Gerson in tractat. 2. super Magnificat, lepidam rationem offert, ob quam Sulamitis sponso tribuit vbera. sic enim scribit: *Non surgit autem incongruitas ex eo, quòd sponso dentur vbera, quia amor diuinus nescit sexum, apud quem non est masculus, neque femina, &c.* Non est, inquam, in illo vnus sexus discretus ab alio, sed vtrumque complectitur; quippe qui tam fœminæ, quàm virilis affectionis condiciones in se ipso exprimit. Est enim fœmineus, ac maternus amor cum primis tener, ac dulcis: virilis verò, ac paternus robustus valde, ac fortis. Atque adeò sponsa uti in Christo sponso suo omnes istas amoris circumstantias conuenire monstraret, in virili sexu vbera, & mammas tribuit, tenerum simul, ac fortem amatorem illum esse decernens.

Deinde verò sic Gerson attextit: *Meliora sunt vbera tua vino. Bibit certè vinum sponsi sponsa viatrix, sed per vbera sponsi transfusum, & lac factum. Alioquin debile nunc cerebrum sponsa vini puri virtute turbaretur. Exemplum dant nobis nutrices, quæ paruulis infantibus, si sagaces sunt, vini puritatem non ministrant, sed quod in suum lac conuersum est: sunt enim hac ratione nutricis vbera meliora vino.* Statim verò per vinum intelligit humanæ

humanæ, ac terrenæ sapientiæ disciplinas, quæ si meræ, ac puræ sumantur, ebrietatem menti adducunt: si verò eas sponsus intra vbera sua, id est, per sacros Doctores, & magistros (quos vberum nomine censerî putat) conceptas in lac verterit, id est, ad mores formandos, & fidei dogmata constabilienda traduxerit, vtilis, ac salubres omnino fiunt, & caput auditorum minimè tentant. Eadem verò similitudo longè aptius quadrabit, si per vinum in hoc loco correptionis, animaduersionisque austeritatem, & seueritatem accipiamus, cum Bernardo, & aliis. Cùm enim illam sponsi vbera, id est, Doctores, & superiores per lenitatem, & mansuetudinem in cuiusdam suauissimæ, ac placidissimæ adhortationis lac conuerterint, ac subditis propinauerint, infirmis, ac paruulis longè salubrior, atque vtilior est, quàm cùm vini ad instar pura, meraque eisdem exhibetur. Et eodem modo alias expositiones tute tibi efformare poteris.

Circa extrema illa verba, *fragrantia unguentis optimis*, aliquid occurrit addendum, quod in superiori appendice de Ecclesia præscripsimus, quod ad animam transferre procliuè est. Septuaginta locum istum sic extulerunt: *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Atque adeò Patres, qui lectionem istam tenuerunt, hanc aromatum fragrantiam Christo tribuunt. Ex quibus Origenes homil. i. ex quatuor. *Venit* (inquit) *sponsus delibutus unguentis, nec aliter ad sponsam poterat ipse venire; nec debebat aliter pater ad nuptias filium mittere. Quapropter varijs eum unxit unguentis, fecit illum Christum, venit diuersis odoribus spirans*. Et post pauca ideò Christi Domini unguenta alijs aromatibus præferri dicit, quia Christi sacerdotium, & regnum, quæ per unguenta notantur, antiquis sacerdotiis, & regnis facillè superiora fuere. Accinit Philo Carpathius. Nec dissonat Aponius, quamuis hic non regnum, aut sacerdotium in Christo existens, sed ab ipso institutum, & alijs creditum, seu donatum accipiendum putat. Sic enim ait: *Hoc autem Christi unguentum tantum in se gerit virtutis fragrantia simul, ac medicina, ut omnes credentes sanissimos reddat, Reges, & Sacerdotes constituat*. Sed hæc omnia ad sequentes versus interpretationem spectant.

Tres Patres apud Theodoretum per sponsi odorem unguenta alia superantem, non aliquam suaueolentiam in ipso existentem, sed participationem bonitatis diuinæ accipiunt, quæ per omnes creaturas effusa Deum ipsum nobis veluti subodorandum præbet. Rursus iidem Patres sacram Scripturam per odorem sponsi intelligunt, quia per illam Dei voluntatem quasi subodorantes assequimur. Theodoretus verò ipse transfert ad hunc sensum verba illa Pauli, *Christi bonus odor sumus*. ac per odorem istum, qui à Christo in nos redundat, gratiam intelligit, & reliqua Spiritus sancti dona, quæ ex plenitudine illius in reliquos homines promanarunt. Reliqua habes in superiori appendice.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de B. Virgine.

DE nuptiis B. Virginis cum Christo in vniuersum satis multa seruiamus *cap. 14. nostra Isagoges*, quæ tibi, ô lector, ad ea, quæ hîc dicturi sumus, memoria recollere opus est. Sed illud potissimum, quod in aditu illius capitis tanquam certum statuimus, scilicet nuptias B. Virginis cum Christo, prout significantur per matrimonium siue ratum, siue consummatum, non fuisse copulatas ante Incarnationem. Nam cùm pactio conugalîs in traditione corporum de præsentî sita sit, non potuit certè Christus illam celebrare, quoadvsque corpus indueret, quod sponsæ suæ traderet, ac committeret. Quapropter per omne illud tempus, quod à Conceptione Virginis ad Incarnationem vsque excessit, in sponsalibus fuit Maria, non matrimonium, sed matrimonij futuri sponsonem habens.

Cogita ergo Virginem ad eum modum ante Incarnationem in sponsalibus manentem; quæ sponsalia ab ipso suæ animationis momento cœpta fuerunt. Nam per iudicij, ac rationis perfectam vsuram, qua iam tunc donata fuit, & diuinam reuelationem certissimas promissiones de Incarnatione Christi futura, antiquis Patribus, ac sibi factas non tantùm edocta fuit, sed etiam per fidem, & charitatem eisdem consensit: atque adeò ex eo momento sponsalia inita fuerunt. Sic expressè docuit Chrysologus *serm. 140. de Annunciatione. Peruolat, inquit, ad sponsam festinus interpret, ut à Dei spon-*

sa humana desponsationis arceat, & suspendat affectum: neque auferat Ioseph virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignerata, cum fieret. id est, cui in tua conditione, & primo conceptionis instanti nuptiarum futurarum pignus donatum fuit. Accinit etiam Gerson super *Magnificat*, tract. 2. Alphab. 83. lit. G. *Ab instanti*, inquit, *creationis initiatum est matrimonium eius cum sponso suo Deo per arrham fidei, spem, & charitatis, & cæterarum virtutum.* qui initium matrimonij appellat sponsalia. Ad eundem sensum traduci possunt illa Augustini verba in serm. 118. de Natiuitate. *In Patre perpetua diuinitas, in matre aeterna virginitas: sic enim loquitur Dominus per Prophetam, Et desponsabo te mihi in sempiternum. Semper ergo virgo est, quæ semper sponsa est; & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in aeternum virgo permansit; & quæ sponsa aeterna dicitur, aeterna virgo comprobatur.* vbi Augustinus aeternum accipit pro perpetuo.

Et sanè præfatus Gerson supra docet, B. Virginem in his sponsalibus fidem, spem, & charitatem arrhabonis nomine accepisse. Epiphanius verò in *Serm. de laudibus B. Mariæ*, hæc omnia vno Spiritus sancti nomine complexus est. Sic enim scripsit. *Inuenitur Virgo esse cælestis sponsa, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratia cælum unà cum paradiso.* qui per Spiritum sanctum eiusdem Spiritus gratiam, & dona omnia intellexit, quæcumque ab ipso fœderis sponsalitiij articulo arrharum loco ipsi donata sunt, puta à primo Conceptionis momento. Id verò vt credas, operæ pretium est animaduertere, dona antenuptialia, quæ in iure sponsalitiæ largitatis nomine veniunt, à Græcis appellari *ὀρθρα*, à verbo *ὀρῶ*, id est, *video*. & *δωρεῖα*, à verbo *δίδω*. quod videre etiam adsignificat, vt docet Pollux in Lexico. Quia nimirum tunc munera ista donabat sponsus sponsæ, cum ipsam primùm videre, ac contemplari licebat. Sic ergo de Deo, & sponsa illius Virgine Deipara concipe. Illi utique antenuptialia munera largitus est Deus, nempe Spiritus sancti cuncta dona, fidem, spem, & charitatem, cæterasque virtutes. Sed quando largitus est? Tunc certè, cum primùm ipsam vidit: vidit autem ipsam ab aeterno, & in sua Conceptione, & animatione primùm vidit; atque adeò omnia prædicta munera ei iam tunc præparauit, ac præordinauit, vt in ipso Conceptionis primo instanti sine aliqua mora eadem acciperet. lege *cap. 31.* nostræ defensionis pro immaculata Conceptione Virginis, vbi de his Mariæ sponsalibus fusè diximus.

Hic verò illud tantùm pronuncio, quod supra de Ecclesia, & de anima enunciaui, scilicet ita decuisse, vt in hoc matrimonio spirituali, quod Christum cum Maria copulare oportebat, sponsalia ante nuptias præirent. Succedant ergo memoriæ rationes illæ, quas supra in prima interpretatione prophetica delibauimus, ob quas in humanis matrimoniis sponsalia præmitti diximus. Prima ratio apud Iurisperitos celebris ea est, vt scilicet parentum consensus notus fiat: turpe enim est filiis, his dissentientibus, quampiam ducere. Quantum verò paternæ voluntati à Christo Domino fuerit tributum in matrimonio ipsius cum Ecclesia, ostendimus supra ex eo, quia in sponsalibus cum eadem Ecclesia contrahendis filios impuberes, & ob defectum rationis ad spondendum necdum habiles imitatus est: pro his enim parentes spondere, ac nuptias promittere consueuerunt. quæ promissio eatenus valere censetur, quatenus iure optimo speratur futurum, vt postea filius id prorsus velit, & amplectatur, quod prius patris probatum fuit. Nam cum Christus, cuius consensu eiusmodi sponsalia celebrari oportebat, nondum tunc existeret, Pater aeternus eius nomine, & pro ipso, Mariæ ante Incarnationem in Conceptione ipsius nuptias promisit. Hæc autem Patris voluntas diuina, quatenus humanam Christi voluntatem cum ipsa conformem postea fieri necessum erat, satis fuit vt sponsalitiij pacti forma inter Christum & Mariam minimè deesset; qualis inter impuberes contrahi solet. qua in re adnotari certè debet Mariæ dignitas, quam Pater aeternus tanto studio Christo filio suo sponsam dari oportuit, vt sponsalitiij pactum ne ad momentum quidem distulerit, illud in Conceptionis eius primo articulo celebrans.

Sed obiicies, ad hæc sponsalia Christi cum Maria consensum ipsius Mariæ accedere debuisse; consensum, inquam, acceptantem matris dignitatem; quæ dignitas speciali quodam modo matrem cum filio, tanquam sponsam cum sponso copulauit, vt infra dicemus. Atqui præfata dignitas non Conceptionis tempore, sed multò post Virgini per Angelum oblata fuit. Defuit ergo tunc Mariæ consensus ad sponsalia prorsus necessarius; atque adeò ipsa sponsalia per illud tempus subsistere non potuerunt. Huic obiectioni facile occurritur ex dictis. Aio ergo Virginem Deiparam non solum ex sua
Conceptio

Conceptione, antequam maternitatis Dei sponſionem per Angelum acceperit; ſed etiam antequam Chriſtus ipſe in rerum natura exiſteret, ſponſionem feciſſe. Adde etiam ipſam multò antè ſponſam Chriſti fuiſſe, quàm per conceptionem naturalem extiterit, ob eandem rationem, quam nuper de Chriſto efformauimus. Quia ſicut Pater æternus Chriſtum filium ſuum Mariæ ante Incarnationem promittens illum deſpondit: ita etiam Mariam Chriſto, cui ipſam ſimiliter ab ipſa mundi conditione idem Pater ſponſam ſimul, & matrem pollicitus eſt. Sicut enim de filio diximus, ideò ſponſalia iſthæc rata eſſe, ac firma, quia ob naturalem ſanctitatem eius voluntas cum paterna voluntate non poterat non conformis eſſe: ita etiam de Maria cenſeri debet; ſcilicet præfata ſponſalia, quod ad ipſum attinet, perinde valere. Quia propter ſingularem prouidentiam Dei erga illam, nunquam futurum erat, vt eius voluntas ab ipſius Dei voluntate aut deſciſceret, aut diſcordaret. Atque id fortasſe ſibi voluit D. Auguſtinus, cum in præſcripto loco Mariam *æternam Chriſti ſponſam*, ſemel & iterum appellauit. Iam tenes quantum in his Chriſti Mariæ nuptiis ſupremi Patris voluntas ualeat; quandoquidem nomine vtriuſque ſponſionem fecit, & de vtriuſque nomine vtrinque factam acceprauiſit.

Secunda ratio ſuprà data, propter quam pactio ſponſalitia ante nuptias præmitti ſolet, ea eſt: vt nimirum inter ſponſaliorum moras noua nupta de mariti ſui ingenio, ac moribus edoceri poſſit, ac liberalitatem illius muneribus antenuptialibus acceptis experiri: hæc enim liberalitas præuia amorem conciliat, ac ſponſam de ſponſo in poſterum benè ſperare iubet. Iſta verò tria, ſcilicet cognitio ſponſi, amor eiſdem, ac bona ſpes de illo concepta, efficiunt, vt nuptiæ amabilioreſ ſint; atque adeò magis voluntariæ, ac ſpontaneæ. lege Sigifmundum ſuprà citatum *in lib. de rebus Moſcouiticis*. Hæc igitur fuit altera cauſa, propter quam ſponſalia filij ſui cum B. Virgine præire voluit Deus: vt ſcilicet in ipſa cognitio Chriſti ſponſi ſui, amor eiſdem, ac ſpes de illo concepta, tempore, atque experientia in dies creſcerent. Imò hæc ſunt ipſiſſima illa dona, quæ munerum antenuptialium nomine Virgini collata docuit Gerſon illis verbis. *Ab inſtanti creationis eiſ, inſtitutum eſt matrimonium eiſ cum ſponſo ſuo Chriſto per arrham fidei, ſpei, & charitatis.* quæ dona ſubſequentes nuptias cum primis voluntarias, atque ſpontaneas effecerunt.

Tertia ratio, quæ ſuadet, ſponſalia ante nuptias præmitti oportere, illa eſt, vt ſcilicet maritus, aut illius parentes interim domum componant, & ſupelleſtilem adornent. Domus certè, ſeu aula, in qua Mariæ cum Chriſto copulatae ſunt nuptiæ, eiſdem Mariæ corpus ſanctiſſimum fuit. Quapropter nuptias iſtas ideò vel maximè morari, & ſponſalia præire operæ pretium fuit, vt hoc tempore, quod ante Incarnationem effluxit, tanti ſacramenti aula ab æterno Patre ornatum, decorem, ac plurimam, variamque gratiarum omnium ſupelleſtilem acciperet. Audi Epiphanium in ſerm. de laudibus Deiparæ. *Pater miſit de cælo Spiritum ſanctum, qui præparauit Virginem unigenito ſuo cæleſti ſponſo: quam Pater dilexit, Filius inhabitauit, Spiritus ſanctus percipiuit. Ipſa eſt enim ſponſa, aula, & thalamus, & ex ipſa ſponſus proceſſit, &c.*

Quarta ratio differendi nuptias, ac ſponſalia præmittendi, petita ex cap. *cum inibi-rio, de clandestinis deſponſationibus*, ea eſt, vt ſcilicet præcedat cognitio, & probatio impedimentorum per publicas monitiones facta. Et quidem ſuprà in expoſitione prophetica, cum de nuptiis Chriſti, & Eccleſiæ ſermo eſſet, ſeriò dicebam impedimenta præcipua earum nuptiarum eſſe peccata; atque eorum comprobationem fuiſſe præmiſſam, non quidem vt nulla inuenirentur, ſed vt quamplurima adeſſent: quia Dei conſilium fuit, vt peccata, quæ impedimentorum rationem habitura eſſe videbantur, ipſiſſima eſſent, quæ Incarnationi, ac nuptiis Chriſti cum Eccleſia occaſionem darent. Longè verò aliter cum Maria factum, in qua tempus, quod ante Incarnationem, & nuptias elapſum eſt, nullum peccati alicuius impedimentum eſſe probauit, ac demonſtrauit, quod præfatas nuptias inhibere, aut retardare poſſet. Hoc verò diſcrimen ex inæqualitate, & diuerſitate redemptionis profectum eſt: Eccleſia enim à Chriſto ſponſo ſuo à peccatis liberata eſt; Maria verò ab eiſdem præſeruata, & præuenta. Ergo vt conſtaret Virginem Deiparam ab omni peccati labe immunem eſſe, atque adeò ad nuptias ſuas cum Chriſto copulandas nullum etiam vel leuiſſimum impedimentum attuliſſe, ſponſalia, & tempus antenuptiale præire debuit, vt nimirum hocce tempus dictam immunitatem comprobaret. Nam quod nullo peccato actuali etiam leuiſſimo, ſeſe aliquando obſtrinxerit, ipſa viuendi, & conuerſandi

ratio probauit. Quod autem originali etiam culpa vacauerit, ipsa culparum actualium immunitas facile demonstrat, iuxta sententiam Augustini, qui nullum ex his, qui ex utero matris originarium crimen traxere, reliquam vitam ab actualibus peccatis liberam agere posse serio asseuerat. Quapropter ego sic mecum statuo, tempus illud antenuptiale, quod Virgini ante Incarnationem donatum fuit, ad immunitatem ipsius ab originali culpa ostendendam cum primis utile fuisse: quia quod Virgo reliquam vitam post Incarnationem ab actualibus vacuam egerit, id quidem dignitati matris, qua iam tunc gaudebat, tribuere licet. Quod verò ante Incarnationem, & antequam dignitate matris Dei donata fuisset, eodem modo omni actionis peccato caruerit, originali gratiæ, ac iustitiæ potissimum accommodari, & adscribi debet, quam Virgini prædestinatio ad futuram maternitatem asportauit.

Denique quinta ratio morandi nuptias, & sponsalia præmittendi, ea est, quam tradit Augustinus *lib. 4. Confessionum*, & habetur *cap. Institutum 27. quæst. 2.* his verbis. *Institutum est, ut iam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam.* Et quod de sponso scribit Augustinus, eodem modo de sponsa concipere fas est: ideò nimirum nuptias diduci, ut sponsa etiam agnitum sponsum inter sponsaliorum moras magis ac magis desideret, ac diutius desideratum, ac concupitum maiori tandem in pretio habeat. Nihil de desiderio, ac votis Christi sponsi: hic enim simul ac per Incarnationem esse incepit, nuptias suas, siue cum Ecclesia, siue cum matre Maria ratas effecit, ut supra in *Isagoge cap. 5.* fusè probauimus: atque adeò voluntas eius humana nullas sponsaliorum moras habuit, in quibus sponsas suas desiderare, & ex desiderio digniores, pretiosioresque ducere posset. Tamen hoc ipsum ipsius Christi ardentissimam cupiditatem nubendi facile declarat, quatenus voluntas eius humana, cuius consensu nuptias perfici oportebat, morarum impatiens ex vehementia amoris sui tempus omne præuertit, atque in ipso suæ Incarnationis momento amantissimis sponsis suis sese impendit, atque addixit: primum quidem Deiparæ, ac deinde per ipsam toti Ecclesiæ, ut infra *vers. 11.* latius explicabimus. Si verò sermo sit de voluntate Christi diuina, haud dubitandum est ipsam harum nuptiarum æterno desiderio, & cupiditate arsisse. Quod vel ex eo coniiicere licet, quia, teste Bernardo, & Augustino, Deus optimus maximus ideò vel maximè à prima mundi conditione plures dominicæ Incarnationis figuras, & umbras præmisit, ut eius tandem aliquando perficiendæ conceptum desiderium falleret, & eidem quoquo modo obsequeretur. Quapropter cum statim in ipso mundi auspicio primam, & maximè nobilem figuram in nuptiis Adami, atque Eux Deus posuerit, de quibus Paulus ad *Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Certè inde colligitur Deum id impensius, atque ardentius desiderasse, cuius umbram, & figuram præire voluit. Illud enim desiderium, & votum primum & maximè vehemens in Deo fuisse putandum est, cuius per dictam imaginem fallendi prima ipsi cura fuit. Ad hæc Salomon *cap. 1. Prouerb.* de ipsa mundi prima conditione, & molitione verba faciens, quas Dei sapientia tunc partes ageret, describens sic ait. *Cum eo eram cuncta componens, &c.* quæ verba septuaginta Interpretes vim originum exprimentes, sic extulerunt. *ἦν ἔτι παρ' αὐτῶν ἀρμύζου, ἐγὼ ἦν ἔτι.* quibus in verbis pendenda est vis illius verbi *ἀρμύζου*, quod proprie significat connubio adiungere; ita ut ad verbum sic efferri debeat. *yo estaba (ait Sapientia æterna) casando todas las cosas unas con otras.* ut tota hæc mundi vniuersitas ex suis partibus coalesceret. Sed quid Dei sapientia spectabat, cum tot rerum omnium conditarum coniugiis, & matrimoniis inter se copulandis intenta erat? Nihil aliud certè in his, nisi illud matrimonium, & illas nuptias cogitabat, ac quasi præludebat, quas postea eadem Dei sapientia carnem assumens, cum B. Virgine, & cum Ecclesia contractura erat.

Desideria autem, & vota ingentia, quibus B. Virgo prædictas nuptias expetiuit, assequi difficile est. Audiendus certè Epiphanius *in sermone de laudibus Mariæ*, vbi postquam præmisit illa verba: *Quomodo Virgo inuenitur cælestis sponsa, &c.* sic statim attexit: *Quarebat ergo Virgo conspiceri, quem desiderabat, inquiens: Vbi est sponsus meus, cuius pulchritudinem exopto? Vbi est pulchritudo sole splendidior? Vbi totius formæ gloria ineffabilis? Vbi lumen, quod extingui nequit, quod ego summo cum desiderio requiro? Vbi Sol, qui radium exquirat? Vbi ipsorum Cherubin cithara? Vbi oculus Seraphin nunquam dormiens Christus? Vbi Angelorum adoratio, quam Gabriel iudicauit? Vbi solus, ac solius Patris unigenitus Filius, quem ego exoptans redamo, perquirens saluto?* Hactenus Epiphanius

nium, qui Virginem ante Incarnationem Verbi his dictis suarum cum Christo nuptiarum desiderium exacuentem, & stimulantem inducit. Pro illis autem verbis, *Querebat conspiciere, quem desiderabat*; alij codices habent: *Querebat concupiscere quem desiderabat*, eius scilicet, quem iam vehementissimè desiderabat, magis ac magis, & impensius desiderandi modos, & rationes vestigabat.

At, inquires, desideria isthæc, quæ Virgo sanctissima tot modis, atque artibus alere, & augere contendebat, ex quo tempore cœperunt? & in quam tandem magnitudinem euaferunt? Occurrit D. Bernardinus Senensis *tom. 2. ser. post Dominicam Palmarum serm. 5 1. art. 1. cap. 3.* vbi de prima formatione Virginis verba faciens sic addit. *Ex charitatis ardore humana saluationis toto affectu iam tunc desiderabat Incarnationem filij Dei. Nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit in ea, toto conamine inflammabat animam eius. Ipsa siquidem fuit felix clausula totius expectationis, & desiderij, ac postulationis aduentus cœlestis sponsi. In qua, sicut in cono, id est, angulo, omnia desideria præcedentium electorum, atque Sanctorum consummata, & terminata fuerunt. Idè nobis inexpressibile est illud feruidum desiderium, & languescens orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, vt filium mittere dignaretur ad nostram assumendam, copulandamque naturam.* Si ergo in Conceptione, & prima sanctificatione tam fuit vehemens desiderium, quo Virgo Incarnationem Christi, & suas cum ipso nuptias efflictim expetebat, atque reliquo deinceps tempore *querebat concupiscere, quem desiderabat*, vt ait Epiphanius, nihil prætermittens, quod huic desiderio faces addere possit: in qualem ac quantam magnitudinem post longas temporis moras tandem aliquando illud excreuisse putabimus? Sed librandæ sunt S. Bernardini verba, qui desiderium B. Virginis *clausulam fuisse dicit expectationis, ac desiderij antiquorum Patrum, in qua ceu in cono, & angulo cuncta eorum desideria terminata, & consummata fuerunt.* Videtur autem Bernardinus loqui, petita similitudine ex flamma. nam proximè dixerat: *toto conamine inflammabant animam eius.* Atque adeò sensus est. Sicut flamma, quæ ex pluribus lignis excitatur, & attollitur, in angulum tandem definit, atque in eo angulo, vt experientia docet, longè fortior, ac vehementior est actio ignis: quia nimirum omnium lignorum virtus, & actio in prædicto angulo vnitur, & copulatur. Ad eundem modum, inquit Bernardinus, omnium desideriorum, quibus flagrarunt antiqui Patres, ardores, ac flammæ in vno Virginis desiderio, velut in angulo ingentis cuiusdam incendij, vniti, & collecti sunt; atque adeò vis illius longè acrior fuit, quàm singulorum, atque omnium, ad Dei misericordiam promerendam. Quòd si quis alius metaphoram ductam putet ab alia figura, quæ in angulum acutum definit, scilicet à pyramide, seu obelisco, vel (vt quispiam meditatus est) ab angulis illis, quos lux à luminosis corporibus vibrata, & species per rectas lineas emissæ efficiunt in medio. de quibus Aristoteles *in lib. 2. & 3. de Anima.* Quorum angulorum extremi coni, aut cuspides ad visum perueniunt, ipsum mouent, & ad visionem producendam iuuant. Sensus superiorum verborum hic erit, sicut in pyramide, aut obelisco cuspis, & supremus angulus, omnes lineas rectas hinc & inde ex toto corpore ductas in se ipso colligit, atque vnit: ita etiam B. Virginis vnicum, ac solum Incarnationis desiderium, omnia desideria antiquorum Patrum in se ipso collecta, & vnita amplectitur. Et quemadmodum etiam omnes radios, aut species per rectas lineas eiaculatos extremus angulus cogit, qui solum potentiam denique mouet, vt agat: ita etiam desiderium Mariæ omnia antiquorum Patrum desideria vnita, & coacta complexu suo continuit, atque Dei voluntatem permouit, vt tandem aliquando agere, id est, Filium suum ad nos mittere, ac nobis donare vellet. Sed cur omnia veterum Patrum desideria in vna Maria vniri, & cogi hætenus diximus? Quia nimirum omnes illi antiqui Patres ipsam desiderabant, ac per ipsam Christum expetebant: vel quia vnicum illius desiderium, ac votum cuncta illorum desideria, & vota, eorumque ardorem, & vehementiam in se ipso exprimebat, ac comprehendebat.

Sed quantum, inquires, valuit hoc tantum, & tam ardens Mariæ desiderium ad impetrandam Incarnationem Christi? Certè vota isthæc, ac desideria Deiparæ (vt communis fert Theologorum sententia) non obtinuerunt à Deo substantiam Incarnationis: nam cum hæc omnis meriti principium esset, non potuit vllis meritis parari, & acquiri; illius tamen accelerationem, & maturationem impetrant. Sicut de Patri-

bus veteris Testamenti supra in prima interpretatione statuimus. Ad hanc verò celeritatem, & maturitatem non aequaliter merita B. Mariæ, & priscorum Patrum, sed valde inæqualiter contulerunt. Nam illorum Patrum promerita, & vota ita diuinam voluntatem mouebant, vt tamen seorsim, & sine meritis, ac votis B. Virginis accepta ad Incarnationem Christi in aliqua differentia temporis vel priori, vel posteriori haud pertingere possent: Mariæ verò desideria, etiamsi antiquorum Patrum vota non accederent, dictam Incarnationis celeritatem impetrarent. Aque hoc sibi voluit S. Bernardinus, cum dixit, desiderium B. Virginis fuisse *clausulam & consummationem desiderij, & expectationis antiquorum Patrum.* quod quidem ego sic intelligendum puto, vt quemadmodum mors Christi reliqua illius merita consummauit, ac clausit; sic scilicet, vt alia ipsius opera, seclusa morte, humani generis redemptionem nequaquam impetrare possent; mors verò sola, sepositis aliis meritis, eandem redemptionem proculdubio obtineret. Ad eundem modum de votis, ac meritis Deiparæ, & priscorum Patrum cogitandum esse putauit Bernardinus, vt nimirum ad impetrandam Incarnationis celeritatem, hæc sine illis nihil valerent; illa verò sine his nihil non possent. Non est autem mentis meæ, præsens Dei decretum efficax asserere Incarnationis celerius patranda propter sola B. Mariæ vota, ac merita. id enim prorsus abnuo, quemadmodum abnegandum etiam puto decretum aliquod efficax redimendi genus humanum, propter solam mortem Christi, seclusis aliis eiusdem meritis: sic enim nec vota antiquorum Patrum, nec alia Christi opera vllam impetrandi efficaciam de facto habuissent; sed tam mortem Christi, quam B. Virginis desideria talia fuisse dico, vt licet solitaria essent, semotis quibuscumque aliis operibus Christi, & votis aliorum; Deus nihilominus tam redemptionem, quam Incarnationis accelerationem sola Christi morte, ac solis Mariæ desideriis inductus decerneret, ac definiret. Nam sicut vnum ex sufficientia valoris mortis Christi certa coniectura colligunt Theologi: ita etiam & aliud ex sufficientia desideriorum B. Mariæ colligere, & aucupari fas est.

Rursus præfata B. Mariæ desideria, & vota alio nomine ad inuitandum, euocandumque è cælis diuinum sponsum valde præstiterunt. Cogita ergo totam hanc mundi vniuersitatem valde angustam esse, vt Deum capere, & includere possit. Sic enim Salomon. *Cælum, & cæli cælorum capere non possunt, &c.* Si ergo Deus in tam ampla, ac vasta domo coarctatur, quomodo ipsum in vnus fœminei ventris angustias libenter inclusum dicemus? De quibus sic Ecclesia cecinit, *ventris sub arca clausus est.* Si huius mundi insana magnitudo illi arcta, & angusta videtur, quales fuisse dicemus in arctissimo vtero illius angustias? Occurrit D. Epiphanius loco citato. *O vterum, inquit, cælo ampliozem, qui Deum in te minime coarctasti.* Sed quæ factum, dices, vt virginei vteri angustias Dei verbum nequaquam senserit? Damascenus in orat. 1. de dormit. id gratiæ tribuit. *Non enim, ait, corporea molis ratione cælum ipsum amplitudine superauit Maria. Quonam enim modo corpus, quod tribus cubitis constat, subtiliusque in dies fit, cæli longitudini, & latitudini comparari queat: verum per gratiam potius magnitudinis omnis, & latitudinis modum superauit.* Accinit Bonauentura in speculo lect. 5. vbi Mariæ *vas* inde *immensissimum* fuisse probat, quia immensa gratia donatum fuit, vbi illud animaduersione dignum est, scilicet gratiam propriè appellari infinitam, non immensam. Illud enim propriè, & germanè immensum dicitur, quod spatiis, & dimensionibus constat: gratia verò intensionem habet, dimensiones non recipit. Vnde igitur Mariæ gratiam immensam appellat Bonauentura? Non aliunde profectò, nisi quia isthæc gratia Mariani vteri angustias in tantam latitudinem explicauit, vt Dei immensitatem spatiosè capere possit. Sed quam ratione per Dei gratiam Virginis animus dilatari potuerit, diximus in defensione nostra pro immaculata Virginis Conceptione cap. 40. §. 1. Nunc autem aio desideria, ac vota, quibus B. Virgo Incarnationem filij Dei vehementissimè concupiuit, eam latitudinem ipsi contulisse, vt Deum amplissimè continere, ac complecti possit. Id enim desideriorum maximè proprium est, scilicet ipsius desiderantis capacitatem extendere.

Audi Augustinum in 1. Ioan. Canon. tract. 4. *Tota, inquit, vita boni Christiani sanctum desiderium est: quod autem desideras, nondum vides; sed desiderando capax efficeris, vt cum venerit quod videas, implearis. Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est, quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel vtris; & si vides quia angustus est, extendendo facis capaciorem. Desideremus ergo, fratres, quia implendi sumus. Itaque S. Augustinus capacitatem animi ex desiderij magnitudine metitur. Nec mirum, cum*

cum Theologi omnes cum D. Thoma 1. p. quest. 12. art. 1. ex desiderio, & appetitu naturali, quo cuncti homines suam beatitudinem affectant, efficaciter colligant, capacitatem esse in intellectu humano visionis Dei. Nam D. Thomas in corp. art. sic ait. *Homini inest naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum. Si igitur intellectus rationalis non posset pertingere ad cognoscendum primam causam rerum, remanebit inane desiderium nature.* quod absurdi loco ponit D. Thomas. Aio igitur per desideria illa, quibus B. Virgo Christi aduentum, & nuptias tantopere optabat, id certè affectum fuisse, ut ipsius capacitas in omnem mensuram tantum excresceret, ut totam Dei immensitatem, quam mundi vniuersitas latissimè patens coarctat, astringitque, intra sua viscera nullis angustiis oppressam, sed laxam potiùs, ac spatiosam contineret. Illud verò tempus, quod à Conceptione ipsius Virginis ad Incarnationem vsque decessit, ei certè donatum fuit, ut desideria ab eo momento concepta, mora, ac dilatione diuturna magis ac magis crescerent; atque ad capiendam, concludendamque totam Dei maiestatem ipsius Virginis aluum, & viscera in omnem dimensionem latissimè extenderent, uti vera fieret Epiphaniij sententia, *O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te minimè coarctasti.*

Et fanè tantam, & tam latè patentem capacitatem, quam diuturna expectatione, & votis, desiderijsque longioribus B. Virgo in se ipsa fecerat, nec vacuam, nec vanam esse oportuit. Quod enim de naturali appetitu Beatitudinis pronunciat D. Thomas, id de Virginis ardentissimo desiderio affirmare licet. *Tale, ac tantum desiderium inane remanere non debuit.* Eapropter Dei Verbum, ne tanta capacitas vacua foret, in Mariæ viscera sese demisit, atque vterum illius, ac desideria simul adimpleuit, nihil in ipsa vacuum relinquens. Et quidem ita decuit: nam Maria mundus quidam est mundo maior, ac dignior. Sic Bernardus in serm. de... *Mariam, inquit, sibi Deus tanquam mundum specialissimum condidit, quem in iustitia, & sanctitate firmavit.* Sicut ergo mundus hic naturalis omnem vacuitatem, & inanitatem prorsus horret, ac respuit; quam ob rem diuina prouidentia ad eam prohibendam, aut replendam grauissima quæque corpora contra natiuam, vim in omnem locum impellit, ac versat: ita etiam de Virgine Deipara cogitandum est, in ipsa scilicet, tanquam in mundo quodam typico nihil vacuitatis vnquam relictum. Quapropter quidquid spatij, & capacitatis efficacia desideria, & vota in ipsa vnquam fecerunt, id totum Dei potentia, atque prouidentia impleuit (id enim mihi persuadeo, nihil vnquam à sanctissima Virgine efficaciter desideratum, & concupitum, quod ex Dei beneficio non obtinuerit) obsequentibus, atque inseruientibus in usum istum non modò cunctis ad vnâ creaturis, sed etiam ipso creatore. Hinc autem colligere licet vim, ac potentiam illius desiderij, quo sanctissima Virgo Christi Domini Incarnationem, ac suas cum ipso nuptias vsque adeò vehementer expetiuit: quod nimirum tale fuit, ut perfici, atque impleri omninò deberit, ne in typico Mariæ mundo aliquid capacitatis, quod in semetipsa eam gratiam desiderando effecerat, inane, ac vacuum remaneret, contra Angeli vocem, qui illam *gratiâ plenam* compellauit.

Redeo ad institutum. Sanctissima igitur Deipara, quæ à suæ Conceptionis primo instanti in sponfalibus fuerat, & quæ ab eodem momento cum Christo nuptias per Incarnationem ratas fieri ardentissimè cupiebat, sui desiderij summam exponit, illis verbis. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, &c.* Sed quia supra in sono allegoriæ diximus, Sulamitem in gynæceo, & parthenone nuptias expectantem, & ad eas sese adornantem fingi: antequam horum verborum sensum explicem, de Virginis gynæceo aliquid præfari opus est. Aio igitur B. Virgini pro gynæceo fuisse templum, in quo triennis præsentata, & Dei obsequio mancipata fuit. Nihil enim vel aptius, vel accommodatius excogitare licet ad significandum illud tempus, quod Virgo in templi penetralibus egit, vbi illam Spiritus Dei sanctus omnium donorum, ac virtutum genere insignitam, & excultam ad Incarnationem præparabat, quam conuersatio, & vita virginum in gynæceo, & cultus earum ad nuptias regias. Nota est Hebræorum consuetudo, qui virgines suas in templo offerre, ac dicare consueuerunt, ut inibi vsque ad ætatem nubilem, & viris maturam manerent. Huius verò moris testimonij congerendis ideò parco, ne actum agere videar. legantur Castro de B. Virgine, Barradas, Spinellus, & Sitarez.

Et fanè ita suspicor hisce virginibus, quæ in templo degebant, vitam ibi actam ad humanas etiam nuptias pro gynæceo fuisse, quia nimirum id tempus non tantum in

seruitio, & cultu templi, Sacerdotumque ponebant; sed etiam in colenda, & curanda facie, ut mos illius gentis ferebat, ad futuras nuptias. Huic verò suspicioni vnum & alterum argumentum fidem facit. Prius est, quia Virgo sanctissima inde ad nuptias cum Ioseph proximè copulandas assumpta fuit; quod non fuit in Maria singulare, ac proprium, sed commune cum aliis virginibus, quæ eodem modo inde ad nuptias abducebantur, ut tradit S. Hieronymus in *historia de ortu Mariae*, vbi sic habet: *Tunc Pontifex* (id est, cum quartum decimum annum attigerant) *publicè denunciabat, ut virgines, quæ in templo constituebantur, & hoc ætatis tempus impleissent, domum reuenterentur, ac nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem operam darent, cui mandato cùm ceteræ virgines paruissent, sola Virgo, &c.* Huc spectant Mantuani carmina,

*Mos erat antiquis longum seruatus in æuum,
Æde puellares annos includere sacra,
Ætatemque Deo teneram, primumque dicare
Virginæ florem vitæ, & generare pudoris
Ingenui curam, sanctosque inducere mores.
Mox vbi vestitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant, hymenæaque tecta,
Coniunctæq; viris proli indulgere solebant.*

Ex quibus constat puellas de more inde velut ex gynæceo ad nuptias transferri.

Posterius verò argumentum sumitur ex illis verbis Exod. 38. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi.* Nam per istas mulieres ad ostium tabernaculi excubias agentes, eas intelligunt locupletissimi aurores, quæ templis ministeriis sese deuouerant; ex quibus aliæ erant puellæ innubæ, quæ ab infantia in templi adytis manebant: aliæ verò grandiores natu, quæ post nuptias ad templum sese recipiebant, ut ieiuniis, & orationibus assiduò vacarent. Sicut Anna Prophetissa, & aliæ similes, in quibus fuit Iosaba soror Ochoziæ, & vxor Ioia-dæ Sacerdotis, quæ Ioam filium Ochoziæ apud se clam habuit sex annis in domo Domini, ut ipsum neci eriperet. Modum autem celandi pueri per hosce annos non alium fuisse reor, nisi quia cum ea ætate pueros à puellis nulla exterior nota distinguat, prædictus infans sub habitu, & nomine puellæ alicuius templo consecratæ facile retineri, & occultari potuit. Ergo ex nostris Villalpandus in *cap. 30. Ezechielis*, prædictum labrum haud credit conflatum ex speculis, quæ grandiores natu mulieres mundo valedicentes præ formæ neglectu deponebant in templo; sed ex illis, quibus adolescentulæ illæ iuniores in ipsis templi penetralibus agentes utebantur, uti ad nuptias, ad quas inde se transferendas nouerant, faciem excolerent. Ergo iuxta hanc interpretationem id etiam quod erat gynæcei proprium, scilicet cultus, cura, & medicatio formæ in templo quoque à puellis istis factitatum fateri oportet. Quamobrem non sine causa nuper diximus, hisce iuueniculis templum quasi pro gynæceo fuisse, in quo ad externa, & humana coniugia sese comparabant. At verò B. Virgo, quæ tunc non humanas, & profanas, sed spirituales, & diuinas sui cum Christo nuptias cogitabat, id tempus, quod in templo transegit, non tam corpori, quàm animæ excolendæ, atque adornandæ impendit, uti ad eas copulandas habilis, atque idonea tandem venire posset. Ad hæc subiicienda sunt verba Psalm. 44. *Myrrha, gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo.* Communis Patrum interpretatio verba isthæc sponso tribuit. Vnus Origenes sponsæ donat *hom. 2. in Cant.* vbi sic habet. *Myrrha, stilla, & casia, &c. quæ in quadragesimo quarto Psalmo dicuntur ad sponsam.* Et sanè cùm suprà in Isagoge huius commentarij *cap. 2.* & nuper etiam in prophetica expositione huius carminis seriò affirmauerim locum istum de gynæceo, seu parthenone accipiendum esse, in quo puellæ ad regias nuptias vnguentis, ac pigmentis excolebantur, Origenis interpretationem haud repudiandam censeo, iuxta quam totius loci sensus ad hunc modum institui debet, *Myrrha, gutta, &c.* id est, in ædibus pario marmore elaboratis, aut ebore multo incrustatis inclusa. O nimium felix sponsa, plurimam myrrham, guttam, & casiam adhibes, quibus te ipsam perluens faciem excolis, & vestimenta tua perfundens latè odorem spargis. *In quibus delectauerunt te filia Regum, &c.* in quibus, scilicet ædibus in ancillas, & pedissequas tuas oblatae sunt tibi non pauca iuueniculæ Regibus satæ, ad delicias, & honorem tuum; ut scilicet tibi delicatiores, & lautiores cibos ministrant, & ut à tergo stipantes

stipantes te quoque magnopere honestent. Quapropter cum Psalmi illius reliqua verba passim de Virgine Deipara Patres concipiant, hæc etiam illi tribui debent, in quibus tota gynæcei forma, & apparatus continetur, scilicet domus regia, & splendida, vnguenta pretiosalauti cibi, & puellæ pedissequæ; quia non plura enumerauimus in cap. illo 3. nostræ Isagoges. Vide ibi multa.

Hæc autem omnia in templi adytis constituta affatim habuit Virgo Deipara, vt ad futuras cum Christo nuptias animum adornaret suum. Per singula discurram. Primò templum illi pro domo, atque ædibus splendidis, in quo non aliarum more puellarum retrò post aram separata mansit, sed in secretiora penetralia, hoc est, in ipsa Sanctorum Sancta Sacerdotum communi consilio introducta fuit. Ita scripsit Germanus Constant. in Oratione de oblatione Mariæ: *Vbi non sepe, sed semel in anno Sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos: illuc ea, vt ibi perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratia adytis. Quis rem vnquam talem cognouit? Quis audiuit ex his, qui nunc sunt, aut vnquam fuerunt, feminam, quæ adduceretur in intima Sancta Sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in his habitet, ac versetur? Ostendant nobis, qui in eam linguam mouent, & vident tanquam non vident, vbinam talia viderunt, puellam scilicet ex professo adduci intra tertium velum tanquam donum, in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret assiduò, eamque à diuitibus populi supplicantibus, & à virginibus deduci, cum lampadibus adduci; à Sacerdotibus, & Prophetis supinis manibus excipi. Et infra sic scribit: Intueamur quemadmodum Propheta Zacharias eam sera manu excipit, & adducit in adyta, nihil agrè ferens, nec dicens eius parentibus: Non faciam hanc rem maximè nouam, neque puellam introducam in Sancta Sanctorum, vt in eis habitet assiduè. Deinde puellam letus tenens, eam prompto, & alacri animo introducit in Sancta Sanctorum. Et inferiùs: Mansit autem de cætero in Sanctis Sanctorum, & in templi penetralibus.* Tanti autem apud Doctorem istum valuit hæc Virginis apud Sancta Sanctorum commoratio, vt ex hoc tam insolenti priuilegio cætera magna, quæ de Virgine feruntur, fidem comparare putet. Sed ne tuam superet id, quod dicitur, audi Georgium Nicomediæ Episcopum in altera oratione de oblatione Mariæ, vbi talia ferit: *Oportebat non in Sanctis Sanctorum tantum, sed in ipso celo cali in prima atate educari eam, quæ his latior conspecta est, & eosdem puritate antecelluit.* Accinit etiam Nicephorus lib. 1. histor. cap. 7. *Itaque illa vt res diuina, intacta, & sacrosancta in templi sacratori loco, & adytis ipsis viuebat.* Nec mirum, si Virgini ex venia Sacerdotum Sancta Sanctorum patuerint, cum postea Iacobus Christi Apostolus, & Hierosolymorum Antistes ad eadem sæpiùs visenda exceptus fuerit, vt ipsius narrat historia.

Sed quale, inquires, fuit Dei consilium B. Virginem in templum, & in Sanctorum Sancta, vt ibi commoraretur, inducentis? Aliqui Doctores mysticam significationem translationis Mariæ in templum eò referendam putarunt, quia cum ipsa viuum, ac spirituale Dei templum esset, cuius figuram, & imaginem antiqui templi fabrica præ se ferebat, debuit vtique ad templum adduci, vt rem ipsam cum sua imagine, & vmbra conferre liceret. Qui de similitudine vtriusque, viui scilicet, ac naturalis templi multa deinde coniiciunt, quæ quia valde obuia sunt, de industria missa facio. In his autem Petrus Damianus ex aduentu B. Virginis in templum eius ruinam portendi ex eo colligit, quia accedente veritate, vmbra discedere, ac fugari oportebat. Non infusè ad hanc sententiam inuerti potest illud Psalm. 77. *& edificauit sicut vnicornis sanctificium suum in terra.* quibus verbis templum cum vnicorni componit; cuius similitudinis alias & alias rationes accommodant interpretes. Succedat tamen memoriæ peruulgatum illud, quod de vnicorni scribit Gregorius Magnus, scilicet animal istud fortissimum, Virgine conspecta, velut ex deditione ad illius pedes prosterni, & ab eadem vinculis iniectis constringi, & illigari. Nam eiusmodi quidpiam B. Virgini cum templo contigisse reor: hoc enim tanquam vnicornis, Mariæ intra suos lares, ac penates conspectæ, omnino cessit, atque illi quodammodo sese dedens, sui alligandi, & vincendi eatenus fecit copiam, quatenus ex tunc & deinceps omnes illius ritus, & ceremoniæ velut constrictæ, & deuinctæ cessare, & in dissuetudinem abire cœperunt.

Non modò autem in templum inducta, sed ad Sancta Sanctorum admissa Maria dicitur; nec sine Dei consilio factum, vt locum solis Sacerdotibus summis peruium, & sacerrimæ illius arcæ sedem ipsi adire liceret. In primis enim congruam fuisse videtur, vt Maria, quæ arca Testamenti erat veteri arca nobilior, ac præstantior, in

Sancta Sanctorum inferretur. Audi Bernardum in serm. 2. de Natiuitate. *Arca Testamenti typum tenet Dei genitricis; illam fecit Bezeleel, istam condidit Emanuel. Bezeleel interpretatur umbra Dei. Oliab, qui protectio Dei dicitur, in opere socium habuit. Virgo quoque virginum condita, praelecta, praeseruata, & ornata per Spiritum sanctum, & eius omnipotentem filium fuit. Et paucis interiectis. De lignis Setim condita est arca, in qua thuribulum, manna, & virga sunt condita. Quia licet Maria de patrum natura per peccatum uitiata duxerit originem; praelecta tamen per Spiritum sanctum, & praeseruata ad purum, Deum nobis obtulit, & hominem. Sed luculentius D. Illephonfus istam Mariæ, & arcae similitudinem persecutus est. Propter quod, inquit, uterus eiusdem Virginis per arcam figuratur, quæ cuncta Sacramentorum arcana in se habuit: habuit enim panem illum, qui de caelo descendit; habuit legem Testamenti noui, quia legislatorem genuit. Et ideo rectè arca Sacramentorum Maria fuit, supra quam sanè propitiatorium, & Cherubin hinc & inde obumbrantia figurantur; quia Maria nullum extrinsecus obrepit peccatum: sed intus omnis custodia legis, ac manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, ac propitiatio humanae salutis. Oportuit ergo sanctiorem istam ac diuiniorem Dei arcam suam sedem, ac locum tenere, atque ad eò in Sancta Sanctorum induci. Atque inde, vt credo, fidem sibi parauit Prophetia Aggæi, qui de posteriori templo sic pronunciauit. *Magna erit gloria domus istius nouissima plusquam prima, dicit Dominus.* Quia nimirum sanctiorem, ac diuiniorem arcam, atque nobilium propitiatorium continuit. Fortasse etiam ideo factum, vt in secundo templo à Zorobabele, atque Esdra restituto, & à Machabæis nouato, arca illa à Moysè primùm fabricata, & à Hieremia deinde tempore Babylo-nicæ transmigrationis abscondita, nec eatenus vsquam inuenta abesset prorsus (sic enim communior Patrum sententia fert) vt hæc prior arca ex tam longo tempore posteriori tanquam sanctiori, ac digniori locum dimitteret; quippe quæ indigna prorsus visa est, vt eum locum iam pridem teneret, quem Mariam tandem aliquando occupare oportebat.*

Ad hæc summo tantùm Sacerdoti peruium locum adire ad Deiparæ Virginis dignitatem, & ipsius loci sanctitatem pertinebat, non alio nomine, aut titulo, nisi quia ipsa quoque nobiliori, ac sanctiori sacerdotio fungebatur, quàm uetus. Audi Epiphanium in serm. de laudibus Mariæ. *Virginem appello uelut Sacerdotem pariter, & altare, quæ quidem mensam ferens dedit nobis cælestem panem Christum in remissionem peccatorum.* Sed quale, ac quantum fuit hoc Mariæ sacerdotium, perbellè explicauit nobis Ioann. Gerson tract. 9. super Magnificat. Alph. 89. lit. B. ubi inter alia sic serit. *Maria etsi non fuit insignita caractere sacerdotalis officij, nihilominus nunc, & antea, & postea fuit in regale sacerdotium præ consortibus suis inuncta, non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc hostiam puram, plenam, & perfectam in altari cordis sui, in quo semper ignis ardebat holocausti: fuit enim rubus ardens incombustus. Maria plus complacuit Deo, plus humano generi profuit post Christum benedictum filium suum, offerendo ipsum spontaneè in holocaustum in ara cordis sui frequentissima charitate succensi. Et iterum in tract. 3. Alphab. 82. lit. z. de Virgine sic scribit. Non habet characterem sacerdotalem formaliter, fateor; habet tamen eminentiùs ad reconciliationem peccatorum; ad auxiliandum contra potestates aëreas, contra calamitates, & miseras omnes tam animarum, quàm corporum, quoties uoluerit nos tanquam filios debiles, & fædos curandos, purgandosque suscipere. Quibus in uerbis, nisi fallor, ad aliam sacerdotalis dignitatis partem respexit Gerson, hoc est, ad potestatem absoluendi à peccatis, ac mundandi, purgandique conscientias; quam in Maria Gerson per eminentiam agnoscere uidetur. Est etiam alia B. Virginis eximia dignitas, quæ sacerdotij nomine meritò dici possit, secundi uidelicet post Christum offerentis; quæ nimirum cum Sacerdotibus rem sacram faciētibus vnà cum Christo ad eundem modum sacrificium incruentum semper offert; quemadmodum vnà cum eodem sacrificiū cruentum libauit. de qua dignitate dicemus infra cap. 5. v. 1.*

Ergo cum his titulis, ac nominibus B. Virgo sacerdotio quodam nobilissimo, ac sanctissimo fungeretur, quod antiqui sacerdotij dignitatem facillè superabat; mirum in modum decuit, vt illi Sancta Sanctorum paterent; & in loco illo, ad quem Pontifici summo semel tantùm in anno penetrare licebat, perpetim moraretur. Sed desiderabis fortasse in Maria vestem illam typicam, & mysticam, sine qua ne summo quidem Sacerdoti Sancta Sanctorum adire integrum erat. Conabor tamen, ne id desideres. Audi Prophetam Psalm. 44. sic pronunciantem. *Omnis gloria filia Regis ab intus. Alij vertunt, ex penetralibus, in simbrijs aureis circumamicta uarietatibus.* Appendenda mihi

mihī sunt verba illa, *in fimbriis aureis*. Et quidem non longè absūm, vt putem illud *ab intus*, seu *in penetralibus*, de gynæceo ad literam capiendum esse, cuius nuper Psaltes meminerat. Quasi dicat, ea gloria, decor, splendor, & ornatus, quem sponsa ad nuptias affert, *ab intus*, vel *ex penetralibus*, hoc est, ex parthenone eduxit, in cuius penetralibus hætenus inclusa fuit. Vel si id non placet, cum pluribus ita dico cunctum sponsæ ornatum, & decorem esse internum in animi virtutibus positum. Sed quis decor iste, & ornatus? *in fimbriis aureis*. Hæc vt intelligas, aduocandus est tibi S. Basilii in cap. 3. *Isaia*, vbi exponens illa verba, quæ in translatione Septuaginta sic habentur. *Auferam ab eis tunicas fimbriatas*. & respondent illis vulgatæ nostræ lectionis, *Auferam ab eis ornamenta calceamentorum*. sic comminiscitur. *Per Prophetam Dominus interminat se à mulieribus ablaturum, cum quo immodicè gloriabantur, ornatum, nempe ῥόσμησον. dicitio autem ῥόσμησον, id est, vestis fimbriata, quæ non vsquequaque familiaris est Grecis; quo fit, vt eius intelligentia non admodum perspicua sit. Tantummodo ipsi deprehendimus in apparatu textili pontificiæ vestis χιτῶνα ῥόσμησον. id est, tunicam fimbriatam, quæ haberet malogranata, & aurea tintinnabula; quasdam in super fasciolas fimbrijs assuta deprehendimus dici ῥόσμησον cum appendentibus tintinnabulis aureis, & malogranatis ab extremitate vestimenti. quæ singula per exuberantem mollitiem suam filia Sion imitabantur in ambitu sui vestimenti, quibus factis contumeliam irrogabant peculiari prerogatiua vestium sacerdotalium, circumferentes amicula fimbriata coloris melini hyacintho, coccoque bis tincta.* Hætenus Basilii de fimbriata veste, & de illius forma. de qua veste locutum reor Dauid in Psalm. 143. *filia eorum composita, & circumornata vt similitudo templi*. quas filias *circumornatas* dicit, propter fimbrias in ambitum pendentes. Addit verò, *vt similitudo templi*. id est, ad similitudinem, non quidem ipsius templi; (comparatio enim aliena videtur) sed earum vestium, quas summi Pontifices gestabant in templo. Quasi diceret, *Alyso del templo*. Ergo vestes fimbriatas sacerdotalibus vestimentis vsque adeò similes, quas Scriptura in filiis Sion, & in aliis passim Hebræis mulieribus obiurgat, & suggillat, easdem Dauid in præmissis Psalmi 44. verbis sponsæ tribuit, & commendat, cum dicit, *in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus*.

Quid igitur causæ subest, ob quam ornatus iste, qui in aliis fœminis tantopere displicet, in hac noua nupta perplacet? Ratio est in promptu. Loquitur Propheta de sanctissima Deipara, cui ex speciali priuilegio aditum ad Sancta Sanctorum patere oportebat, quò soli Pontifici sacerdotalibus indumentis conspicuo penetrare licebat. Ne igitur putaremus puellam istam ad prædicta sancta inornatam, & inelegantem venisse, addit Psalmographus, *Omnis gloria filia Regis ab intus*, &c. id est, cunctus ornatus, & decor huius Virginis, quæ ad templi adyta ingreditur, internus, ac spiritualis est in anima, quæ nimirum vestem gestabat fimbriatam, malogranatis tintinnabulis conspicuam, & hyacintho, coccoque bis tinctam, longè meliorem, atque honestiorem, quàm vestis poderis; in qua summus Sacerdos Sancta Sanctorum adibat. Nam cum sacerdotium illius esset spirituale, ac mysticum, sacerdotalia indumenta identidem spiritualia, & typica erant. Et sanè de podere sic recitat Salomon Sap. 18. *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia, &c.* Per orbem autem terrarum latè mundi vniuersitatè intelligunt Philo Iudæus, & alij plures, qui in prædicta veste cælos, stellas, elementa, & reliquam creaturarum disparem varietatem præclaris similitudinibus adumbratam ferunt. Non desiderabis hoc in Maria, quam mundi totius, atque omnium creaturarum virtutes, ac dotes iam tunc conuestiebant, & condecorabant, cum in templi adyta pedem intulit. Audi Ioannem Gerson tract. 3. super *Magnificat*. Alphab. 82. lit. X. *Omnis, inquit, pulchritudo filia Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate cuiuslibet creatura, cui astat unicuique sua pulchritudo saltem naturalis, cuius prima lineamenta deleri non possunt, possunt tamen superinduci.* Et post pauca sic infert: *Circumdatur quidem omnibus & singulis creaturis tanquam vestimento decoro multimodu varietate depicto, quarum omnium virtutes insignes continet, non quidem formaliter, sed eminenter.* Hætenus de ingressu Mariæ in templum, quod ipsi pro parthenone fuisse diximus. Reliquum est, vt de his, quæ ad præparationem sponsæ in gynæceis fieri solitam spectant, pauca dicamus.

Ergo puellæ quæ gynæcea adibant, vt ad regias nuptias sese ibi excolerent, tradebantur quidem custodi, aut nymphagogo. Esther 2. *Quarantur Regi puellæ virgines speciosæ; & mittantur, qui considerent per vniuersas prouincias puellas speciosas, & virgines, & adducant eas ad ciuitatem Susam, & tradant eas in domum fœminarum sub manu*

Egei eunuchi, qui est prepositus, & custos mulierum regiarum. Huius autem custodis, aut nymphagogi partes erant, vnguenta, pigmenta, & reliquum mundum muliebrem puellis tribuere, vt ad futura connubia sese adornarēt. Sed quemnam Virgini Deiparæ pro nymphagogo fuisse dicemus? An Zachariam sacerdotem Ioannis parentem à quo (vt narrat Georgius Nicomediensis, & Germanus Constantinopolit. in oratione de oblatione Deiparæ) per manus accepta, in Sancta Sanctorum inducta, atque inibi obseruata, & curata fuit: Non va de acquiesco. Longè meliùs dixerit; quisquis dixerit ipsam Dei prouidentiam id muneris sibi arrogasse. Huc spectant eiusdem Georgij verba subtexta. *Diuino consilio puellam mirabiliter seruante, ac gubernante, vt illa non temerè ad opus Dei maximum inde ab initio destinari, ac singulari studio præter illius ætatis consuetudinem præparari videretur.* Libet etiam dicere id muneris ab Spiritu sancto præstitum, hic enim B. Virginis nymphagogus, ad quem potissimum spectabat futuram Christi sponfam exornare, & expolire, aptius dici potest. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 19. sic scribit. *Maria in domo Dei plantata, & per Spiritum sanctum ibi nutrita instar oliuæ fructifera virtutum omnium domicilium efficitur, &c.* Accinit etiam Glossa ad illa verba Esther 2. *Vt tradant eas in manu Egei, qui est prepositus mulierum regiarum.* postquam dixit. *Potest etiam per Esther Virgo Maria designari, quæ per nuncium, id est, per Angelum summo Regi quesita est.* post pauca sic attextit. *Et tradita est sub disciplina Spiritus sancti, à quo custodita est dicta Virgo, vnctæ charismatibus, & varijs virtutibus adornata.* Hic ergo facer Spiritus Virgini in templo agenti nunquam non affuit, & veluti nymphagogus eam prouidentia sua seruauit, atque omnium gratiarum, & donorum suorum mundum muliebrem illi non parcè, & cunctanter, sed affatim, & celeriter suppeditauit. Ait enim sacer textus. *Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in oculis eius, & præcepit eunuchis, vt acceleraret ei mundum muliebrem.* Ita nimirum, vt ex omnibus prima ad thalamum veniret; sic autem factum: nam inter omnes animas non solum princeps, sed prima fuit Maria, quæ summi Regis Christi cubiculum ingressa nuptias cum ipso copulauit, vt dicemus infra vers. 4. cui nimirum Spiritus sanctus omnia accelerauit animæ ornamenta, scilicet prædestinationem, redemptionem, gratiæ infusionem, rationis vsum, & alia eiusmodi, vt nimirum hæc omnia priùs, citiùs, ac celeriùs omnibus obtineret.

Rursus virginibus in gynæceo agentibus assignabantur ancillæ, seu puellæ pedisequæ, de quibus nuper diximus ad illa verba Psalm. 44. *Ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo.* Harum verò puellarum partes erant sponse in gynæceo agenti ministrare, & ipsam ad nuptias præcurrentem à tergo insequi. De his adnectit sacra historia Esther 2. *Et vt traderet ei septem puellas speciosissimas de domo Regis, & tam ipsam, quàm pedisequas eius ornaret, atque excoleret.* Et sanè fas est dicere sanctissimæ Virgini in templo tanquam in gynæceo moranti Angelicas substantias, seu naturas quamplures pro pedisequis ancillis à Deo adscriptas fuisse, vt ipsi ad nutum obsequerentur. Georgius Nicomediensis in dicta oratione sic fatur. *Erant utique Maria in templo mores incomparabiles, & agenda vitæ ratio composita virtutibus, & cum Angelis conuersabatur particeps diuinarum reuelationum.* Et infra. *Crescebant in Virgine dona Spiritus sancti, & versabatur cum Angelis. Zacharias vidit quendam cum ea sermocinantem, qui erat inusitata specie: erat autem, qui apparebat Angelus Dei. Quis vidit? quis audiuit talem ascensum corporis, quod in Sanctis Sanctorum habitat, & stipatur ab Angelis? Vides postea paterno consilio spiritus in ea adumbrationem, & de ministerijs Angelorum dubitas?* Ambrosius lib. 2. de virginibus. *Quia etiam tunc minus sola sibi videbatur, cum sola esset: nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Hieronymus in historia de ortu Mariæ. Quotidie, inquit, ab Angelis frequentabatur. S. Ildephonsus in serm. 5. de Assumptione. Si quis indagare voluerit, quàm sanctè, & iuste in templo Maria vixerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli Archangelo, & Angelis sibi collatantibus, secumque loquentibus.* Cum his conspirat Glossa in cap. 2. Esther, vbi postquam Esther Deiparæ simulachrum fuisse dicit, per puellas pedisequas, quæ eandem stipabant, & illi obseruiebant, Angelos Dei concipit. *Quia omnes sunt administratorij spiritus propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.*

Et sanè cum B. Virgini Angelorum obsequium nusquam defuerit, tunc vel maxime illud adesse debuit, cum in templi penetralibus mansit: nam tunc potissimum de ipsismet Angelis Maria merita fuit. Constat enim ex communi Patrum consensu votum virginittatis inibi ab ipsa primùm nuncupatum, atque exinde virginittatis vouendæ

dæ omnibus aliis tam fœminis, quàm viris exemplar fuisse. Huius autem voti tanta est virtus, & potentia, vt ex hominibus Angelos efficiat; quatenus illi per dictum votum integritatis seruandæ moralem necessitatem sibi imponunt, quam Angeli, natura duce, sortiti sunt: atque inde Angelorum numerus, quem peruetus ruina imminuerat, maximum per Mariam incrementum accepit; à qua id planè Angelis donatum est, vt qui suapte natura per naturalem generationem multiplicari nequibant, per oppositum, impedita nimirum, atque inhibita generatione, innumerabiles fierent. Æquum igitur fuit, vt eo tempore Angeli erga Virginem obsequentiores essent, in quo eorum natura ab ipsa non solum numero, sed etiam dignitate, & gloria augeri, atque sedes illas, quas priorum corruptela, & ruina vacua dimiserat, posteriorum integritas, & constantia per eandem Virginem iam iam reficere, & instaurare incipiebat. Ad hunc sensum allicere integrum est verba Nicomediensis in illa oratione: nam paulò inferiùs sic scribit: *Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quasi charissima sorori, vel potius tanquam communi matri obtemperabat ei.* Nota verba. Dicitur enim Maria in templo sororem, ac matrem erga Angelos egisse: sororem, inquam, quatenus ipsa virginitatem coluit; virgines enim Angelorum germani fratres sunt. Matrem verò, quatenus modo suprà dicto, per votum virginitatis Deo nuncupatæ exemplo Angelos generauit, eiusdem virginitatis vouendæ, & Angelicam vitam ducendi reliquis auctor, & dux existens. Ex his autem sic conficit dictus Præsul: *Oportebat quidem ei non vnum tantum seruire Angelum, sed decies mille millia eam stipare.* Vt nimirum tantæ matri pro meritis deferrent, & acceptam ab ipsa suæ multiplicationis gratiam multis ad nutum ipsi obseruiantibus rependerent.

Altera præparatio gynæcei propria erat cibus lautior, & delicatior: hic enim ad pulchritudinem curandam valdè opportunus est. De hoc cibo dictum est illud Esther 2. *& vt traderet ei partes suas.* Et Ezech. 15. *Similam, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora vehementer nimis.* Data etiam Virgini in templo deliciores, & suauiores epulæ. Georgius Nicomediensis in dicta oratione multa ferit de cibo, quo Virgo sanctissima alebatur in templo. Aliqua carptim ab eo excepta hîc adscribemus: *Forma incorporeus afferebat nutrimentum corporis conueniens, & essentia materia expertis tradidit mulieri canistrum cibi, qui videbatur materialis.* Et infrà: *Res est arcana, & quam non potest assequi ratio. Adolescentula talia dona est assequuta, vt incorporei cedant eius ministerio, stipatur ab Angelis, & ab his alimentum accipit ambrosiam.* Et subinde sic attexit: *Oportebat enim diuinum tabernaculum talibus augeri accessionibus: oportebat agnam immaculatam tali excipi cõuiuio, talibus cibus exfatiari.* Accinit Andreas Cretensis: *In adytis templi tanquam in aureis vecta thalamis immortalẽ, non communem cibum sumebat.* Simile quidpiam videre est apud Germanum: *Mansit, inquit, de cetero in Sanctis Sanctorum, ambrosiam nutrimentum per Angelum accipiens.*

Sed cur exquisitus ad eò cibus Mariæ in templo agenti ab Angelis affertur? Ad delicias, inquires. Non assentior, credo potius Nicomediensi Antistiti, qui de ambrosia illa, qua Virginem ab Angelis pasci dixerat, ad hunc modum attexit. *Manus Virginis corporea admirabile, quod conspectum fugit, alimentum accipiebant, & per ipsum immaculata anima implebatur bonis.* Sensus autem horum verborum hic est. Offerebat Angelus corporeis Mariæ manibus cibum materialem, ac visibilem; hic autem non solum corpori, sed animæ etiam proderat, eam pluribus bonis affatim replens. Quod ita intelligo, non quasi præfatum alimentum aliquid gratiæ animæ illius impertiretur (hæc enim Eucharistiæ propria, ac singularis dignitas est,) sed quia tale erat, vt corpus delicatissimè nutriens, atque illud more aliorum corruptibilium ciborum minimè grauens, seu onerans, animam ad spirituales functiones promptam, expeditamque redderet ad vacandum sine intermissione aliqua orationi, contemplationi, & lectioni: in his enim exercitamentis B. Virgo vitam ducebat suam, quandiu in templo morata est.

Aliter etiam spiritualiùs comminisci fas est, scilicet B. Virginem pro splendidis epulis, quibus in templo tanquam in gynæceo utebatur, sacræ Scripturæ opiparam mensam fuisse: earum enim lectio, seu refectio ad nuptias cum Christo per Incarnationem celebrandas eius pulchritudinem multò magis augebat. Sacræ Scripturæ lautissimam mensam, & affluentes delicias pulchrè describit S. Gregorius lib. 16. *Moral. cap. 9.* Augustinus de vera religione cap. 51. Chrysostomus hom. 20. in Genes. & alibi sæpe. Qui omnes Scripturam sacram animi cibum splendidissimum, ac delicatissimum, potumque suauissimum esse decernunt. Atqui B. Virginem Scripturis lectitandis

assiduo in templo vacasse docent Ambrosius *lib. 2. de Virginibus*. Augustinus *serm. 9. de tempore*. Origenes *homil. 6. in Lucam*. Andreas Cretensis *homil. de Annuntiatione Angel*. Anselmus *de laudibus Virginis*. Bernardus *hom. 3. super Missus est*. Antoninus *de B. Virgine*, qui aptè ad ea, quæ diximus, sic scribit. *Maria delitiosa sacra Scriptura mensa, iugique conuiuio largè fruebatur.*

Sed consulendus nobis est Hieronymus ad illa verba Ezechielis suprà citata. *Similam, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora uehementer nimis.* ubi per tria hæc, quibus puella illa nuptias expectans ad venustatem comparandam delitiosè refecta dicitur; primum sanctissimæ Trinitatis cognitionem ex Scripturis sacris hausit, & expressam intelligit, in oleo scilicet Patrem, quia ex oleo lumen alitur; ex Patre autem procedit Verbum, lumen scilicet ex lumine: in simila Filium, qui se ipsum frumenti granum compellauit, dicens, *Nisi granum frumenti, &c.* in melle Spiritum sanctum, quia ipsi consolatio, & dulcedo tribuitur. Et sicut ex tribus illis, scilicet simila, oleo, & melle in conspersione vnus efficitur prædulcis, ac delicatus panis: ita etiam ex tribus, & in tribus personis vna subsistit Trinitas. Ac demum sic orationem claudit. *Qui talem comederit cibum, & hoc dulcissimo, & suauissimo pane, oleique splendore fulgenti pastus fuerit, ac nutritus, vertetur in decorem, & fiet pulcherrimus, non semel, sed repetito nimis, nimis.* Hæc certè sanctissimæ Trinitatis cognitio, quæ tam delicatè animam reficit, B. Mariæ animam affatim impleuit, ac delitiosissimè pauit, incredibilem decorem, ac pulchritudinem illi afflans, atque inspirans.

Huc spectant ea, quæ Albertus Magnus de sapientia Virginis scribit in Mariali cap. 98. *In sapientia, inquit, est quidam gustus spiritualis primæ veritatis. In gustu autem tria sunt, immediata coniunctio rei gustatæ cum gustu, discretio gustabilium, & delectatio sensus. Sed in his omnibus excelluit Virgo omnes viatores.* Probat hoc per singula capita Albertus, & denique sic attextit. *Cuius palatus spiritualis ab omni corruptione sanus fuit, & spirituali dulcedine plenus nihil nisi Deum, & propter Deum gustauit.* Et in decursu comparans sapientiam istam, seu spiritualement gustum Dei, quo Virgo fruebatur cum sapientia aliorum viatorum, sic addit. *Igitur esurire, & saturari medium est comedere: sed unum extremum, scilicet esurire, ac sitire Deum est proprium viatorum; saturatum esse est proprium comprehensorum: ergo comedere, & gustare, quod est medium inter duo extrema, ad Mariam spectat.* Itaque Albertus sentit omnem aliam sapientiam, quæ aliis quibuscumque hominibus viatoribus tributa est, si cum sapientia Virginis componatur, esuriam, ac famem Dei potius appellandam esse, quàm saporem, ac gustum illius: atque adeò fas est dicere, aliis sitientibus, & esurientibus Deum. Mariam tantummodò in hac vita illum comedisse, gustasse, ac bibisse. quod perinde est, ac si dicamus, omnem aliam sapientiam, si cum sapientia Virginis in lancem veniat, esse puram, ac meram ignorance. Ipsissima verba transcripsit S. Antoninus *in summa tit. 15. cap. 18. §. 1.*

Huius verò comparationis inter sapientiam Virginis, & aliam quamlibet, modum vt teneas, adeundus tibi est Gerson *in tract. de Mente contemplationis, Alphab. 73. lit. h.* ubi sapientiam describens, sic ait. *Sapientia secundum nomen suum valet tantum, sicut saporosa scientia, qui sapor respicit affectionem, desiderium, & appetitum eius, cui inest: & ideo potest in aliquo esse magna scientia, seu cognitio Dei, in quo erit vel modica, vel nulla sapientia, quia non habet saporem, vel affectionem ad illud, quod scit.* Ergo victoria illa, quam Virginis sapientia de omni alia viatorum scientia reportauit, in eo certè sita fuit, quia cum summa Dei cognitione quantum ad speculationem, summum quoque saporem, & gustum eiusdem Dei copulauit quantum ad affectum. Quapropter idem Gerson in consequentibus B. Virginis mentem in sua ipsius anima, velut in triclinio quodam mensæ cuiusdam omnibus Dei attributis, tanquam ferculis pluribus stipatæ accumbentem, atque ex his delitiosissimè gustantem fingit. His cibis, atque epulis utebatur Maria in templo, tanquam in gynæceo agens, comedens vtique, ac gustans Deum, non tamen satiata Deo; saturitas enim, vt ait Albertus, Beatorum propria est, qui Deum clarè, & apertè contuentur, iuxta illud, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Sed tamen quæres, an Virgo quandiu in templo egit, aliquoties non modò Deum gustauerit, sed de ipso etiam ad saturitatem vsque sumpserit: an scilicet illum, sicuti est, clarè, & dilucidè viderit. Certè in eam sententiam pendet animus, vt credam Mariæ in tabernaculi penetralibus, agenti sæpè ac sapiùs, ænigmatum nebulis detersis,

terfis, Deum sicuti est, sese visendum, ac contemplandum dedisse; atque adeò eius fatieratis, qua Beati perenniter gaudent, ipsam per interualla quædam pluries participem effectam fuisse. Hæc videtur fuisse Hieronymi sententia, qui in historia de ortu Virginis, *Quotidie, inquit, ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, quæ illam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat.* Ad stipulatur etiã Gerson in tract. 2. super *Magnificat. Alph. 82. lit. Q. & R.* vbi de tempore illo, quod Virgo in templo duxit, appositè ad ea, quæ hactenus diximus, sic scribit. *Nonne lumen illud immensum scintillabat aliquoties ad oculum mentis intuendum se illi præbens, qualiter in via Moyses, & Paulus æstimantur.* Et paucis suppressi. *Quid ergo putaueris esse talem prospectum per fenestras sponsæ? Quid nisi radios illuminationes in domo sponsæ, quæ domus est superius mentis cœnaculum.* (nota similitudinem ab epulis petitam.) *Non enim aliter potest prospicere nouiter Deus, nisi quòd prospici se facit, sed in transitu, & subito, referens aliquid simile, si piè dici potest, ad illud pastoritium,*

Et fugit ad salices, & se cupit antè videri.

Tota denique visio Ezechielis de animalibus, & rotis per mysticas coruscationes, & scintillationes nobis illud insinuat. Ex his constat quàm non rarò B. Virgo in templo manens Deum clarè viderit, & de illius gustu, & sapore exsaturata fuerit, cœlestis illius ambrosiæ particeps effecta, qua non Beati solùm, sed Deus ipse affatim impletur.

Id verò memet refert ad illa verba Esther 2. *Et præcepit Eunuchò, vt acceleraret ei mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, &c.* Nam sententia illorum, vt traderet ei partes suas, non est in promptu. Eam igitur vt capias, cogita partes, Græcè *μειρίδας* ex veteri vsu appellari fercula, aut cibos, quos aliquis prægustat in conuiuio, & subinde ad alium destinat, vt fusè dicemus infra cap. 2. vers. 4. ad illa verba: *Ordinauit in me charitatem.* Id sibi volunt partes Genes. 44. vbi de Ioseph fratribus suis beneuolentiæ significationes exhibente in conuiuio sic textus sacer: *& mirabantur nimis sumptis partibus, quas ab eo acceperant, &c.* Ex profanis autem accipe vnum, aut aliud testimonium, accepturus plura loco citato. Suetonius in Caligula: *Equiti, inquit, Romano contra se auidius, hilariùsque vescenti partes suas misit.* Apuleius lib. 8. *Partesque sumptas clanculum, & prægustatas à se portiones auferebat hilaris.* Mitto alia. Sensus igitur illorum verborum est. Præcepit Assuerus Rex Eunuchò, cuius curæ & custodiæ puella Esther commissa erat, vt ipsi omnia ad ornatum opportuna maturiùs compararet. *Et traderet illi partes suas.* suas, inquam, id est, ipsius Regis; vt nimirum prægustatos à se cibos, & fercula de sua ipsius mensa illi deferret, vti epulis regiis innutrita citiùs pulchritudinem, & venustatem illam obtineret ad nuptias ocyùs contrahendas. Non aliter à Deo cum B. Virgine actum puta, nam vti illam ad futuras cum Christo nuptias delicatiùs nutrirer, non aliunde, quàm ex mensa sua prægustatos à se cibos ad illam destinabat; ambrosiam videlicet illam, hoc est, sui ipsius claram contemplationem, quæ ipsimet æterni, atque immortalis cibi loco est, Mariæ per singulos dies (vt ait Hieronymus) impertiens. Hæc autem siue clarior, siue obscurior Dei cognitio, aut potiùs gustus Deiparæ pulchritudinem, & venustatem augebat *vehementer nimis.* Primùm, quia tam excellens Dei contemplatio charitatem, & gratiam augebat, in quibus tota animæ venustas sita est. Deinde, quia ex dicta contemplatione Dei in externam speciem, & formam plurima pulchritudo redundabat, vt docet Dionysius de præconio Virg. lib. 2. cap. 4. *Hoc, inquit est credibile, imò certum, excellentissimam illam gratiæ plenitudinem, & mentis claritatem in corpus redundasse, præsertimq; in vultu resplenduisse: si enim mentis perturbatio in anima passionata deformitatem corpori adducit, cur non serenissima, ac candidissima mentis, & in Spiritu sancto latissima conscientiæ ad vultus decorem, totiusque corporis venustatem exuberaret, ac redundaret, &c.*

Sed vt eò recurramus, vnde soluimus, certè D. Hieronymus illa verba Ezechielis 16. *Similam, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora vehementer nimis.* aliter recenset his verbis: *Hæc tria vel per trium dulciorem panem commendat: qui panis de celo descendit, &c.* Itaque per delicatum cibum, quo puella illa in gynæceo nutrita dicitur à Propheta, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum concipi posse censuit Hieronymus. Hanc etiam diuinissimam escam B. Virgo Maria in templo non gustauit solùm, sed ad saturitatem vsque sumpsit. At necdum, inquires, Sacramentum hoc fuerat institutum, aut inuentum à Christo; quomodo igitur iam tunc illud gustare, ac comedere potuit Maria? Tibi vt satisfaciam, refricanda est peruetus illa diuisio manducationis corporis Christi in spiritualem, & sacramentalem, quæ non apud

Theologos tantum, sed apud Patres, & Concilia valde celebris est. de qua nos supra in *Isagoge cap. 14.* non pauca diximus. Vt autem eam, quæ sacramentalis est, dimittam, spiritualis Eucharistiæ manducatio ex communi Theologorum, & Patrum consensu, nihil aliud est nisi votum, desiderium, aut propositum illud accipiendi. Tridentini verba hæc sunt. *Illos nimirum, qui voto caelestem illum panem edentes fide viuam, qua per dilectionem operatur, fructum eius, & utilitatem percipiunt.* Ergo Ioannes Gerson tract. 2. super *Magnificat*, ad illa verba, *Esurientes impleuit bonis*, postquam dixit B. Virginem ex die, qua in templo præsentata fuit, probè intellexisse arcam, & manna in ipso inclusum, ac cæteras victimas, quæ per singulos dies mactabantur, caelestis sacramenti, ac sacrificij vmbra esse. Ita demum ait. *Maria dum stans, & orans in templo aspicebat, credebat, & intelligebat omnes oblationes, victimas, & holocausta, sacrificia in super matutina, & vespertina, adimplebatur bonis huius benedicti sacramenti etiam ante conceptum benedicti fructus ventris sui, &c.* Quid illustrius? Ergo iam inde à tempore suæ oblationis in templo diuinissimi illius cibi delicias non sacramentaliter, sed spiritualiter gustare, ac manducare cœpit: atque adeò nihil illi deerat ad pulchritudinem, ac venustatem augendam; vt proinde dicere liceat, *Similam, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora vehementer nimis.* Et sanè cum ex supra dictis constet tres spirituales cibos Virgini in templo agenti affatim à Deo suppeditatos fuisse: hi sunt lectio Scripturarum sacrarum, contemplatio Dei, & sacramentum Eucharistiæ, haud temerè dicemus in tribus illis eduliis, quibus puellam illam in gynæceo nutritam docet Propheta, totidem illos spirituales cibos adumbratos fuisse; scilicet in *simila* Eucharistiam, in *melle* Scripturam sacram, & eloquia Dei, de quibus sic Propheta, *& dulciora super mel, & fauum*: in *oleo* denique contemplationem Dei, quatenus hæc, vt aiebat Hieronymus, *charitati Dei, tanquam flamma cuiusdam alimentum administrat.*

Quid plura? Certè in gynæceo, vt sæpè aliàs adnotauimus, erant crebræ lauationes, ieu balnea, vt supra in prima expositione prophetica huius carminis, ex Paulo, & Ezechiele non perfunctoriè probauimus. Has etiam Virgo in templo degens ad expoliendam animæ formam spiritualiter adhibuit. Georgius Nicomediensis in dicta oratione de oblatione Mariæ, vberes illi lachrymas dat, quibus se quotidie perluebat, ex dolore non vtique de propriis, sed de mundi potiùs peccatis suscepto, atque ex desiderio æternæ vitæ effusas, à qua exul effecta non poterat non vbertim illachrymari. Cum verò has lachrymas, Dei, ac proximi profunda charitas ipsi exprimeret; certè pro calidis aquis ad lauationem idoneis eidem esse necessum erat: & quatenus charitatem ipsam per sui exercitium adaugebant, venustatem, ac pulchritudinem animæ, quæ tota in charitate sita est, maiorem, & ampliorem reddebant.

Aliter etiam de hac spirituali lauatione Deiparæ in templi gynæceo statuere licet. Nam D. Dionysius in *lib. de caelesti Hierarchia cap. 7.* multis probat Angelos à Deo purgari, & expiari, non quidem ipsos à sordibus, aut fæcibus emundante, sed ab ignorantia. Sic enim ait. *Per illustrationem, ac diuinæ scientiæ communionem quasi purgat, atque expiat ignorantiam perfectiorum initiationum scientiam, quæ cuique pro dignitate conceditur.* quæ verba expendens Scholiastes illius Maximus sic scribit. *Qui ignorantiam suam in diuinarum illuminationum profunda abyssu mersi deponunt, qui illis pro nymphæo est.* Nymphæi significationem vidimus supra in prima interpretatione prophetica huius carminis Dicebatur autem *nymphæum*, vt placet pluribus, balneum, in quo puellæ virgines à viris, & à coniugatis fœminis separata corpora abluebant. Atque adeò sensus Maximi is est. Cum audis Angelos purgari, & expiari, non ita intellige, quasi per expiationem istam sordes aliquas abiiciant; sed quia mentes illæ caelestes à nobis separata, ac seclusæ virginum ad instar in ipsius diuinitatis altissima abyssu ceu in balneo, ac nymphæo quodam mersæ, ac refusæ tunc ignorantiam abluunt, cum de aliqua re denuò edocentur. Iam intelligis, quò tendam. Idem profus reor Angelorum, & Mariæ balneum, idem nymphæum, quò Virgo virginum utebatur in templo: nam profundissimæ diuinitatis abyssu obruta, per nouas ipsius Dei, ac rerum diuinarum notitias in singulos dies priores ignorantia detergebat, atque expiabat, sapientior simul, ac purior effecta.

Denique puellæ innubæ post lauationem, & balneum vnguenta adhibebant in gynæceis ad emaculandas, condiendas, & læuigandas carnes. de his est illud Esther 2. *Ita duntaxat, vt sex mensibus oleo ungerentur myrrhino; & alijs sex, quibusdam pigmentis, & aromatibus uterentur.* Atque eò etiam spectare nuper diximus verba illa
Psalms.

Pſalm. 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, &c.* vbi præcipua vnguenta referuntur, quibus curatio, & medicatio formæ fieri solebat. Circa significationem verò harum specierum eadem est fermè sententia Hieronymi Rufini, & Brunonis, apud quos myrrha, cuius in curanda forma præcipuæ partes erant, virginitatis significationem continet: nam illa carnes à corruptione naturali vendicat; hæc à morali corruptela immunes reddit. gutta humilitatis exhibet simulacrum. Verba Rufini sunt: *Gutta, seu stacte, quæ pellit tumores; humilitas est, quæ pellit inflationes, & omnem motum superbia.* Casia orationis symbolum præbet. Audi Brunonem: *Casia species est, quæ in aquoso loco & crescit in magnam altitudinem, & reddit magnum odorem. Talis est oratio iustorum, quæ aquis lachrymarum irrigatur, cuius altitudo, & odor ad Deum pertingit.*

Plures tres istas aromaticas species permiscet, atque omnes alias per synecdochen in his significatas volunt, ac per eandem mysticè aut Spiritus sancti dona, & charismata, aut omnes alias virtutes, quæ nos apud proximos per bonæ famæ gratum odorem commendat. Frustrà hîc de singulis dicam, cum constet ex his spiritualium aromatum generibus nullam speciem à Virgine Deipara in templo velut in parthenone degente, & Christi nuptias expectante ad colendam animæ formam adhibitam non fuisse. De Spiritus sancti donis sic fatus est Nicomediensis in dicta oratione de oblatione Mariæ: *In dies crescente atate crescebant in ea dona Spiritus sancti.* De virtutum omnium suaueolentia idem ibidem sic ferit: *Erant quidem mores ei incomparabiles, totaque vitæ agenda ratio composita virtutibus.* In Græcis est, *condita, unguentata virtutibus.* de quarum virtutum exercitio Petrus Damianus sermone 3. de Natiuitate. *Flammescibat, inquit, ardore gemina charitatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, &c.* Quod si de tribus præfatis aromatibus, prout totidem virtutes adsignificant, sermonem faciamus, constabit profectò Virginem in templi gynæceo illis tanquam spiritualibus pigmentis ante alias usam fuisse. Nam myrrha virginitatem notat: hanc verò Maria in templo non modò ab omni labe purissimam seruauit; sed etiam illam Deo voto nuncupato prima in perpetuum promisit. Ita fert communis Patrum sententia S. Bartholomæus apud Abdiam *lib. 8. Thaumaturg. 2. homil. de Annunciatione.* Nyssenus *in oratione de humana Christi generatione.* Hieronymus *in historia de ortu Mariæ.* Augustinus *de sancta Virginitate cap. 4.* Anselmus *lib. de excellentia Virginis cap. 4.* Bernardus *serm. 4. super Missus est. & serm. 4. de Assumptione.* Arnoldus Carnotensis *de laudibus Virginis.* S. Illephonsus *serm. 5. de Assumptione.* Rupertus *lib. 3. in Cant.* Honorius *lib. de æternis gaudiis.* Ioannes Hierosol. *lib. de institutione Monachorum,* & alij passim. Maria, inquam, prima virginitatem promisit; atque adeò (liceat sic dicere) oblatae ab ipsa virginitatis myrrha fuit *myrrha prima.*

Sed quid sibi vult myrrha prima, iuxta phrasim Scripturæ sacræ? Plures ex Hieronymo eam myrrham, quam ipsum arbustum antequam ab agricola feriat, aut conuulneretur, Zephyro, Austrove perflante, sponte exsudat, atque effundit, primam, seu electam myrrham dici asseuerant. Talis ergo fuit Mariæ virginitas, ad quam vouendam non alterius exhortatione exemplove icta, aut perculsa, sed prima, & princeps liberè admodum, ac spontè inducta fuit. quam libertatem, & spontaneam prioritatem eleganter expendit Augustinus, in lib. de S. Virgin. loco citato, *Christus, antequam conciperetur, Virginem iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit; quæ virginitatem suam Deo dicauit, cum adhuc quid esset conceptura, nesciret, ut in terreno, mortali corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non necessitate seruandi. Ita Christus nascendo de Virgine, quæ antequam nesciret, quis de illa fuerat nasciturus, Virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare.* Hactenus Augustinus, qui ne illud quidem ante votum virginitatis à Maria emissum præcedere voluit, quod ipsius voluntatem ad virginitatem eligendam obstringere posset, scilicet notitia, & cognitio suæ electionis in Matrem Dei, quam ipsa ex Scripturis sacris Virginem futuram forsan didicerat: ut ea ratione istius virtutis prima nuncupatio magis, ac magis spontanea esset, iquatenus non vis, non præceptum, non adhortatio, non exemplum, sed sacri Neumatis sola adspiratio, & flatus illam expressit.

Gutta verò humilitatem adsignificat. Huius verò exercitium in templo B. Virgo studiosissimè amplexa est. S. Mecharedes *de spiritali gratia lib. 1.* ea commemorans, quæ Virgo post suam præsentationem in templo agebat, inter alia sic ferit: *Prima virtus.*

virtus, in quam nata infantula, & in templo presentata sese exercuit, singularis humilitas fuit, per quam nulli se unquam creaturæ pretulit, & cum hac humilitate obedientiam sociavit. Nota supremum gradum humilitatis, creaturarum omnium Regina in suæ æstimationis trutina nulli creaturæ sese anteposuit. Ignorabat ergo, inquires, suam dignitatem, & meritum celsitudinem? Minimè gentium; agnoscebat utique, quanta, & qualis esset; tamen magnitudinem suam non sibi arrogabat, sed totam Deo adscribebat: atque ea ratione, dum id, quidquid erat, sibi ipsi adimebat, suam cogitationem, & æstimationem ad nihilum, ex quo facta, & condita fuerat, tandem redigebat, quod ipsi cum qualibet etiam ignobilissima, & obscurissima creatura commune erat.

Ad istam verò tantam, & tam insolitam demissionem animi non parum faciebat notitia illius beneficii, quod ipsius Virginis proprium, & peculiare fuit: quia nimirum sola inter omnes alias creaturas suæ creationis donum, atque existèntiam ipsam secundum substantiam per gratiam, & merita Christi obtinuit, ut fuse docuimus in nostra defensione pro immaculata Virginis Conceptione à cap. 20. & deinceps, eius immunitatem ab originali culpa, & à debito illius contrahendæ inde aucupantes. Quapropter cum ob eam rationem naturalem quoque substantiam, & existentiam suam gratiæ tribuere cogeretur, in nihilum tandem recidebat, in quo aliis despiciatissimis creaturis nihilo superior erat. Vnde S. Bernardinus non iam de tempore illo, quod Virgo in templo transegit, sed de primo Conceptionis momento, & primæ sanctificationis affluentia verba faciens tom. 2. serm. 51. art. 3. sic fatetur. *Ex tunc, inquit, suspirabat ad Deum, ut filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam. Nec tamen credendum est, quod ad recipiendum eum in carne sua existimaret se dignam: nam gratia sanctificationis prædicta (nempe primæ) quæ eam omni virtute replevit, sic à principio mentem eius in abisso humilitatis fundavit; quòd sicut nulla post filium creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abisso humilitatis profunda. Nec insuper alicui creaturæ in hoc saculo est datum tantum gustare nihilum creaturæ, nec tantum se humiliare, & annihilare sub voluto maiestatis.* scilicet ob rationem dictam; quia nimirum sola Virgo suæ creationis beneficium gratiæ per Christum debuit, atque adeò nihil illius sibi retinens, eidem gratiæ restituebat acceptum, & ad cogitationem eius nihili ex quo facta fuerat, sese referebat.

Nec caret emphasi ille modus loquendi. *Nulli datum est tantum gustare nihilum creaturæ.* Nam quis gustus nihili, seu annihilationis esse potest? Nisi fallor, Deiparæ humilitatem ex eo commendat Bernardinus, quia non illi violentum, aut coactum, sed spontaneum, gratum, ac volupe erat de ea consideratione suæ annihilationis affatim sumere, & exsatiari: effecit autem hoc summa palati puritas. Nam ex quo primi hominis palatus ex concupiscentia diuinitatis pomum prohibitum gustauit, appetens nimirum illud esse Dei, cui soli essentialè, ac substantiale est esse, atque existere; tanta in filiorum eius palatum intemperantia redundauit, ut de illo appetitu infectus, nihilum, vel non esse ipsi prorsus desipiat, atque illud plurimum dereftetur. Aliter Virgo Beatissima: nam illius deprauati gustus haud particeps facta, quippe quæ nec fructum vetitum in Adamo gustauerat, nec de inordinato illius appetitu aliquid traxerat, sui annihilationem cum ingenti voluptate auidissimè gustabat, ac regustabat, ad quam statim atque esse cœpit, hoc est, in primo suæ conceptionis articulo, sese conuertit, ac de illius sapore inescata semper deinceps tanquam cibum dulcissimum illam sumpsit: & quod mirari magnopere debeas, hoc tam tenui cibo, nimirum ex nihilo innutrita per omnes succedentes ætates in immensum exercuit, & ad eam magnitudinem ocyùs peruenit, quæ soli Deo primas concedit. Nam suæ exaltationis, & magnitudinis mensuram humilitati Virgo præcipuè debet. *Quia respexit humilitatem ancille sue.*

Non solum autem B. Virgo per id tempus per sui despectum ad nihilum cogitatione redibat, sed aliquid etiam nihilo deterius in se ipsa cogitabat. Quid istud? Culpa certè, ac peccatum. Audi eandem Virginem apud Bonauenturam *de Meditatione Christi cap. 3.* S. Elisabetham sic in reuelatione alloquentem. *Pro firmo scias, quòd quando eram in templo, ita me reputabam ream, & vilissimam, & gratia Dei indignam, sicut tu.* Itaque Virgo tunc (si Bonauenturæ credendum est) non sciebat certò se omni prorsus culpa vacare; atque adeò ex humilitate fontem, ac ream se ipsam existimabat. Cum Bonauentura conspirat Albertus Magnus *in Mariali*, ubi in disputationem

rationem vocans, vtrum Virgo habuerit poenitentiam? respondere assertiuè. Rationem autem sic conformat. *Non obstat, quod Virgo non habuerit peccatum, quia, ut dicit B. Gregorius, Bonarum mentium est culpam ibi agnoscere, ubi culpa non est.* Sentit ergo Albertus, B. Virginem per summam humilitatem alicuius culpæ non quidem conscientiam, sed suspicionem fortasse aliquando habuisse. Cæterum ab hac sententia Magni Alberti (etsi illam erroris non incusem,) longissimè tamen absum. Verba autè Bonauenturæ bonum ad sensum vocari possunt, vt nimirum Maria se *ream putarit*, non ita, vt alicuius criminis sibi conscia vnquam fuerit, sed quia sibi relicta, & gratiæ adiutorio fraudata, haud dubitaret, peccatis & reatibus se implicandam iri. Nam eo sensu de natura humana dixit Augustinus ex semetipsa nihil habere, nisi peccatum & ignorantiam.

Faceat, inquit, illa sententia; absit enim, vt in Virginem Mariam talis suspicio cadere potuerit, quam ex errore, siue ex ignorantia nasci necessum erat. Ego quidem huic opinioni non acquiesco; illam tamen non omnino damno, aut detestor. Quia dici posset in eo casu, talem suspicionem non fuisse errorem, sed opinionem, cui humilitas, & sui despicientia probabilitatem, ac fidem pararet. Et quamuis hoc supponat aliqualem ignorantiam suæ innocentiae, hanc tamen Virgini ob meritum humilitatis dare non est valde incongruum: sicut etiam corporis afflictiones, animi angores, mortem, & alia eiusmodi, à quibus, propter immunitatem ab omni culpa libera erat, eo solum nomine ipsi concessa fatemur, quia hæc meritorum copiosam messem eidem administrabant; quamuis hæc secundum se æstimata aliquid indecentiæ continere viderentur. Cùm autem alicuius culpæ à se admittæ suspicionem in Virginem cadere potuisse affirmat, de leuioribus, & venia dignis criminibus intelligendum esse reor: nam grauiorum culparum conscientiam, aut suspicionem Virgini tribuere nefas ducō.

Denique inter alios humilitatis actus, quos Virgo in templo agens exercebat, S. Brigitta eum enumerat, quem iam subiicio, hisce verbis. *Ego semper in corde meo optaui, vt viuerem ad tempus natiuitatis Christi, si forte fieri mereerer ancilla indigna Matris Dei.* Idem docuit Bonauentura, cuius verba infra subscribam. An non hæc tam profunda humilitas, & demissio animi *gutta* erat? Ita profectò. Nam *gutta*, Græcis *στακτη*, vt docet author Historiæ plantarum, ex quadam ignobiliori, & humiliori myrrha sponte defluit, quam iidem Græci *δύλω*, id est, seruam, siue ancillam, vocitant: quia nimirum hoc deterioris myrrhæ genus nobiliori inseruit, illi enim immixtum odorem ipsius, alioqui grauem, ob nimiam vehementiam temperat, gratioremque reddit. Hanc igitur ancillarem myrrham, siue guttam adhibebat Maria in templo Matris Dei, quam veluti myrrham primam, & electam cogitabat, *δύλω*, id est, seruam, & ancillam fieri impensè desiderans.

Extremo loco numeratur *casia*, per quam orationem, ac preces notari suprà diximus ex Hieronymo. Nulla ergo B. Virginis in templo, hoc est, in domo orationis magis assidua exercitatio, quàm orare, ac precari. Ita docet Bonauentura, (vt alios dimittam) qui in opere de Meditatione vitæ Christi cap. 3. tempus distribuens, quod Virgo diuersis officiis impendebat, ex sententia Hieronymi sic scribit: *Hanc sibi regulam statuerat, vt à mane vsque ad horam tertiam orationibus insisteret.* Et infra: *A nona orationem suam iterum incipiebat.* Et post pauca ex nomine ipsius Virginis sic fatur: *Surgebam enim semper in noctis medio, & pergebam ante altare templi, & tanto desiderio, & tanta voluntate, & tanta affectione, quanta poteram, & sciebam, petebam gratiam ab omnipotenti Deo obseruandi illa tria precepta, & omnia alia mandata legis, & sic stando ante altare septem petitiones Domino faciebam, quæ sunt hæc.*

Primo petebam gratiam, quæ possem implere dilectionis Dei preceptum. Secundo petebam gratiam, quæ possem diligere proximum secundum voluntatem, & beneplacitum suum, & vt faceret me amare omnia, quæ ipse amat, & diligit. Tertio petebam, vt me faceret odisse, ac fugere omnia, quæ odit. Quarto petebam humilitatem, patientiam, benignitatem, & mansuetudinem, & omnes virtutes. Quinto petebam, vt faceret me videre tempus, in quo esset nata illa beatissima Virgo, quæ debebat filium Dei parere; & vt conseruaret oculos meos, vt possem eam videre; linguam, vt possem eam laudare; manus, vt possem ei seruire; pedes, vt possem ire ad seruitium suum; genua, vt possem adorare Dei filium in gremio suo. Sexto petebam gratiam obediendi mandatis, & ordinationibus Pontificis templi. Septimo petebam, vt templum, & vniuersum populum suum ad seruitium suum conserua-

ret. Hactenus Bonaventura. Ex quo liquet, sanctissimam Deiparam in templi gynæceo orationem assiduam, & multiplicem pro casia ad animæ suæ culturam adhibuisse. pro casia, inquam, de qua Theophrastus lib. 6. cap. 2. *Casia candida valde odorata est, radix eius altè descendit, ramique permulti crassi, ac surculosi ab ipsa protinus tellure sparsi.* Author Historiæ plantarum septem ferme ramos statim ab imo trunco emittere solitum dicit; similem ergo huic B. Mariæ orationem apud te statue, scilicet valde odoratam, utpote qua Deum ipsum odore suo recrearet, ac deliniret; & ramosam, septem nimirum petitiones, tanquam septem propagines, ac ramos ex se fundentem; illas nimirum, quas ex S. Elizabethæ reuelatione depromptas recensuit D. Bonaventura. Et sicut casia rami non ex trunco oblongo, sed continuò ab ima radice adolescunt: sic etiam oratio, & preces B. Virginis velut propagines quædam in templo sese longè, latèque effuderunt, à sua conceptione, tanquam à profunda radice pullulare cœperunt. Sic tradit D. Bernardinus in sermone illo 51. *Inexpressibile, inquit, nobis est illud præferendum desiderium, & languescens orationis suspirium, quo Virgo in prima sanctificatione suspirabat ad Deum, ut filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam, &c.* Et idem dicendum est de aliis petitionibus suprâ recensitis. nam omnium par ratio esse videtur, ut charitate stimulante ab eo tempore simul occeperint. Hactenus de Mariæ gynæceo in templo, de quo longiorem sermonem propterea fecimus, quia ad ea, quæ subinde in decursu huius commentarij de vita eiusdem dicturi sumus, nobis referat, ac præmunit viam.

Redeo igitur ad carceres, unde solui. Cogita ergo B. Virginem ante Incarnationem in sponsalibus quidem à suæ Conceptionis primo articulo manentem in templo velut in gynæceo clausam, ad nuptias Christi delitiosis epulis, pretiosis unguentis, ac cæteris auxiliis præparatam, & excultam, atque nuptias istas vehementissimè peroptantem, hoc desiderio incitatam, ita demum profatam fuisse. *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* quibus verbis osculum, & amplexum expetens, quæ pignora sunt nuptiarum, nuptias certè deposcit; nimirum duas illas vnitates, spirituum videlicet, atque carnis, quas nuptiæ copulant, & astringunt, per osculum, & amplexum designatæ, ut suprâ in sono Allegoriæ, & in Prophetica expositione latiùs probauimus. Has verò nuptias, quas Virgo expectabat, atque expetebat, ei vitæ, quam hactenus in templo tanquam in gynæceo traduxerat, facilè anteponit; præfert nimirum cõiugium sponsalibus, in quibus eatenus manserat.

Sed quid per nuptias, quid per osculum, & amplexum notatum dicemus? Ioannes Gerson oscula, & amplexus, quæ hîc deprecatur Maria, non alia esse dicit, quàm illa, quæ puero Iesu recens nato libavit, atque adstrinxit: sic enim fatatur. *Osculetur, &c. Ecce reductis ad B. Mariæ tempora luminibus fidei, conspicio beatam istam matrem virginem fouentem gremio speciosum forma præ filiis hominum puerum Iesum, quem deosculabatur, crebrò recipiens vicissitudinem osculi cum amplexu tenerrimo.* Accinit Honorius, cuius hæc sunt verba. *Liceat iam nato oscula dare, & ab ore eius plurima suscipere.* At quænam mens horum vel osculorum, vel amplexuum tam suauitatem, quàm efficaciam assequi possit? Et sanè de efficacia illorum optimè Dionysius Rechelius de præconio Virginis lib. 1. cap. 36. *Non est, ait, qui ignoret ex mutuo, frequentique corporum contactu alterius qualitatem in aliud migrare, nouamque dispositionem vnum ab altero sortiri.* Cum igitur vnumquodque corpus actiuum, quantum de se est, applicatum sibi assimilet, & in ipsum, si capax sit, propriam virtutem transfundat: ex hoc certè perpendere, atque metiri par est, quantum ex vberissimo, & affectuosissimo Dei incarnati contactu purissima Deificata fuerit Virginis caro. *Quis enim diuini illius corporis, quod beatificata anima, ipsique diuinitati coniunctum erat, queat explicare virtutem? Virtus utique anima redundat in corpus, & in Christo virtus diuinitatis in vtrumque redundabat.* Causalis ergo, ac virtuosissima erat caro illius electa. Atque adeò sanctissima matris, quæ dulcissimum infantem, speciosissimumque puerulum in gremio fouit, ad vbera amplexatum tenuit, sibi que blandientem, & arridentem tam suauiter osculabatur: huius, inquam, corpus ex tali, tantæque carnis diuina contrectatione deificatum censerit oportet; quantam fragrantiam, atque virtutem exinde sortitum esse, quantam sanctitatem, & gratiam mentis inde contraxisse.

De eorundem verò osculorum suauitate, ac delitiis idem Rechelius cap. 35. *Intende insuper ô anima mea de felicitate spiritus sanctæ Mariæ, si vel à constitutione orbis tantam aliquando sponsa aliqua etiam per carnem, atque ex carne sit sortita dulcedinem, quemadmo*

quemadmodum *Virgo diuina. Ibas ad lectum o superfelix Maria, o delicatissima sponsa, non utique sponsi coniunctione caritura, non Ioseph ligni fabrum, sed Iesum mundi fabricatorem amplexatura, caelestemque, non mundanum sponsum osculatura. Ineffabilis, ut opinor, erat mentis tuae latitia, floridum lectulum ingrediens Dei, mox unigenitum speciosissimum, suauissimum virgineis vlnis susceptura, roseo ore osculatura, atque inter materna brachia ad quiescendum collocatura. O ineffabiliter iucunda, delectabilis, & munda Christi Regis, & Mariae matris unio, dum fontem sanctitatis, Deique sapientiam, mater puritatis, castissimaeque Virgo collo stringit, in brachijs suscipit, inter ubera ponit, suauissimo vultui applicat, & rubicundis labijs mulcet, dum apud maternum pectus obdormit, & singularem, charissimamque sibi sponsam Ecclesia sponsus constringit. O deliciarum delicia, dum tenerrima, deuotissimaque puella condormientem sibi vicissim, ut Deum adorat, & item ut unicum natum, & sponsum suum osculando circumdat. Et quidem haec unio quod intimior, eod purior, quoque frequentior, eod salubrior. Haecenus Rechilius. Non igitur abs re dictum, assertumque fuit a praedictis authoribus per ea verba, *Osculetur me osculo oris sui*, ardentissimum B. Mariae desiderium significari, quo eiusmodi amplexus, & oscula pueri Iesu, filij simul ac sponsi sui tam suauia, tamque efficacia percipiuit.*

Ceterum haec interpretatio, si intelligatur de praefatis amplexibus, & osculis corporeis, & externis per se acceptis, mihi non probatur: si autem accipiatur de eisdem, prout continebant significationem spiritualem illarum duarum unionum, scilicet animorum, & carnis, in quibus nuptiae consistunt, recipi quidem potest, in eo sensu, ut sanctissima Deipara praedictos amplexus, & oscula pueri Iesu sibi deprecans, illam, quam in illis considerabat, spiritus, & carnis unionem siue per Incarnationem, siue per Eucharistiae usum perficiendam expeteret, ac deposceret. Unionem, inquam, illam, quam in illis siue amplexibus, siue osculis cernebat, ac cogitabat; quia, ut tradit Gerson in eo loco citato, B. Virgo puerum Iesum crebro deosculans, & amplexans, aliud spirituale osculum, amplexumque animo agitabat suo, quos illa ipsius basia suauissima, & praedulces amplexus notabant, illos scilicet, quos Eucharistiam pure, ac syncere sumentibus Christus impendit. Nam post illa verba, *Speciosum praefilijs hominum puerum Iesum deosculabatur, recipiens vicissitudinem osculi*. sic statim attexit. *Ista dum miraris, & exoptas, quare non sacerdotium recogitas tuum, ratione cuius tibi fas est quotidie filio Dei, & hominis oscula dare, & amplexus, ipsum cernere, ipsum gestare*. At post pauca addit sanctissimam Deiparam, tunc cum puero Iesu oscula libabat, & amplexus adstringebat, in his Eucharistiam spiritualem, oscula, & amplexus, quibus Deus dignè communicantes excipit, contemplari solitam. Et infra tract. 9. in dictis osculis, & amplexibus pueri Iesu non solum Eucharistiae sacramentum a Virgine mente contemplatum fuisse, sed spiritualiter etiam manducatum affirmat, sic enim ait: *Iesu, tua fruitio* (sic enim manducationem spiritualem eo loci compellat) *virtuosius affecit Mariae spiritum, quam corporalis contrectatio, & lactatio suauissima tui ipsius*. Et iterum. *Iesu, tua fruitio, & manducatio fuit virtuosior in Maria, quam sola contrectatio, & visio corporalis, dum natus est puer in Bethleem Iudae, & reclinatus in praesepe, &c.* Vbi per contrectationem corporalem, oscula, & amplexus puero Iesu datos intelligit, ut ex antecedentibus liquet. Sensus autem verborum talis est. Etsi ex contrectatione corporali pueri Iesu, o Virgo sanctissima, quando illi amplexus, & oscula impertiebaris, & vicissim ab ipso carpebas, oblectamenti accipiebas plurimum; maius tamen oblectamentum, & fructum recipiebas, considerans, simul ac desiderans spirituales amplexus, & oscula dignè communicantium, & per hoc desiderium iam tunc spiritualiter Christum manducans. Sed ut hanc sententiam, quam genuinam putamus, enucleemus, aliqua praefari oportet.

Ergo notandum est, osculum, & amplexum, ut in sono Allegoriae praefati sumus, raturum, & etiam consummatum matrimonium notare; nam osculum animorum unitatem demonstrat, quam continet raturum coniugium; amplexus vero carnis unionem designat, quam includit etiam consummatum. Quapropter ad sententiam huius loci eruendam videre oportet, quoniam tempore matrimonium B. Virginis cum Christo raturum effectum, & quo tempore consummatum. Ioannes Gerson in tract. illo 2. super *Magnificat*, docet matrimonium Christi cum Maria ab instanti Conceptionis suae raturum effectum, & consummatum denique in gloria. Nam eatenus coniugium Christi, & animae raturum fieri putat, quatenus haec in gratia confirmatur; istam autem confirmationem Deipara Virgo in sua conceptione adeptae est. Sed tamen Gerson non

loquitur de matrimonio spirituali in sensu Pauli, & aliorum Patrum. Nam iuxta dictum sensum Maria Virgo ex momento conceptionis, & deinceps, vsque ad Incarnationem in sponsalibus mansit; matrimonium verò siue ratum, siue consummatum nesciuit, vt supra efficaciter confecimus.

Alij ergo tenent nuptias B. Mariæ cum Christo in eiusdem Incarnatione ratas, & consummatas fuisse. Et sanè eo tempore ratas effectas communis tenet Patrum consensus. Mariæ vterum *multorum connubiorum officinam* appellauit Anselmus, cuius verba eleganter commentatus est Ioannes Gerlon tract. 2. de Cantichordo. *Maria, inquit, cecinit Epithalamium. Quarum nuptiarum? vtrique plurimarum. Nubebat in aluo virginis vteri palatio humanitas cum Deitate, caro cum Verbo. Nubebat Ecclesia, quam Ioannes vidit tanquam sponsam nouam descendantem de cælo, viro suo Christo. Nubebat deiformis spiritus Mariæ Deo suo Domino, & agno, qui erat tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Has verò nuptias omnes in eadem aluo consummatas, & perfectas subinde affirmat. Cui accinere videtur B. Agnes, quæ, vt habetur *lib. 6. Reuelationum S. Brigittæ cap. 6.* sanctissima ista fœmina inspectante, & audiente, sic Virginem affata est. *Ego te rogo propter nuptias, quas Deus fecit tecum in hora ista* (id est, in Incarnatione) *vt filia tua stare possit in amore filij tui.* Cui sic B. Virgo, *Quomodo intelligis nuptias istas, edicito propter istam* (id est, propter Brigittam) *quæ hæc audit. Occurrit B. Agnes. Tu verè vtrumque, mater, & Virgo, & vxor Christi es: nam pulcherrimæ nuptiæ factæ sunt in te hora ista, cum Deus homini in te coniunctus est, & te per vnitatem carnis sibi copulauit.* Cum ergo B. Agnes dicat per Incarnationem Verbi Deiparam tales nuptias cum Christo contraxisse, & vnus carnis cum ipso effectam fuisse, planè significauit dictas nuptias eo tempore consummatas; nam proprius effectus, seu forma consummationis non est vtrique alia, nisi vnitas carnis. Accedit etiam magnus quidam consensus Patrum, qui B. Virginis vterum thalamum appellant nuptialem, ex quo Christus tanquam sponsus progressus est; thalamus autem consummationis locus existit. Eorum aliqua testimonia dedimus supra *cap. 5. Isagoges. §. 2. & 3.*

Denique ratio non leuis id suadere videtur; quia ad matrimonium ratum requiritur vnio spirituum per ordinem ad vnitatem carnis, id est, cum iure consummandi matrimonium; quod ius nascitur ex traditione mutua corporum, quam per consensum nuptialem sibi mutuò efficiunt coniuges. Matrimonium verò consummatum ipsamet vnitas carnis perficit, quæ ex congressu duorum coniugum resultat. Atqui vtrumque vinculum in Incarnatione copulatum videtur. Nam tunc Christus corpus, & carnem assumpsit, & assumptam Mariæ priùs, ac deinde reliquis hominibus sponte tradidit, atque impendit; quam traditionem B. Virgo tunc acceptauit, ac boni consuluit, semetipsam, carnemque suam eidem Christo vicissim impendens, ac conferans: ergo hic matris ac filij consensus coniugium ratum effecit. Rursus in eodem momento Christus & Maria facti sunt eadem caro. sic tradit Augustinus in homil. 4. de Assumptione. *Si igitur, inquit, natura, caro matris est filius, conueniens est, vt sit & filij mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum spectat ad eandem substantiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, & filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ, & substantiæ.* & plura subiicit in hanc sententiam. Idem docet Petrus Damianus in *serm. 2. de Natiuitate.* Arnoldus Carnotensis in *serm. de laudibus Virg.* Anastasius Synaita *questionum Anagogicarum in Hexaem. lib. 6. sub finem.* Sed illustra sunt ad hanc sententiam ipsius Deiparæ ad B. Brigittam facta verba *lib. 1. Reuelationum cap. 35.* Bene, inquit, dixit Ioannes, & Verbum caro factum est; *nam per charitatem ipse venit in me, & erat in me, & ipse erat mihi quasi cor meum. Propterea cum nasceretur ex me, sensi ego quòd quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me, &c.* Cum ergo propria matrimonij consummati forma sit vnitas carnis, hinc liquet Christi ac Mariæ nuptias in ipsa Incarnatione consummatas, ac perfectas fuisse.

Sed quamuis hæc verosimilia videantur; tamen longè verius puto dicti matrimonij consummationem inter matrem, & filium ad id vsque tempus dilatam, ac moratam fuisse, quo Virgo Eucharistiam accepit, per quam nouo iure vnà cum Christo caro, & vnum corpus effecta est, iuxta ea, quæ fuse diximus in *Isagoge cap. 5.* de consummatione matrimonij Christi cum Ecclesia. Nam licèt Maria, & Christus per Incarnationem carnis vnitatem contraxerint; hæc tamen vnitas illa est, quæ inter filium, & parentes intercedit ex naturali generatione redundans, ratione cuius parentes pa-

triam potestatem habent in filios, & filij parentibus suis obnoxij sunt; & ex qua unitate fluit ea, quæ inter fratres eisdem parentibus factos, & alios consanguineos intercedit vnus quoque carnis identitas: nam quatenus eadem cum patribus, auis, aut proavis suis personæ censentur, eadem quoque reputantur inter se. Hinc Laban ad Iacob filium sororis suæ, *Os, inquit, meum es, & caro mea.* Et Iudas ad fratres suos de puero Ioseph, *Frater enim, & caro nostra est.*

Alia verò carnis vnitas, quæ virum vxori agglutinat, à superiori longè diuersa est; vtpote quæ incipit à traditione mutua, quæ per consensum nuptialem fit, & per duorum corporum congressum consummatur, & perficitur, & alia valde distincta iura secum trahit; puta duorum coniugum æqualitatem in dignitate, & honore, bonorumque omnium communionem, & alia eiusmodi, quæ inter patres, & filios minime reperiuntur. Nam cum eiusmodi ethicas vnitates ex communiōe, ac conuenientia actionum, affectionum, ac iurium moralium perinde aucupemur, sicut vnitates metaphysicas entium naturalium passionum, & effectuum colligimus, vt fusè diximus supra in *Isagoge cap. 5.* Certè diuersarum actionum, affectionum, ac iurium moralium dissimiles conuenientiæ, diuersas quoque vnitates ethicas arguunt, ac supponunt. Hanc igitur secundam vnitatem carnis, quæ matrimonij consummati propria est, vt dicam, quod sentio, non existimo à B. Virgine cum Christo contractam in Incarnatione: sed sicut de tota Ecclesia, & de aliis animabus sigillatim diximus, per vsum Eucharistiæ eidem Virgini partam, & quæ sitam reor; non enim video aliquid singulare, ac proprium in Maria, quod ipsam in hac re ab aliis animabus iustis seceruat, ac separet.

Aio igitur sanctissimæ Deiparæ nuptias cum Christo per Verbi Incarnationem ratas effectas fuisse, ob rationem supra adscriptam, & per vsum Eucharistiæ consummatas. Quapropter cum osculum (vt sæpe aliàs diximus) eam vnitatem significet, quæ per affectum est, & quæ ratis nuptiis respondet; amplexus verò carnis identitatem designet, quæ per congressum corporum perficitur, & matrimonio consummato conuenit, B. Virginem vtramque rem, scilicet Verbi Incarnationem, & Eucharistiæ institutionem, & vsum nomine osculi, & amplexus expetere, & exposcere, mihi compertum est. Osculi ergo nomine Incarnationem, & in hac ratas nuptias deprecatur Maria. sic docet Ambrosius in *Psal. 118. serm. 1. v. 8.* *Fortasse, inquit, illud, quod ait: Osculetur me ab osculis oris sui, significat Spiritus sancti superuenientis gratiam, sicut Angelus ad Mariam dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c.* Bernardus *serm. 5. ex paruis*, vbi osculum istud nuptiale tunc B. Mariæ libatum dicit, cum Deus in ipsam Incarnationis tempore vberiore illam gratiam refudit, ratione cuius ab Angelo salutata est, illis verbis, *Aue gratia plena.* & subinde audiuit, *Dominus tecum. Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Vterque autem, tam Bernardus, quam Ambrosius ad id spectarunt, quod supra in Appendice Prophetiæ interpretationis diximus ex sententia eiusdem Bernardi, scilicet Spiritum sanctum æterni Patris, ac filij osculum esse. quod *in serm. 54.* ex prædictis iteratò repetit Bernardus hisce verbis: *Porro osculum commune est osculantis, & osculati: si igitur se inuicem osculantur Pater & Filius, quod est ipsum osculum, nisi Spiritus sanctus?* Id igitur osculum, scilicet Spiritum sanctum Incarnationis patratores à Deipara postulari illis verbis, sentiunt prædicti Patres.

Ad stipulatur etiam huic sententiæ Rupertus, qui per osculum Spiritum sanctum, sed paulò aliter, concipit; sic enim scribit: *Deus pater, ô Maria, te osculatus est osculo oris sui: tibi enim semetipsum reuelauit, & osculans, & osculum, & os osculantis. Nam à Patre luminum taliter afflatur, talèmq; ipsa intus persensit osculantis attactum, vt dicere non dubitet: nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum; quando scilicet Deus pater locutione admirabili, locutione ineffabili substantiam Verbi sui cum illo amore suo Spiritu sancto tua menti, & tuo ventri inseruit.* Itaque Rupertus per osculantem quidem Patrem intelligit, per osculantis os Filium, per osculum denique Spiritum sanctum, ac totam Incarnationem quasi per osculum eatenus patrata dicit, quatenus tota Trinitas ad eam perficiendam conspirauit. Plures sunt, qui huc accersunt illa verba *Psalmi, Iustitia, & pax osculata sunt.* Atque id osculum à Virgine Deipara desideratum, atque expetitur ferunt. Bernardus integrum sermonem de hac thesi complet, qui est *1. de Annunciat.* Sed luculentissimè Andreas Hierosolymitanus *in sermone de Annunciatione, circa medium.* Denique S. Virgo Gertrudis *lib. 4. diuinarum insinuationum*

tionum cap. 10. visionem quandam sibi cœlitus oblatam narrat, in quo huius osculi, quod Deiparæ in Verbi Incarnatione libatum est, repræsentatio, & exhibitio facta est; sic enim scribit: *Dum cantaretur Antiphona illa: Osculetur me osculo oris sui, facta est vox de throno, dicens: Accedat filius meus dilectus, in quo mihi per omnia complacui, & delitiositati meæ persuauissimum præbeat osculum. Tunc filius Dei præbuit persuauissimum osculum diuinitati, cui fœdere inseparabilis vnionis sola eius humanitas sanctissima felicissimè meruit copulari. Post hæc filius Dei blandissimè ad matrem suam Virginem, in cuius honorem ea decantabatur Antiphona, dixit: Accede & tu mater, ac sponsa meæ dulcissima, & sume osculum à me persuaue. Accessit, & sumpsit: ac postmodum addit id tunc factum ad recolendum Incarnationis mysterium olim patratum.*

At quænam, inquires, huius visionis significatio? In promptu est. Prius certè osculum, quod Pater filio libauit, identitatem naturæ inter illas duas personas notauit. Posterius verò, quod filius Matri impressit, eam quoque vnitatem siue in spiritu, siue in carne adumbravit, quam cum eodem Dei filio per Incarnationem contraxit. Et fanè hæc est germana magis expositio huius loci, quæ affirmat B. Virginem osculi nomine suas cum Christo nuptias deprecari, ac sub his arctissimam illam vnitatem deposcere, quæ ipsam Christo deuinxit, & quam nuptiæ ratæ adsignificant, vt sæpè alias adnotauimus.

Dixi autem præfatam vnitatem per Incarnationem copulatam fuisse, quia quamuis B. Virgo ante Incarnationem, à suæ scilicet conceptionis primo instanti, per charitatis vnionem Deo semper adhæserit; hæc tamen vnio non erat ea, quæ nuptias ratas efficit. Nam istæ nuptiæ per mutuam traditionem corporum de præsentem copulantur, ratione cuius coniuges suorum corporum domini inuicem fiunt, & ad consummationem proximè faciendam ius sibi mutuò dedunt. Quapropter fieri non potuit, vt Deus istiusmodi nuptias ratas cum B. Virgine ante Incarnationem contraheret, id est, antequam corpus assumeret, quod eidem Virgini traderet, traditionem ab eadem Virgine sibi factam acceptans, ac boni consulens. Luculentius dicam. Prædictæ nuptiæ ratæ non includunt vnitatem carnis, nec solam vnionem affectus, sed hanc priorem cum ordine, vel potius cum iure certo, & proximo ad posteriorem. Hoc autem ius Virgini per Incarnationem obtigit; quæ vnitas aptissimè per osculum notatur, quod fit spiritibus quidem in vnum permixtus, & confusus, non vtcunque, sed à duobus corporibus exhalatis, sine quibus osculum esse non potest.

Rursus cum B. Maria amplexum (quod est alterum nuptiarum pignus) enixè poscit, Eucharistiam quidem, & in Eucharistia matrimonij sui cum Christo consummationem per identitatem carnis perficiendam postulat. Hanc expositionem amplexatus est Ioannes Gerson tract. 9. super *Magnificat*, hisce verbis: *Nullus, inquit, inuenitur illapsus intimior in corporalibus, quam vt cibus conuertatur, & transformetur in cibatum: manet enim iam non in se, sed in comedente, viuitque eius vita, non sua. Contemplabaris ergo, ô sapientissima fœminarum Maria, quomodo in Eucharistiæ sacramento fit transformatio panis in essentia sua, remanentibus accidentibus. At verò cum homo in Deum transformatur, remanet quidem essentia hominis, sed accidentia noua succedunt, non phantastica, non materialia, sed deiformia, diuina claritate radiante, Contemplabaris utique, & experiebaris transformationem istam in sumptione sacri cibi. Et paucis intercalatis: Transformationem hanc, & vnionem suam cum Christo proposuit sibi sponsa pro fine dilectionis sub osculi, & amplexus nomine, cum dixit: Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua, &c. Contemplabaris ergo, ô beatissima beatarum, vnionem istam sub velaminibus, & symbolis multipliciter insinuatam, sed profundius in illis verbis, quæ dum transiurus ad Patrem oraret Christus pro electis, dixit: vt sint vnum consummati in vnum, & rursus, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Et subinde de hac nobilissima vnitate quamplurima miscet prædictus author, eamque inter Mariam, & Christum longè excellentiorem, & arctiorem fuisse, quàm inter Christum, & alias animas iustas pluribus argumentis conficit. Idem etiam author in eodem tract. paulo antè sub finem tertiæ partitionis, sic serit. Contemplabatur Virgo existentiam filij sui in sacramento viuacius per intelligentiam, quàm per solam fidem, & nullo modo imaginationem admittebat, imò nec rationem. Percipiebat in super præsentiam eius per amoris sentimentum, & complexum. Sed qualibus osculis, & amplexibus frueretur B. Virgo in vsu Eucharistiæ, luculentius tradit Gerson in eadem partitione, subiectis verbis. Contemplabatur Virgo virginum existentiam mirabilem filij in hoc sacramento, quem visibiliter tractauerat cum*

blanditijs

blandit ijs, & osculis suauissimis in gremio corridentem; credebatque hoc idem sibi tunc licere, quamuis alio modo, sed non minori merito osculabatur, amplexabatur, tangebatur, & quod sibi tunc non licuerat, corporaliter manducabat, & bibebat vitam. Grandem profecto rem, ô anima christiana, grandem nimis aestimasses, si Virgo benedicta posuisset olim filium suum in gremio tuo, si concessisset amplexum, & osculum; sed habes hic rem suo miraculo, & merito grandiore. Ecce dat se solum tibi, datque ut osculeris, & amplectaris eum, &c. Et paulò post sibi similis sic addit. *Vnionis, seu transformationis huius eminentia plura sortitur vocabula; dicitur enim mansio Dei in homine, & hominis in Deo dicitur osculum oris sponsi, quod petit sponsa, & quod sonat inhesionem, vel unitatem vnus corporis, & vnus spiritus animæ cum Deo, & sponsa cum sponso, vnica cum vnico. Quod vnico vocabulo datur intelligi, quod est manere in Christo per mutuam gratia complexum.* Loquitur autem ibi Gerson de B. Virgine. Ideò verò amplexus simul, & oscula Eucharistiæ tribuit prædictus author, quia amplexum, id est, vnionem carnis vi sua efficit; osculum verò, id est, vnionem Spiritus, semper factam supponit, aliquando etiam secundum probabilem opinionem, eandem efficit. Ibi autem Gerson absolutissimè hanc nostram interpretationem non tradidit solum, sed etiam auctiorem, atque illustriorem reddidit.

Iam igitur intelliges, quàm iustè, & ex causa Mariæ osculum, & amplexum, hoc est, nuptias ratas, & consummatas anteponat vino, & vnguentis, id est, omnibus hijs muneribus, ac donis, quibus Deus illius animam ante Incarnationem impleuerat, ac decorauerat, quandoquidem prima illa gratia dispositiones quædam, & præparationes erant ad posteriorem, tanquam sponsalia, & gynæceum ad nuptias futuras. Sed quid mirum, si amplexus, & oscula vino, id est, quibusvis suauissimis epulis, & vnguentis pretiosissimis anteponatur, siquidem amplexus sacratissimum Eucharistiæ conuiuium designat, cum quo nullus epularum siue corporalium, siue spiritualium splendor conferri potest. Osculum verò Incarnationem adsignificat, in qua Christus vnguento diuinitatis delibutus omnium gratiarum, & charismatum species, velut pretiosissima aromata in Mariam refudit. Luculentius dicam. Osculum vnionem spirituum, amplexus vnionem carnis notat; quas duas vniones B. Virgo longè excellentius, quàm reliquæ ad vnum animæ iustæ, participauit. Nam per illas ita Christo deuincta, & obstricta fuit, vt supra vniones istas dignior, aut nobilior non sit alia, nisi hypostatica vnio. Ita idem Gerson supra partitione 4. *Vnio, ait, quæ fit per Eucharistiæ sacramentum, attenditur secundum vim tactiuam spiritualem, quæ significatur per osculum, & amplexum; quæ vnio præcellit post Christum in Maria.* id est, post vnionem illam Christi, in quo anima, & diuinitas eandem carnem, atque homo, & Deus eandem animam habent, nulla maior, ac nobilior est, quàm hæc vnitas tum spiritus, tum carnis, quam B. Virgo per Eucharistiæ sumptionem cum Christo copulauit. Quasi dicat, illæ tantum nuptiæ, quas diuinitas, & humanitas in eadem hypostasi contraxerunt, digniores, ac potiores sunt, quàm illæ, quas Virgo cum Christo contraxit; reliquæ inferiores, ac posteriores.

Sed nescio quid difficultatis mihi nunc circa nuptias istas occurrit ex humanis matrimonijs petitum: quia nuptias filij cum matre sua siue ratas, siue consummatas natura exhorret; quo igitur iure Christus illas cum parente sua contraxit.

Ratio, propter quam prædictæ nuptiæ inter matrem, & filium naturæ horri sunt, ea certè est ex communi Doctorum suffragio, quia conuenientia, & vnio matris cum filio in naturali generatione fundata ipsum filium matri ita subdit, atque demittit, vt semper naturaliter inferior maneat dignitate, & honore: ea verò, quæ inter virum, & vxorem intercedit conuenientia, & vnio, illos æquales in dignitate, & honoribus reddit; ideò natura ipsa duce sibi mutuò aduersantur, & vna ab altera abhorrent plurimum. Cur ergo contra hanc legem naturæ filius Dei Mariæ matri suæ in-nupsit? Crediderim certè id à Christo Domino eo consilio factum, vt Mariæ plurimum deferret. Nam cum diuinitas, cui erat sociata humanitas, illum supra matrem infinito interuallo exaltaret, tantum ipse Mariæ tribuit, vt ad eius mensuram sese quoquo modo accommodare volens, vti sese illi quasi exæquaret, nuptias contrahere, & vti sese illi demitteret, ab ipsa generari vellet, vt diuinitatis excessus his rationibus, quoad fieri posset, compensaretur.

Secundam rationem, propter quam natura damnat parentum atque filiorum nuptias, offert Plutarchus in *Moralibus*, his paucioribus verbis. *Ne pro sapie gustus stagnetur.* id est, ne generatio, quæ ad externos suapte natura effluere debet, ad proprios

reuocata contra naturam cohibeatur, & stagnetur. Hæc tamen ratio in Christo & Matre locum non habet: nam ex illo matrimonio, per quod Christus Dominus animas sibi adiungit, proles, quæ nascitur, est ipsemet Christus, cuius matres appellantur omnes animæ Dei verbum audientes, & obaudientes. Ita Gerson in *partitione illa supra citata*; sic enim ait. *Anima dignè communicantis credit, optat, consentit, nubit, concipit, & efficitur verbigena Christum pariens, &c.* Nulla ergo facta fuit profapiae stagnatio ex eo quòd Virgo filio innupserit suo; quandoquidem per istas nuptias non alium, sed ipsummet Christum quasi reparturiri oportebat: huius autem repetiti partus nulla fecundior anima, quam Maria, de qua sic attextit præscriptus author. *Contemplabaris experiens quotidie, ô Maria, mentem tuam filium Dei parturire per amorosorum exercitia donorum.* nimirum per vsum Eucharistiæ; inde enim eam fecunditatem ipse euenisse affirmat.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

O SCULETUR me osculo oris sui. Præter eos, quos supra commemoravi, alij pauci hæc verba de Virgine interpretati sunt. Gerson in *tract. i. de Canticis, Alphab. 89. lit. Z.* nuptias quasdam excogitauit inter Mariam, & Spiritum gratiæ creatum, cui nimirum se tanquam viro, & coniugi Virgo tradidit, ac permisit. Additque ipsam non sine lepore prædictum spiritum affari posse, illis verbis. *Osculetur me osculo oris sui.* Sed hoc alienum est. Ioannes Picus putat B. Virginem, quatenus non sibi absolute osculum imprimi, sed de osculo oris eius deosculari poscit, hoc certè ex humilitate precari, vt Spiritus sanctus in aliam quampiam fœminam superueniat, ipsam proximè exosculetur, & de hoc osculo alteri libato ipsa particeps fiat. Nam inter alia Doctor iste sic ferit. *Unigeniti filij Dei genitrici ancillari desidero, non ipsum à me procreari volo, aut uniri: & idèd osculetur me non ore suo, sed osculo oris sui, id est, particeps fiam osculi, quod prædicta genitrici impressum fuerit; satis enim supra omnia & mea & parentum meorum vota intelligo, vt famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes matris Domini mei; ergo in me osculum hoc non appeto, sed tamen omnium, ac meam salutem peto.* Picus ergo ad summam B. Mariæ humilitatem præmissa verba retulit. In qua sententia, me iudice, dictus author ad matrimonia illa veterum Patrum respexit, in quibus mariti ex venia legitimarum vxorum ancillas etiam ad nuptias admittebant. Hac ratione Sara tradidit Abrahæ Agar, & Ceturam ancillas suas. Rebecca tradidit Isaac Iuditham, & Basematham. Rachel dedit Iacob Balam, & Lia eidem accommodauit Zelpham, & aliæ alias ancillas viris suis copularunt. Iam ergo intelligis preces Mariæ. *Osculetur me de osculo oris sui.* id est, permittat me ancillam fieri matris suæ, itavt post illam, ac per illam ipsi copulari mihi liceat. sit scilicet alia Sara, sit Rebecca, Rachel, aut Lia, hoc est, princeps, & prima sponsa fiat; mihi enim satis magnum erit similem Agar, Balæ, aut Zelphæ ancillam fieri, vt matris eius assiduè obseruiam, & ex venia eiusdem ad nuptias tanti sponsi admittar. Hæc Picus.

Repetamus etiam memoriâ ea, quæ supra in Appendice expositionis mysticæ de Anima, diximus de oculorum osculo; ibi enim non sine autoritatis momento diximus, sponso in nuptiis veteri ritu, & more non tantum ora, sed oculos etiam inuicem exosculari solitos; atque eò fortassis spectare lectionem originalem, quam amplexati sunt Septuaginta, *Osculetur me ex oculis oris sui.* vnum scilicet ori, & alterum oculis meis affigat osculum; & alia item duo similia à me recipiat. De significatione autem mystica huius posterioris osculi, quòd oculis libabatur, *ibidem* diximus; nimirum arcanorum, ac secretorum communicationem mutuam denotare. Ergo non sine allusione, & respectu ad hunc locum, & morem S. Epiphanius in *sermone de laudibus B. Mariæ*, postquam Christi osculum splendidissimum omnia clarè intuentem expinxit, de Maria sic attextit. *Virgo quoque plurium nominum, & multocula: effecta est enim Seraphin incomprehensa visionis, & Cherubim transcendens; illi enim auertuntur, cum nequeant spiritualem ignem diuinitatis fixis oculis intueri. Hac autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christi cum desiderio, & osculo salutabat, & labra labris coniungens incomprehensum salutabat.* Itaque affirmat Epiphanius Deiparam Christi infantis non solum labra, sed etiam oculos impressis oculis salutare, & similia etiam oscula ab eo accipere; & referre solitam, atque ob eam causam *multoculam* esse, id est, multis, seu potius splendidissimis ac candidissimis oculis insignitam

signitam longè melius, ac clarius, quàm Seraphim, aut Cherubim diuina speculari, ac contemplari, & secretorum Dei consciam fieri identidem solitam; quia nimirum mater, & filius rerum omnium notitias per oculos sibi mutuò inspirabant, & transfundebant.

Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Hæc verba sponso, id est, Christo dari posse affirmat Alanus. *Si hæc, inquit, verba sponso tribuantur, possumus referre ad naturalia vbera Virginis, de quibus dicitur in Euangelio: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Talia optabat Christus à tali Matre sugere vbera, quæ non saperent carnis lubricum, sed virginitatis antidotum. Fragrantia unguentis optimis, quia quod faciunt unguenta odore, hoc faciunt vbera virginitatis integritate.* Cum Alano conspirat Dionysius Carthusianus de præconio Virginis lib. 1. cap. 34. *O Virgo, inquit, purissima, quæ virgineis vberibus Deum lactasti, quantum ex diuini oris contactu deificata sunt, quàm dulcia, quàm fragrantia facta sunt vbera tua. Meliora sunt vbera tua vino, &c. quippe quæ terra, atque carnalis concupiscentiæ labe carentia omnis suauitatis lactarunt authorem. Porro luxuriæ radix in vino absconditur; ideò vbera tua preferuntur vino, &c.* Itaque duo præmissi Doctores vberum candorem, & puritatem ex virginitate manantem contemplati sunt; hic quidem quatenus anteponuntur vino, quod luxuriæ, ac Veneris symbolum est: ille verò quatenus eadem unguentis condita dicuntur, quæ incorruptionem corporibus afferre solent. & breui interstitio post dicta verba sic attexit Carthusianus. *Opinor, ô Domina, non filium tot virginei, maternique lactis stillicidia è sacri tui corporis fonte hausisse, quot iaculis amoris, quot charitatis ardoribus beatissimam tuam animam vulnerauit, atque ditauit. Nisi fortè qui omnibus largus est, tibi dumtaxat parcus extiterit.* Et sanè hæc verba Canticorum sunt ancipitia, itavt de sponsi, ac sponsæ vberibus sine iniuria textus concipi possint; atque inde factum, vt alij ad commendationem vberum Mariæ, alij ad laudem vberum Christi referant. Ergo, si ita placet, vtrumque sensum connecte, ac sic mecum contemplari fas erit. Habebant vtique vbera Christus & Maria; hæc naturalia cœlesti lacte distenta; ille mystica amore, & charitate affatim plena, Maria Christo infanti vbera sua naturalia sugenda offerebat, vt inde lac castissimum exprimeret; & Christus eo tempore Mariæ mystica vbera præbebat, vt ex illis amorem, & charitatem vbertim hauriret, expressi lactis vices referens, ac rependens.

Rursus præcitatus Alanus pro naturalibus duo alia mystica vbera in Virgine contemplatus est, quibus vniuersos Christi fideles alit, ac nutrit; hæc sunt castitas, & humilitas. Sic enim ait. *Fuerunt in Virgine duo exemplaria bene viuendi, castitas, & humilitas, quas nobis in exemplum proposuit, quibus quasi quibusdam vberibus fidelium populum tanquam mater filium lactauit.* Appositè autem prædictæ virtutes duo Virginis vbera appellantur, quia ex his non nisi illi, qui opinione sua paruuli, & infantes sunt, reficiuntur: nam humilitatem paruuli tantum appetunt, & castitas humilitati etiam semper hæret; nemo enim diutiùs castus esse potest, nisi idem valdè humilis sit; quia scilicet superbis prædicta Mariæ negantur vbera. Sic enim cecinit Dauid. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ab lactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* quæ verba de B. Virginis vberibus concipit S. Antoninus.

Aiunt etiam Medici puerperas cum lacte mores suos infantibus propinare, & infundere. Quapropter meritò ex his, quæ in ipsius Deiparæ moribus excelluerunt, nimirum virginitas, & humilitas, vbera eius conformauit iste Doctor, vt inde præfatos mores non iam cum lacte, sed pro lacte fideles exprimant, & exugant. Denique, vt communis fert Philosophorum, ac Medicorum sententia, lac ex sanguine proximè coalescit, imò sanguinis ipsius sperma est, vt latè docet Clemens Alexandrinus lib. 1. *Pædagogi cap. 3. & 4.* qui ibidem iuxta eandem communem sententiam affirmat eundem illum sanguinem, qui in generationem infantis ad matricem confluit, atque ipsi fœcunditatem, & fœtui materiam ad conceptum suppeditat, post natum infantem in vbera influere, & in lac verti. Veniat ergo in memoriam commune illud sanctorum Patrum effatum, qui generationem temporalem Verbi diuini ex Mariæ visceribus tum virginitati, tum humilitati adscribunt. Augustini certè est illud, *Virginitate placuit, humilitate concepit.* D. Bonauentura in speculo lect. 6. *Mariam (inquit) virginitas, & humilitas fœcundauit iam me tenes.* Si igitur præfata virtutes, scilicet virginitas, & humilitas Mariæ ad Christum concipiendum fœcunditatem & materiam tribuerunt, ipsissimas certè post natum Christum ad eius vbera conuenire & confluere oportet

oportebat, ut in lac conuersæ eiusdem Christi corpus mysticum assiduò pascere, atque lactarent.

Sed quia certius est, ista verba, *quia meliora sunt vbera tua vino*, &c. in sponsam ab sponsa fuisse iactata, eapropter Rupertus de Christi vberibus exponit, cui vuluam, & vbera tribui oportere probat ex illis verbis Isaia cap. 46. *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulua*. & cap. 66. *Ad vbera portabimini*, &c. & post pauca sic demum infit. *Quid ergo vbera eius, nisi dulcedinem eius rectè intelligimus? & quid est dulcedo nisi Spiritus sanctus? Talis verò dulcedo pulchrè in duo vbera discernitur, quia duo sunt data eiusdem sancti Spiritus. Alterum datum est remissio peccatorum, cuius videlicet dati vbera nullus ante hanc Virginem lactatus est Sanctorum antiquorum. Alterum datum est plurimarum diuisiones gratiarum. Vtrorumque huiusmodi vberum latificata dulcedine ineffabili, dum concipis Virgo sanctissima; dum scilicet tibi fit secundum hoc verbum Angeli: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quibus duabus clausulis duo data iam dicta significabantur, propter quæ dicebas, Quia meliora sunt*, &c. Hactenus Rupertus, qui uti B. Virginem ex altero illo vbere, quod est remissio peccatorum, aliquid expressisse demonstrat, ipsam à peccato originali in utero matris sancti Spiritus beneficio ante omnes alios emundatam affirmat.

Sed absit, ut ego in hac re credam Ruperto, nonne satius est dicere illud sancti Spiritus vber, quod pro aliis hominibus est remissio peccatorum, pro sanctissima Virgine esse præseruationem ab omnibus peccatis? Ego certè ita sentio, ac definio, & Salomonem ad hunc sensum aliter transferendum puto, *quia meliora sunt vbera tua vino*. Vinum certè sanguinem Christi significat, quatenus emundat, ac tergit peccata. Sic docent Patres ad parabolam illam Samaritani, qui viatoris à latronibus confossi alligauit vulnera, *infundens oleum & vinum*. Nam per vinum vulneribus infusum eam vim sanguinis Christi vulnerum acceptorum, hoc est, peccatorum, sanatiuam concipiendam esse existimant. Sed aptius ad rem nostram D. Bonauentura in *Meditationibus vite Christi*, qui Christi sanguinem ideò vinum appellari, & sub vini speciebus in sacramento ministrari affirmat: *Quia merum senibus salutare remedium est contra frigescentis ætatis imbecillitatem; omnes autem homines veteris, ac senescentis Adami infirmitatem portamus*. Et quidem ita res habet, necdum enim nati, imò potius necdum concepti, & animati sumus, cum statim ipsam Adami senectutem, & imbecillitatem contrahimus de illius peccato contaminati, & infecti. Addo etiam eundem Christi sanguinem nomine lactis aptè notari; sed tamen, quia lac est alimentum noui infantis, meritò dicemus eo nomine alteram facultatem, & potestatem eiusdem sanguinis designari, quam præseruatiuam vocamus. Iam intelligis quò tendam. *Meliora sunt vbera tua vino*, (ait B. Virgo) id est, melior est redemptio tua præseruatiua, qua ego potita sum, quam reparatiua. Quasi dicat, sanguis tuus, ô sponse, fuit mihi pro lacte ex vberibus manante, non pro vino: quia cum nihil Adami senescentis, & languescientis in me fuerit, minimè opus fuit vino, sed tanquam nouæ ac recenti creaturæ, ab omni scilicet peccati senectute immuni, conueniens fuit lac ex vberibus dulcedinis tuæ manans.

De altero verò vbere, quod *diuisionem gratiarum* appellat, melius loquitur Rupertus; sic enim addit: *Et quia gratia illa, quæ cæteris dispertiuntur, Virgini simul infusa sunt, ideò vbera sponsi fragrantia omnibus unguentis optimis rectè dixeris. Optima namque unguenta sunt charismata hæc, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, opera virtutum, prophetia, discretio spirituum, &c. quæ qui habent, boni odoris sunt, & suaviter fragrant, sicut unguentum optimum, dicente Apostolo, odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*.

Denique Ioannes Picus verba ista de sponsi vberibus capiens duo Christi vbera, quæ efflictim expeit sponsa, ad hunc modum partitur. *Hæc (ait) duo vbera sponsi repromissionem venturi & repromissi exhibitionem accipimus, quæ lac consolationis assiduò fundunt. Hæc autem vbera, vel repromissiones vino pretiosiores esse dicit, id est, antiqua lege nobiliora ac digniora, atque unguentis fragrantia; quia nimirum omnes dictæ pollicitationes ex Dei charitate erga homines effluerunt, quæ charitas unguenti ad instar obtinet. Ac demum addit hæc verba à suæ Conceptionis primo instanti Beatæ Virgini fuisse detecta & oblata, atque ex illis affatim plurimam consolationem lactis instar suxisse & expressisse, utpote quæ plures Dei repromissiones nouit & accepit, & plurimas in se ipsa exhibitas & impletas experta longè*

gè maiorem consolationem hausit, quàm reliqui simul Sancti, atque iusti homines.

Vers. 3. Oleum effusum nomen tuum : ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.

E X P O S I T I O P R O P H E T I C A
de Ecclesia.



VXTA eam, quam in sono Allegoriæ prætulimus, huius loci expositionem, propheticum sensum contexere valde proclive est. Prænotare autem oportet, verba hæc esse sponsæ, id est, Ecclesiæ, quæ vna est, & istam plurimum adolescentularum meminisse. Quomodo ergo vna & plures? Origenes in ea *homil. 1.* huic dubitationi occurrit. *Diligunt* (inquit) & *trahunt ad se Christum adolescentulæ, id est, Ecclesiæ, quæ vna quidem est, cum perfectæ est, multæ verò sunt, cum adhuc instruuntur & præparantur.* Hæc ut intelligas, recurramus memoria ad ea, quæ suprâ in *Isagoge cap. 3.* diximus, huius Cantici personas recensentes, vbi per sponsam Ecclesiam vniuersalem vnicam vnicui sponsi, ac per puellas eius pedissequas plures Ecclesias particulares vniuersalem sequentes, & eidem parentes, significatas fuisse diximus, affirmantes Ecclesiam nullo modo sponsæ nomen ferre, nisi in quantum vna est; quia communio & identitas vnus Ecclesiæ non aliunde resultat, aut redundat, nisi ex vnitæ fidei, charitatis & Baptismatis. Propterea enim vnâ Ecclesiam dicimus, quia vnâ fidem, vnâ charitatem, & vnâ Baptisma in tota consideramus: hæc autem fides, charitas & Baptismus ipsissima sunt, quæ nuptias Christi & Ecclesiæ efficiunt ac constringunt; nam illa prorsus quæ Ecclesiam ad vnitatem cogunt & colligunt, eadem ipsam sponsam & coniugem Christi efficiunt. Rursus diximus etiam eo loci plures Ecclesias, in quantum plures sponsas, appellari non posse; quia id quod ipsas distrahit, ac partitur, non est eiusmodi, vt ad nuptias pertineat: nam plures Ecclesias efficiunt vtique diuersi ritus, diuersæ linguæ, ac diuersa iura, quæ ipsas abinuicem distinguunt. Hæc autem omnia, neque nuptias componunt, nec ad illas pertinent. Vide ibi plura de hac thesi.

Nunc verò apud te cogita id quod in sono Allegoriæ nuper diximus de duobus puellarum ordinibus; ex quibus aliæ erant sociæ matrimonium expectantes, & ad illud sese adornantes in gynæceo; aliæ verò erant pedissequæ & ancillæ, quæ sponsæ iam iam egressuræ ad nuptias assignari solebant, vt scilicet ipsam stiparent, Epithalamia pangerent, aliaque agerent munera, quæ in *Isagoge cap. 3.* percurramus. Ergo si referamus oculos ad tempus quod ante nuptias Christi, id est, ante Incarnationem abiit, in quo de præparatione agebatur, erat certè Ecclesia in duplici illo sensu, vna & multiplex; quatenus enim vna omnibus fides erat, vnâque promissionem Christi venturi omnes acceperant, vna Ecclesia dici poterat; quatenus autem plures inter Hebræos erant Synagoga & conuentus, & diuersi eorum mores, & obseruationes, plures quoque Ecclesias numerare licebat. Sed quia per illud tempus non erat aliqua vniuersalis Synagoga, seu Ecclesia superior, quam reliquæ inferiores sequerentur, & penes quam esset ius definiendi, aut declarandi mysteria, & articulos fidei, credenda, faciendaque proponendi, sicut hodie est penes vnâ catholicam, seu vniuersalem Ecclesiam: idcirco plures Synagoga suæ Ecclesiæ antiquæ (vt plures erant) cum illa vna, quam nuper contemplabamur, comparatæ, & collatæ in huius Cantici exordio non proponuntur nobis tanquam ancillæ pedissequæ, sed tanquam plures virgines sociæ in eodem gynæceo morantes, & aduentum sponsi, nuptiasque illius legitimas sine discrimine expectantes. Si verò contempleremur tempus Euangelij, quod Incarnationem, atque inita iam cum Christo connubia insecutum est, similem ad modum Ecclesia vna est, ac multiplex; vna quidem propter vnâ fidem, vnâ charitatem, & vnâ Baptisma, & multiplex propter diuersas linguas, mores, & ritus eo modo quo suprâ exposuimus. Sed quia in hoc tempore illa quæ vna est, atque vniuersalis Ecclesia, habet potestatem supremam definiendi, & declarandi fidei mysteria, & credenda, agendaque proponendi, cui reliquæ singulares Ecclesiæ obsequi, &

parere

parere debent: eapropter post dictam Incarnationem præfata Ecclesiæ tanquam ancillæ, ac pedissequæ puellæ inducuntur in hoc Cantico vnam Ecclesiam tanquam vnam sponsam à tergo affectantes, atque illi ad nutum obseruantes, scilicet ab illis verbis sequentis carminis, *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum*. Hæc sanè est, & non alia mens Origenis in præscriptis verbis, cum ait, in veteri Testamento, quandiu durauit instructio, & præparatio, ad nuptias plures Ecclesias æquales per omnia: in nouo autem vnam, & plures esse. vnam quidem supremam; plures verò eius, quæ vna est, obsequio addictæ, & consecratæ.

Hæc est, me iudice, significatio prophetica sponsæ, & virginum sociarum ante nuptias, & earum, quæ pedissequæ dicuntur post nuptias in hoc Cantico. Nec dissimilis prophetia latet in *Psal. 44.* vbi Vates duos illos ordines puellarum enumerat ante & post nuptias: nam primo loco sic ait: *A domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo*. En tibi plures in gynæceo socias virgines, plures Synagogas, seu Ecclesias in veteri Testamento dignitate pares per vmbra denotantes. Addit subinde, *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Ecce post Incarnationem, & nuptias, vnam Ecclesiam supremam, quam ipsæmet nuptiæ vnam effecerunt: cui nimirum, vt nuper dicebamus, reliquæ singulares, ac priuatæ Ecclesiæ tanquam ancillæ pedissequæ obseruire debent; de his enim ad extremum subiicit sacer Vates, *Adducentur Regi virgines post eam*. Quid illustrius? Venio ad sententiam.

Igitur Ecclesia illa vetus in gynæceo antiquæ legis cum fociis manens, & nuptias Christi Domini expectans, hanc suæ expectationis, ac desiderij causam offert, *Oleum effusum nomen tuum, idè adolescentula dilexerunt te nimis*. Quasi dicat, sponsus meus nomen habet excelsum, ac nobile, appellatur enim Messias, & Christus à chrismate, & unguento, quo delibutus omnium creaturarum supremus Rex creatus, & initiatus fuit. Hoc tamen tale, ac tantum nomen, quod idè unguentum appello, quia ab unguento est, non sibi retinebit, sed in Ecclesiam suam sponsam illud effundet; hæc enim illi nubens de illius nomine (liceat sic dicere) Christa, siue Christiana appellabitur, in consortium vnctionis, ac regni vnà simulque vocata. Propterea adolescentulæ, id est, omnes Synagogæ confortes meæ ipsi nubere, & illius nomen sibi conficisci impensè appetunt. Hanc sententiam, quæ maximè literalis est, ac prophetica, amplexi sunt omnes Patres suprâ citati. Origenes in *secunda expositione*, Theodoretus, Gregorius Magnus, Philo Carpathius, Iustus Orgelitanus, Anselmus, Isidorus, D. Thomas, Beda, & alij minores, ex quibus illustriora quædam verba hîc adscribam, ea scilicet, quæ præscriptæ interpretationi magis inseruire videbuntur.

Ergo Iustus Orgelitanus compendio vtens sic fatus est: *Quem vnxit Deus, id est, Christum, oleo letitia præ participibus suis, huius etiam velut oleum effusum est nomen; quicumque enim Christiani à Christo nominantur, atque in eius nomine chrismate per vncti Baptismi sacro Spiritu adimplentur*. Aptius Theodoretus, qui regiæ dignitatis vnà cum chrismate, & cum nomine à Christo sponso ad Ecclesiam sponsam translata meminit. *Quod si, ait, magis mysticè vis intelligere sacri Baptismatis mysterium, in quo qui initiantur, veluti signo, ac nota quadam regiæ chrismate inuncti, sub ea visibili specie inuisibilem sancti Spiritus gratiam suscipiunt*. Sed venustissima sunt Isidori verba *lib. 2. de Ecclesiasticis officijs, cap. 26.* vbi postquam præmisit ex eodem unguento sacro Reges, ac Sacerdotes antiquo ritu illini solitos; sic demum addit: *Erat quidem in eo tempore tantum in Regibus, & Sacerdotibus mystica vnctio, qua Christus figurabatur, cuius nomen à chrismate dicitur. Sed postquam Dominus verus Rex, & Sacerdos æternus à Deo patre cælesti ac mystico unguento est delibutus, etiam sponsa eius Ecclesia vnctione chrismatis consecratur pro eo, quod membrum est æterni Regis, & Sacerdotis. Ergo quia genus sacerdotalis, & regale sumus, idè post lauacrum inungimur, vt Christi nomine censeamur. Quasi dicat, à Christo sponso vnà cum vnctione, & nomine, regiæ dignitas ad Ecclesiam deriuata est. Accinit etiam Albinus Alcuinus in epistola de caeremonijs Baptismi, vbi sic ferit: *Tunc sacro chrismate caput unguimur, & mystico tegimur velamine, vt intelligat baptizatus se diadema, & dignitatem regni portaturum*. Et rursus in altera epistola de eadem thesi. *Post salutare lauacrum linitur caput eius sacro chrismate, quo Reges, & Sacerdotes vnctos esse nouimus in veteri Testamento, vt intelligat baptizatus regale mysterium se accepisse, quia illius corpori adunatus est, qui Rex summus existit*. Eadem fermè scribit Rabanus *lib. 1. de institutione Clericorum, cap. 28.* Iuo Carnotensis de sacramento*

Neophytorum, & alij plures. Auscultandus denique Innocentius Papa, qui refertur cap. cum venisset, de sacra vñctione. *Quia Christus* (inquit) *fecit nos in sanguine suo Deo nostro regnum; & Sacerdotes; idcirco in nouo Testamento non solum Reges, & Sacerdotes unguuntur, sed etiam omnes Christiani.* Et paucis intercalatis: *Christus itaque à chrismate dicitur, vel potius à Christo dicitur chrisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem.* (quia nimirum spiritualis vñctio gratiæ, quam exterior linitio significat, à Christo defluit.) *A Christo verò dicuntur Christiani, tanquam vñcti deriuentur ab vñcto, ut omnes concurrant in odorem illius unguenti, cuius nomen oleum est effusum.* Ex his constat, Ecclesiam Christi Domini amantissimam sponsam per nuptias cum ipso copulatas regiam vñctionem, regium nomen, & regalem dignitatem adeptam fuisse. quæ omnia ab eodem sponso quasi iure coniugij in ipsam deriuata, atque effusa fuerunt; & ob eam causam eius nomen *oleum* appellat, non cohibitum, aut retentum, sed *effusum*, & redundans.

Itaque in hoc loco Ecclesia præcipuam rationem suggerit, ob quam tanto desiderio olim ardebat sponsi sui nuptias; nimirum, quia per illas futurum sciebat, ut Regi vñcto Christo nubens confors fieret vñctionis, ac regni sponsi sui, tanquam Regina, & Augusta. Et sanè ius matrimonij id postulat, ut vxor mariti sui dignitatem sortiat, iuriumque omnium, ac priuilegiorum confors fiat. Sic decreuit Iustinianus Imperator. *l. si libertam. C. de nuptijs.* legem Papiam, eiusque seueritatem compescens, & emendans, vbi inter alia sic habet. *Absit à nostro tempore huiusmodi asperitas, & firmum maneat matrimonium, & vxor marito concreseat, & sentiat illius fulgorem.* & *l. mulieres. C. de incolis.* *Mulieres honorum maritorum erigimus, & genere nobilitamus, forumq; ex eorum persona statuimus.* Et de Regum, seu Imperatorum vxoribus id ipsum specialiter cauetur in *l. Princeps ff. de legibus.* & in *l. Cubicularios. C. de Præpositis sacri cubic.* quibus statuitur Augustam & nomine, & honore, & priuilegijs Augusti iure ipso coniugij gaudere; quod ius non humanum, aut ciuile, sed naturale profus esse censeo. Quia cum per nuptias vxor, & vir vnus animus, & vna item caro natura duce fiant, nullum honoris, aut dignitatis discrimen illos discernere, aut distrahere debet. Hanc verò dignitatis, & honoris communionem si quid aliud, tum vel maximè declarat vñctio, & consecratio. Nam Ecclesia, quæ (ut nuper dicebamus in sono Allegoriæ) in Regum, & Imperatorum vñctione veteris Testamenti morem, & vsum tenuit, eodem modo, iisdem membris, & eodem sacro unguento imbuunt Reges & Reginae, Imperatores & Augustas: unguentum enim est oleum Catechumenorum, quo dextrum brachium inter carpum, & cubitum, & scapulæ vtriusque, tam viri, quam foeminae, perliniri consueuerant. Quid autem significat vñctionis tanta similitudo, nisi eam, quam hætenus diximus, nominis, honoris, & dignitatis communionem, quæ inter Regem & Reginam iure ipso initi coniugij intercedere debet. Ecclesia igitur antiqua in sponsalibus adhuc manens, hoc nominis, dignitatis, & honoris consortium, seu participium per legitimas nuptias obtinendum, à se impensè desideratum significat, his verbis, *Oleum effusum nomen tuum, &c.*

Et sanè Ecclesia Christi sponsa id quod desiderauit, obtinuit, ac votis suis potita est. Nam Messia, & Christo, siue vñcto tradita, particeps vñctionis, regni, & dignitatis effecta est; utpote quæ (liceat mihi verba legis hinc adaptare,) *cum marito, & sponso suo Christo concreuit, & fulgorem eius persensit.* Quid certius? Frustra hinc multa de regia dignitate Ecclesiæ. Hanc certè Dauid *Psal. 44.* optimè delineauit; nam vbi de Regis vñctione multa seruerat, *Propterea vnxit te Deus Deus tuus, &c.* statim addidit: *Asstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Hieronymus, *Stetit coniux ad dexteram tuam in diademate aureo, &c.* quibus verbis coronationem Ecclesiæ commemorat Propheta; vñctionem verò quamuis non exprimit, eam tamen subintelligit. Nam vñctio, & coronatio Reginarum sicut hodie, ita etiam olim simul fieri solebant, ut fusiùs ostendam infra *cap. 4. vers. 6. & 8.* Illud notandum, septuaginta Interpretes pro illa voce *לַמַּלְכָּה sagal*, quæ vxorem sonat, de industria subiecisse *לַמַּלְכָּה*, id est, *Reginam*, ut nimirum significarent eam, quæ Regi nupserat, ipso iure coniugij regni consortem, & Reginam effectam fuisse. Rursus hanc Reginam, scilicet Ecclesiam ad dextram sponsi locatam fuisse, dicit Propheta, id est, ad consortium honoris, & dignitatis cum ipso excipiendum.

Sed quale est illud unguentum, quod ab sponso in ipsam deriuari, & effundi postulat sponsa, ut regni confors fiat? Non aliud certè nisi illud, quo Christus ipse im-

butus est. Satis multa de Christi vnctione commenti sunt sancti Patres. Eligius Mo-
 uiomensis vnctionem ad æternam prædestinationem Christi refert, quatenus per
 illam Christus Rex, & supremus creaturarum omnium Monarcha efficaci Dei de-
 creto definitus & creatus est; & consecrariè vnguentum, quod ab ipso in Ecclesiam
 redundat, est efficax lectio prædestinatorum ad vitam æternam. Sed longissimè aber-
 rauit ab scopo Eligius, quia si per vnctionem Christus Rex initiatur, vt ipse decernit,
 & prædestinatio est vnctio, cum prædestinatio nihil aliud sit, quàm electio Dei, inde
 certè conficitur Christum Dominum regia potestate donatum per electionem; quod
 quod est absurdum: Christus enim sicut per naturam sanctus, & filius Dei natura-
 lis; ita etiam per eandem naturam supremus Rex, & summus Pontifex existit.

D. Ambrosius *lib. 1. de fide cap. 2.* de vnctione Christi Domini sic ferit. *Deus, inquit,
 est qui vngit, & qui secundum carnem vngitur, Dei filius: & quos habet vnctionis sue
 Christus, nisi sue carnis participes?* Et alia subinde attexit, ex quibus sentire videtur
 fas esse nomine vnguenti aut diuinitatem intelligere humanitatem & carnem im-
 buentem, aut humanitatem ipsam, & carnem super diuinitatem effusam. cui acci-
 nere videtur Hieronymus *ad Principiam*. Et sanè illud peruulgatum, & notum; hoc
 nouum, & minùs compertum, quia vnctio (vt ex dictis constat) est veluti forma
 Regem constituens; humanitas autem in Christo, & caro non tribuit regnum diuini-
 tati, sed illud accepit. Ego Ambrosij mentem hanc esse reor. Humanitas diuinitatem
 inunxit, quia illam nouo quodam iure regnare fecit in Ecclesiam, & in animas fide-
 lium. Vnde Christus apud Paulum regnum & imperium Deo & Patri traditurus di-
 citur, atque illum eas, quas in singulos dies sanguine suo lucratur animas, nouo
 modo possidendas, & obtinendas Deo restituere, docet Hieronymus *in eum locum*.
 Et quia nouum hoc imperium, & regnum, quod ab humanitate in diuinitatem re-
 fluit, placidissimum est, ac mitissimum, & antiquam Dei seueritatem emollit, ideò per
 vnctionem notatur. Quomodo autem vnguentum hoc humanitatis diuinitatem im-
 buentis à Christo Domino in Ecclesiam effundatur, significauit Ambrosius illis ver-
 bis, *Et quos habet vnctionis sue Christus, nisi sue carnis participes?* eos scilicet, quibus
 tribuit suam carnem, & quibuscum non tantum vnitatem spiritus, sed etiam vnita-
 tem carnis copulat per Baptismum, & Eucharistiam. Nam caro, seu humanitas Christi
 eo modo totam Ecclesiam acquirens, & fidelium carnes in se ipsam mirabili qua-
 dam conuersione transferens, quid est aliud, nisi vnguentum, & oleum mollitiæ sua
 cuncta penetrans, ac peruadens. Cæterum neque hæc vnctionis ratio ab Ambrosio
 excogitata mihi germana, & genuina videtur.

Ad hæc D. Hieronymus *loco citato*, cui adstipulatur etiam Eligius, Christum Do-
 minum in resurrectione, & in ascensione sua inunctum dicit, scilicet per ipsas gloriæ
 dotes; quia nimirum sicut cadauera vnguentis perfusa à corruptione seruantur, sic
 gloriæ dotes corpus Christi rediuuium incorruptum fecerunt, iuxta illud, *Non dabis
 sanctum tuum videre corruptionem*. Iuxta quam interpretationem effusio vnguenti ab
 sponso in Ecclesiam promanantis erit vtique ipsa resurrectio mortuorum, quæ per
 resurrectionem Christi nobis parta est, iuxta Paulum 1. ad Cor. 15. *Christus resurrexit
 à mortuis primitia dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem re-
 surrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuifica-
 buntur*. Et post pauca sic infert. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si om-
 nino mortui non resurgunt?* quæ verba, vt alias, & alias interpretationes supprimam,
 per hypallagem dicta puto, vt pluraque alia in Scriptura sacra, id est, *Quid facient,
 qui baptizant mortuos suos?* hoc sensu. Si mortua cadauera non sunt iterum reani-
 manda, vt quid illis officia pietatis impendi, cur lauari, & inungi solent? Quasi di-
 cat, lauatio, & vnctio, quæ cadaueri de more adhiberi consueuit, resurrectionis quæ-
 dam umbra est; atque adeò resurrectione sublata, vana profusus, & inutilis est umbra
 illam repræsentans. Quomodo autem vnctio cadaueris resurrectionem adumbrat?
 Non quidem aliter, nisi quatenus repræsentat dotes gloriæ à Christi carne in iusto-
 rum corpora refluentes, ac redundantes, per quas ad immortalitatem condienda
 sunt.

Ad hæc quamplurimi ex sanctis Patribus cum obseruent Prophetas ritu veteri
 apud Hebræos sacro vnguento ad docendum populum consecrari solitos, vnctio-
 nem Christi Domini ad prophetiam referunt. hi sunt Basilius, & Chrysostomus in
Psalm. 44. Augustinus *lib. 3. contra Maximianum*. Optatus Mileuit. *lib. 4. contra Parme-
 nianum*.

nianum. Prosper de promiss. part. 3. cap. 3. Rufinus in expositione Symboli. Athanasius orat. 2. contra Arianos. Hieronymus in Isaiam cap. 61. & ex nouioribus interpretibus satis multi, qui omnes Christum Dominum in Baptismo Ioannis unctum ferunt, tunc scilicet, cum Spiritus sanctus columbæ specie super ipsum se demittit, cui sententiæ fidem facit Lucas Euangelista cap. 4. cum ait: *Venit Nazareth, & intrauit in Synagogam, & traditus est illi liber Isaiæ Propheta, & ut reuoluit librum, inuenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, &c. Cæpit autem dicere, quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Huc spectant etiam verba Petri Actorum 10. *Vos scitis quod factum est Verbum incipiens à Galilæa post Baptismum, quod predicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo unxit cum Deo Spiritu sancto, & virtute: qui pertransiit benefaciendo, & sanando, quoniam Deus erat in illo.* Ex quibus locis confici videtur tunc Christum à Spiritu Dei unctum, ac delibutum fuisse, cum ad docendum Euangelium tanquam Prophetarum princeps consecratus, ac dedicatus est. cuius consecrationis signum fuit columba super ipsum descendens. quod luculenter dixit Chrysostomus in Psalm. 40. *Quando autem unctus est Christus? Quando tanquam in columba specie super eum venit.* quæ verba non ita accipienda sunt, quasi tunc largior aliqua refusio Spiritus sancti in Christum defluerit. Absit, sed quia ea potestas docendi, quam suapte natura per hypostaticam unionem obtinebat, tum demum sese prodidit, cum illam exercere cœpit. Id enim mihi omninò compertum est, eodem prorsus modo, quo Christus Dominus per diuinitatis unctiōem Sacerdos ad offerendum, Rex ad imperandum non electione, sed iure ipso naturæ constitutus fuit: ita etiam Magistrum, & Doctorem cum potestate docendi lege quoque naturæ à suæ Conceptionis primo articulo extitisse. quia nimirum diuinitas humanitati in eadem hypostasi sociata omnem excellentiam, & dignitatem, cuius humanitas ipsa capax fuit, & ipsam decuit, illi contulit, atque impertiit: ius autem, & potestas docendi præstantissima dignitas est, & humanitati valde decora. Huius verò unctiōis, vel unguenti defluuium à Christo similiter ad Ecclesiam promanauit; utpote quæ ab ipso Christo non modò ipsam doctrinam euangelicam, quæ illius unctiōis deriuatio est, sed potestatem etiam & facultatem docendi accepit.

Hæc autem consideratio edisserit mihi verba Ioannis Apostoli in 1. Canon. cap. 2. *Sed vos unctiōem habetis à Sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem.* Et infra. *Et vos unctiōem accepistis ab eo ut maneat in vobis, & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctiō eius docet vos de omnibus.* Puto enim nomine unctiōis in hoc loco significari eam, quam dixi, facultatem docendi, magisterium scilicet, vel doctoratum, quod per unctiōem conferebatur. Iraque sensus est. Vos unctiōem, id est, magisterium habetis ab ipso Christo omnium Doctorum principe deriuatum, per quod Doctores facti estis aliorum, atque adedò non ignoratis veritatem. Hanc autem unctiōem, seu magisterium accepistis à Christo Domino, non modò ut alios edoceatis, sed ut vobismet ipsis primùm sapiatis, quæcumque sapere, ac scire oportet: atque adedò non est necessum, ut alius aliquis vobis magister sit, quia illud ipsum magisterium, quo polletis, à Christo acceptum (liceat sic dicere) vos doctores & docibiles facit. Pende igitur dignitatem huius unctiōis, seu magisterij, quod à Christo primario Doctore per diuinitatis unctiōem initiato, in Ecclesiam, & in omnes fideles effluit: est enim eiusmodi, ut per illud quilibet iustus necessaria, & conuenientia ad salutem sibi ipsi norit, non tantum theoreticè, sed etiam practicè, & alios quoque cum fructu, & emolumento edocere possit; utpote quod simile per omnia illi unctiōi, seu doctoratui, quo Christus præditus fuit, tanquam aliquid ab ipso descendens, ac decurrens.

Rursus communior, ac tritior est apud Patres acceptio unctiōis Christi pro Spiritu sancto; quæ petita est ab illis verbis Isaiæ supra allegatis, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, &c.* quibus accinunt illa Actorum 20. *Predicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo unxit cum Deo Spiritu sancto, & virtute.* Sed qua ratione Spiritus sanctus Christum ungere potuerit, haud facile est aperire. Nam vel Spiritus sanctus accipi potest pro spiritu creato gratiæ gratum facientis, vel pro tertia Trinitatis persona; utraque enim acceptio Scripturæ familiaris est. Neutra verò accommodatè dicitur spiritus gratiæ, quia hæc (ut communior fert Theologorum sententia) non constituit Christum Regem, aut Sacerdotem, nec dignitatem aliquam illi

defert ex his, quas vnctio in Christo adsignificat. Non item tertia Trinitatis persona, hæc enim non fuit vnita humanitati, vt ipsam tanquam vnguentum perfunderet, ac penetraret. Id tamen non vetat, quominus inter sanctos Patres alij hanc, alij illam vnctionis, ac Spiritus sancti significationem amplexi fuerint. Nam Irenæus *lib. 3. cap. 10.* per Spiritum sanctum gratiam gratum facientem concepisse videtur, cum asserit Christum in quantum hominem, exclusa diuinitate, vnguento perfusum esse. cui adstipulantur alij, qui præfatam vnctionem per septem Spiritus sancti dona perfectam volunt. Sed tam ille, quam alij, si qui eodem modo loquuntur, non adimunt diuinitati rationem vnguenti, vel vnctionis, sed eam vnctam esse negant; & quotquot prædictam vnctionem Spiritus sancti donis tribuunt, non de formali vnguento, sed de ipsius vnguenti redundantia accipiendi sunt. Athanasius verò *in oratione illa 2. contra Arrianos.* Basilius *loco citato*, & alij quamplures, per Spiritum sanctum Christum inungentem, & imbuentem, tertiam sanctissimæ Triados personam capiunt. quam opinionem refert Ambrosius *lib. 1. de Spiritu sancto*, vbi sic ait. *Plerique arbitrati sunt vnguentum Christi esse Spiritum sanctum.*

Sunt qui dicant, præmissos Patres eatenus Christum Dominum ab Spiritu sancto vnctum dixisse, quatenus per eam quam Theologi vocant circuminfessionem, Spiritus sanctus in filio, à quo spiratur, manet; atque adeò per vnionem factam in persona filij idem Spiritus sanctus speciali modo humanitati adhæret, ipsam vnguenti in morem perfundens. Sed non assentior. Ego enim prædictos Patres asserentes Christum ab Spiritu sancto inunctum aliter interpretandos credo, vt nimirum vnctionem istam Spiritui sancto tribuant, non quidem tanquam formali vnguento ipsum imbuenti, sed tanquam personæ vngenti, & vnguentum effudenti. Non quia Spiritus sanctus solus sit vngens, ac sanctificans Christum; id enim tribus personis commune est: sed quia sanctificatio per singularem accommodationem Spiritui sancto ascribi solet.

At dices, Ambrosium sententiam retulisse eorum, qui dicebant Spiritum sanctum ipsissimum Christi vnguentum esse. Ita quidem res habet; sed tamen eam sententiam Ambrosius non probat, imò potius illam paulò post refellit, affirmans Spiritum sanctum vnguentum Christi appellari, non quidem acceptum pro tertia persona, sed prout commune est tribus; Pater enim (inquit) spiritus est, & filius identidem spiritus existit, ac tota demùm Trinitas nomen hoc in commune sortitur. Sed quocumque modo vnctio Christi tribuatur Spiritui sancto, id vnguenti, quidquid ipsi infusum dicimus, ab ipso in Ecclesiam vniuersam refusum fateri oportet. Sic contemplatus est Beda, qui hæc verba, *oleum effusum nomen tuum*, de missione Spiritus sancti interpretatur ad hunc modum. *Oleum ergo non stillatum, sed effusum nomen eius, quia sicut de ipso Præcurzor suus ait. Non ad mensuram dat Deus spiritum: Christus ergo in electis suis non immeritò olei effusi nomine censetur, quibus in carne apparens spiritus sui charismata largissimè manauit: adimpleta iam prophetia, quæ dixerat, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. quod exponens Apostolus Petrus ait: Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hoc donum, quod vos vidistis, & audistis. Oleum igitur effusum nomen eius, quia plenus ipse Spiritu sancto, eodem dono electorum corda perunxit.*

Vera tamen, atque germana magis vnctionis acceptio est pro Deitate, vel natura diuina, quæ nimirum humanitati in eadem hypostasi copulata ipsam vnguenti ad instar perfundeat, & sanctitate, sacerdotio, & regno donabat. Sic Nazianzenus *orat. 4. de Theolog.* *Diuinitas* (inquit) *humanitatis vnctio est, non operatione, vt in alijs christis, sed totius vngentis presentia, cuius hic effectus est, vt id quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat.* Similia habet Augustinus *lib. 15. de Trinitate cap. 26.* Gregorius *lib. 6. Reg. epist. 61.* Anselmus *in cap. 1. epistola ad Hebræos.* Hieronymus *in Psalm. 132.* Theodoretus, & Bernardus *in hunc locum.* legantur Vazquez *tom. 1. in 3. part. D. Thom. disp. 41. & Suarez disp. ... se et. ...* qui ex his, & aliis testimoniis conficiunt formam sanctificantem, vel, quod idem est, vnguentum imbuens humanitatem ipsissimam Deitatem esse, quæ scilicet illi in eadem hypostasi deuincta reddit Christum infinitè sanctum, Sacerdotem æternum, & supremum creaturarum omnium Regem.

Sed quæres fortasse, an sola Deitas sumpta pro natura, & essentia diuina, eo modo, quo à nobis distinguitur ab attributis, vnguenti nomen fortiatur; an etiam id nominis

nominis attributis conueniat. Annuere videtur Eusebius Cæsariensis *de preparatione Euangel. lib. 4. cap. 15.* nam in vnguentis solet vtique simplex olei natura cum aliis speciebus configi: ergo in vñctione Christi naturam ipsam Dei pro simplici oleo; attributa verò pro diuersis aromatum speciebus fuisse, cum lepore pronunciat his verbis: *Oleum verò in his noli miserationem accipere, neque in rebus aduersis mærorem, sed id, quod certa planta fructus emittit, quod ex humida materia nihil habet admixtum, quod lucem auget, quod fessos subleuat, quod labores aufert, quod hilares facit, quod instar luminis de se ipso vibrat splendores, nitidumque, ac micantem his, qui ipso vtuntur, comparat vultum.* Huic igitur exemplo supremam eius Dei, qui omnium est princeps, omniumque Rex, virtutem comparans oratio, eum, qui solus hoc toto vñctus est, quique diuina, atque eius, quæ cum nullis alijs communicatur, paternæ fragrantia princeps factus, & qui solus ex illo genitus Deus Verbum communicatione gignentis ingenti Deus de Deo est declaratus, Christum, atque vñctum vocauit. En qua ratione vñctionem Christi Deitati adscripsit, quam per generationem æternam Filius à Patre accepit: quæ nimirum Deitas cum olei ad instar (cuius est cum aliis liquoribus minimè confundi) suapte natura incommunicabilis videretur; tamen Dei potentia sic illam humanitati immiscuit, vt vna in duabus, & ex duabus naturis Dei & hominis persona fieret; atque adeò humanitas à diuinitate vñctionem, & consecrationem acciperet. Attegit Eusebius: *At verò vna quidem est olei natura, sed vnguenti, quæ est ea multarum in idem (supple specierum) concursus significat. Proinde etiam illa prima, atque ingenta Dei virtus (scilicet essentia Dei) quatenus simplex, & incomposita, nullique alij natura commixta intelligitur, simplici olei locutioni collata est: quatenus verò plurimas in eodem considerationes comprehendendum habet, vt quod facere potest, quod regnare, quod prouidere, quod iudicare, quod amore prosequi homines, quod salutem asserre, aliaque innumerabilia, quæ intelligentia considerantur. Vnguento rursus hæc ipsa merito comparata est, quatenus multa comprehendit; quo vnguento eum, qui Dei & verus, & solus est Pontifex, vñctum esse diuina nos docent oracula.* Hactenus Eusebius, qui essentiam, & attributa Dei tanquam diuersas aromatum species oleo simplici permixtas conuenisse asseuerat, ad componendum illud vnguentum, quod Christus Dominus Rex, ac Sacerdos supremus initiatus fuit. Et sanè huius vnguenti ad eum modum ex natura, & attributis Dei confecti, & conflati plenitudo in Christum defluxit. Sed quónam modo? Dicam quod sentio. sanctitatem Christi, regnumque illius, & sacerdotium ab ipsa Dei essentia, prout talis est secundum conceptum essentiæ, tanquam à forma prouenisse credo: alia verò attributa non aliter humanitati appropriata, nisi quatenus per communicationem idiomatum factum, vt tam ipsa, quàm eorum operationes illi adscribantur, & de illa enuncientur. Nisi velis etiam hæc attributa humanitati eatenus communicata, quatenus per vnionem eorum cum humanitate in eadem hypostasi effectum est, vt alia creata attributa illis similia humanitati imprimerentur, & infunderentur, quæ essent increatorum participationes. Verbi causa, virtutes Dei increatæ, scilicet iustitia, bonitas, veritas, &c. humanitati hypostaticè copulatæ, & deuinctæ suo sibi iure poscebant, vt ea humanitas, cui tam arcto vinculo obstrictæ erant, totidem virtutibus creatis, iustitia videlicet bonitate, veritate, &c. insigniretur, vt earum virtutum operationes exequi posset, sine quibus parum decenter se haberet.

Dixi autem sanctitatem, & duas illas dignitates sacerdotij, ac regni ab essentia diuina secundum conceptum essentiæ humanitati Christi formaliter impressas fuisse. Primò, quia istæ dignitates sunt denominationes, quæ non sunt formaliter in Deo, sed eminenter, quatenus scilicet ipsa diuinitas vnita subiecto earum, eas illi communicare, & in ipsum deriuare potis est. Nam cum diuinitas quancumque dignitatem, & excellentiam per eminentiam contineat, in naturam, quæ ipsi hypostaticè vnitur, secundum capacitatis suæ mensuram, quidquid ea ratione magnum, & excellens continet, naturaliter effundit. Cum igitur hæc dignitatum, & excellentiarum eminentia non sit in aliquo attributo Dei secundum proprium conceptum talis attributi, reliquum est, vt illam in ipsa essentia secundum conceptum proprium essentiæ existere dicamus.

Dices fortasse sanctitatem eminenter esse in sanctitate Dei, & sacerdotium, & regnum in omnipotentia, vel potius in regno eiusdem Dei per eminentiam contineri. Hæc tamen assumptio falsa est, quia sanctitas, quæ à diuinitate in Christum defluxit, est diuersæ rationis à sanctitate Dei; sanctitas enim Dei est per essentiam talis: at

verò Christi sanctitas, & regnum etiam illud, quod humanitati à diuinitate tributum fuit, non est eiusdem rationis cum regno, quo gaudet Deus in omnes creaturas in quantum Deus est: hoc enim regnum creatio ipsa Deo defert, & in ipsa fundatur, quæ Christo, vt homo est, minimè conuenire potest. Item nullum est sacerdotium formaliter in Deo, quia Deus est, in quo sacerdotium Christi contineri possit. Ad hæc, præmissæ dignitates non sunt aliqua entia realia creata, à diuinitate distincta, sed morales quædam denominationes ab ipsa diuinitate naturaliter effluentes: ergo neque in sanctitate Dei, neque in omnipotentia, & regno illius eminenter continentur. Consecutionem probo, quia omnipotentia Dei non continet eminenter nisi entia realia, quæ possunt ab ipsa physicè produci; præmissæ verò dignitates non sunt eiusmodi. Rursus sanctitas, & regnum Christi vt hominis, est diuersæ rationis à sanctitate, & regno Dei, secundum quod Deus existit: ergo non sunt denominationes ab illis prouenientes.

Obiicies ab vna forma duas diuersæ rationis denominationes effluere solitas: nam à visione denominatur subiectum videns, & albedo visa, & sic de aliis. ergo eodem modo à sanctitate formali Dei denominari potest Deus ipse sanctus, & humanitas sanctificata. Respondeo, denominationes illas diuersæ rationis semper fundari in relatione reali formæ denominantis ad rem denominatam: sanctitas autem Dei non est respectiua ad Christum, vel sanctitatem illius, ac proinde non subest ratio aliqua, propter quam eam denominationem parere debeat. Reliquum ergo est, vt talis denominatio ab ipsa essentia, & natura Dei secundum proprium conceptum talis naturæ, vel essentiæ fluat. Et eadem ratio est de regno Christi.

Hæc dixerim, quia minus tribuo ei rationi, quam aliqui nouiores Theologi efformant, contententes sanctitatis attributum in Deo non esse diuersum ab essentia, quia non important diuersos conceptus. Nam præterquam quod hæc ratio in regno, & sacerdotio Christi tenere non potest, de quibus eodem modo loquuntur Patres, affirmantes ab vnctione diuinitatis in humanitatem refundi, non satis credo sanctitatem & essentiam Dei vnico conceptu claudi: nam essentia significatur per modum per se existentis, sanctitas per modum adiacentis, atque adeò in suo ipsius conceptu præsupponit subiectum, cui adiacere debet: hoc autem non potest esse aliud nisi essentia, quæ est commune subiectum attributorum. Dices, S. Thomam non assignasse sanctitatem tanquam diuersum Dei attributum. Non inficior; sed tamen ego crederem potius ab illo non in conceptu essentiæ, sed in attributo bonitatis Dei inclusam fuisse; bonitatis, inquam, non sumptæ pro illa, quæ in conuenientia consistit, sed pro illa, quæ in integritate posita est. Cogita enim Deum essentialiter integerrimum tam in iis, quæ secundum naturam, quam quæ secundum mores ipsi debentur, & continuo intelliges ipsum sanctum, & bonum per essentiam.

Hæc tamen Theologis accuratiùs tractanda, & edisserenda dimitto, atque id mihi ex dictis fumo, quod ad huius loci expositionem facit, in quo de Saluatoris dignitate sermo est, cuius nomen *oleum*, vel *unguentum* dicitur, quia Christus, id est, vnctus, vel unguentatus, Sanctus nimirum, & Rex, & Sacerdos ipsiusmet diuinitatis unguento consecratus, & initiatus est. & hæc est vera, & germana magis significatio olei iuxta sensum literalem, ac propheticum huius loci. Sed quorsum *oleum* istud *effusum* appellat sponsa? Quia nimirum Christus diuinitatis unguentum, quo ipse imbutus erat, non sibi soli retinendum putauit, sed illud in Ecclesiam sponsam suam copiosissimè effudit, eam vtique diuinitatis suæ compotem, & sanctitatis, regni, atque sacerdotij sui consortem efficiens. Ad sanctitatem spectant illa verba Petri in 1. Can. cap. 1. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri, per quam maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc diuina efficiamur consortes naturæ*; scilicet per gratiam, quæ diuinitatis quoddam participium existit.

Ambrosius in lib. de Incarnatione cap. 3. ex hoc loco contra Arrianos euincit vnã essentiam, seu naturam tribus personis communem. Sentit ergo Ambrosius per gratiam, de qua hic loquitur Petrus, ipsius naturæ diuinæ secundum conceptum naturæ participes fieri, atque adeò illam à Christo in nos aliquo modo effusam, & refusam; non quia per veram aliquam & realem transfusionem diuina essentia in iustos pertranseat, vt falsò putauit Seruetus hæreticus; sed quia infunditur gratia, iustitia, & sanctitas, quæ singulari iure diuinæ essentiæ participatio dicitur. Primò, quia gratia est

est spiritualis vitæ anima, atque vt talis diuinæ vitæ participium est; vita autem Dei à sua ipsius essentia non differt. Secundò, quia gratia filios Dei spiritualiter regenerat. Sicut enim filiatio naturalis est origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ quæ in naturali substantia sua est; sic etiam spiritualis filiatio in supernaturali similitudine cum supernaturali substantia posita est.

Vtramque rationem obtulit nobis Macharius Ægyptius *homil. 39.* vbi sic ait: *Vt inuocantes Deum, & credentes postulent, & accipiant donum cæleste ex hypostasi diuinitatis eius. scriptum est enim: Quò fiamus diuina consortes natura.* Nomine hypostasis substantiam intelligit, & continuo hanc participationem appellat donum vitæ. Sed luculentius in *homil. 44.* Idcirco (ait) *venit Dominus, vt immutet, ac reformet animas nostras, illasque faciat diuina consortes natura, & in animam nostram animam conferat cælestem, hoc est, spiritum diuinum deducentem nos in omnem virtutem, quò viuere possimus vitam perpetuam filiorum Dei.* Quid illustrius? Hanc verò participationem diuinæ vitæ, aut naturæ per ipsissimam olei, seu vnguenti deriuationem, & effusionem significatam docet idem Macharius *homil. 43.* hisce verbis: *Quemadmodum ab igne accenduntur multe lucernæ, & lampades ardentes; cunctæ verò lucernæ, & lampades ab vnica natura accenduntur, & lucent; haud aliter etiam omnes Christiani ab vnica natura accenduntur, & splendent ignis diuini, habentque lampades ardentes in cordibus suis, & agentes in terra lucent in conspectu eius sicut & ipse. Ait enim, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ; idcirco cognominatus est Christus, vt eodem oleo, quo ipse vnctus est, nos etiam vncti fiamus Christi eiusdem, (vt ita dicam,) substantiæ, vniuscque corporis. inquit enim, Qui sanctificat, & qui sanctificatur ex vno omnes. Quare similes aliquatenus sunt Christiani lucernis habentibus in se oleum, hoc est, fructus iustitiæ; ac nisi accendantur in eis lucernæ à lucerna Numinis diuini, nihil sunt. Dominus erat ardens lucerna propter spiritum diuinitatis substantialiter in ipso manentem, & incendētem cor illius secundum naturam humanam, &c.* Hactenus Macharius, qui vnctionem illam, quam Christus Dominus in nos deriuat, ipsius naturæ diuinæ participationem, & consortium esse dicit: talis enim est sanctitas, & gratia, quæ nos vnius substantiæ efficit cum Deo, modo iam dicto.

Quod autem de sanctitate hactenus diximus, idem planè de regno, & de sacerdotio pronuntiandum est: nam quod à Christo in nos defluit sacerdotium, & regnum, ex communicatione quoque diuinæ naturæ manat. Comprobat hoc doctrina Patrum, qui eodem modo loquuntur de sacerdotio, & de regno, sicut de sanctitate, & gratia. Ideò hæc, & illa coniunxit Petrus in *1. Can. cap. 2.* *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Pende illa verba, *genus electum.* Aliqui enim prædestinatos hoc nomine censerunt, qui scilicet electi sunt ad vitam æternam. Sed non assentior; hæc enim verba, nisi fallor, congruunt cum illis, quæ Paulus ad Athenienses fecit *Act. 17.* *Ipsius enim & genus sumus: genus ergo cum simus Dei, non debemus estimare auro, aut argento diuinum esse simile, &c.* Eodem ergo sensu Petrus iustos, & sanctos viros appellat *genus electum*, id est, genus Dei valde nobile: dicuntur autem genus Dei, id est, progenies illius, eiusdem scilicet naturæ, & substantiæ cum ipso Deo; atque eo iure regale sacerdotium, & gens sancta, quia nimirum participatio diuinæ naturæ illos vnà simulque Sanctos, Reges, & Sacerdotes efficit.

Huc spectant Ambrosij verba in libro de his, qui mysteriis initiantur *cap. 6.* *Vnguentum, inquit, exinanitum est nomen tuum, &c. Quod vnguentum ideò in barbam effluit, id est, in gratiam iuuentutis, idcirco in barbam Aaron: vt fiat electum genus sacerdotale pretiosum: omnes enim in regnum Dei, & sacerdotium vngimur gratia spirituali.* Sicut enim hactenus asseruimus, Christum Dominum per ipsam diuinitatis vnctionem iure naturæ filium Dei, Regem, & Sacerdotem factum fuisse: ita etiam dicimus iustos omnes per consortium eiusdem diuinitatis filios Dei adoptiuos, & Reges, Sacerdotesque per participationem constitui, & inungi, Cum Ambrosio conspirat Innocentius Pontifex in *cap. vnico, de sacra vnctione, tract. 15. lib. 1.* vbi sic ait. *Quia verò Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro regnum, & Sacerdotes: propterea, quod & Apostolus ait, Vos estis genus electum; ideò in nouo Testamento non solum Reges, & Sacerdotes vnguntur, sed etiam omnes Christiani ante Baptismum, & postea, &c.* Meritò ergo effusum vnguentum Christi nomen appellatur, quod ea ratione in Ecclesiam diffunditur.

Conferamus antiqua cum nouis, & de Regum, Reginarumque vnctione tantisper loquamur. Exploratum est in veteri lege, Sacerdotes, ac Reges largiori vnguen-

to imbui solitos. Ad Sacerdotes spectant illa verba Psalmi, *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Ex quibus liquet, unguentum illud super caput Sacerdotis, usque adeo largiter effundi, ut inde in barbam, & fimbrias deflueret. De Regibus autem haud dispar ratio; nam cum eodem sacro unguento linirentur, unctionem quoque eodem modo factam suspicari licet. Cui coniectura adstipulatur Manases Poeta Græcus apud Iulium Cæsarem Bullingerum de Imperatore Romano *lib. 2. cap. 3.* qui sic cecinit.

*Inde leo ut gratiam referret Carolo, (scilicet ob Romam restitutam)
Eum renunciat Imperatorem veteris Romæ,
Et coronam imponit, ut Romanorum leges ferunt.
Imò & utens legibus Iudæorum,
A capite ad pedes oleo eum inungit,
Nescio propter quas rationes, aut cogitationes,
Ita prius vinculum urbium solutum est,*

scilicet Constantinopolis, & Romæ. Ex his constat, antiquos Iudæorum Reges, ut Sacerdotum mos ferebat, à capite ad imos pedes unguento sacro infici solitos. Idem scribit Paulus Diaconus *lib. 24. historia,* nescio an alij. Sed quod ad Reges Christianos attinet, præmissus Bullingerus putat inter Christianos Principes Carolum Magnum primum sacri olei linitione consecratum fuisse. Sed non credo; Nizetas enim *lib. 1. historia,* Clodonæum in Gallia ante Carolum inunctum fuisse affirmat, & inde hunc ritum ad Orientem promanasse. Id certè reor, vnum Carolum eo modo à vertice ad pedes usque unguento sacro perfusum ritu Hebræorum; nam reliqui vel Reges, vel Imperatores Christiani antè, & postea in brachio tantum, & humeris unctionem accipere consueverunt. Sic traditur in Pontificali Romano, in coronatione tam Imperatoris, quàm Regis, & confirmat decretum Innocentij Papæ *in cap. unico, de sacra unctione, lib. 1. cap. 15.* vbi sic scribit. *In veteri Testamento non solum ungebatur Sacerdos, sed etiam Rex. Sed vbi Iesus Nazarenus unctus est oleo pietatis præ consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesie, quæ est corpus ipsius Principis, unctio à capite ad brachium est translata, ut Princeps ex tunc non ungetur in capite, sed in brachio, & humero, siue armo, in quibus principatus congruè designatur, iuxta illud, quod legimus: Factus est principatus eius super humerum eius. In capite verò Pontificis sacramentalis est unctio conseruata; quia personam capitis in Pontificali officio representat. Refert autem inter Pontificis, & Principis unctionem, quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delimitur, ut ostendatur, quanta sit differentia inter authoritatem Pontificis, & Principis potestatem.* Hactenus Innocentius. Cui aliquid addere perplacet non in conditum. Olim certè tam Reges, quàm Sacerdotes copioso perfundebantur unguento, quod à vertice ad pedes usque decurreret; quia nimirum antiqui Reges, & Sacerdotes Christum, eiusque largissimam unctionem Deitate ipsa perfundente factam præsignabant: at vbi Christus venit, figuras, umbrasque cessare oportuit; atque adeo Regum non capita, sed alia membra inungi debuerunt, ut inde constaret eorum regna, & imperia à Christo ceu à capite deriuari, ac descendere, atque ipsos non iam capita, sed sub capite Christo valde nobilia membra censerì, nempe brachia, atque humeros: hæc enim unguento sacro liniri solent; brachia scilicet fortia ad defendendam Ecclesiam, & robustos humeros ad onera publicæ administrationis portanda.

Quorsum hæc? Profectò existimo, hæc verba, *Oleum effusum nomen tuum,* non tantum de spirituali regno accipi debere, quod à Christo Domino iure conjugij in Ecclesiam sponsam, id est, in omnes iustos per gratiam effunditur; sed etiam de regno temporali, & terreno, hoc enim à Christo identidem deriuatur, & Ecclesie eodem iure confertur, quoniam ipse est supremus Induperator, ac Rex, qui in femore suo habet inscriptionem illam: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Atque illud enunciare potest, *Per me Reges regnant.* Vnde omnis potestas regia, etiam temporalis, quæ humanis Regibus obtingit, ab ipso manat, ac profluit. Nam cum unguentum diuinitatis, quo humanitas imbuta fuit, illi non spirituale tantum, sed etiam temporale regnum detulerit, ut docuimus ad præscripta verba *Proner. 8.* cum hoc *effusum* dicitur, vtriusque profectò regni deriuationem in Ecclesiam sponsam significatam existimo. Et idem iudicium est de sacerdotio, quod similem admodum à Christo Domino summo Sacerdote descendit. Itaque eum audis sponsam Ecclesiam hæc

de Christo dictantem, *Oleum effusum nomen tuum*, cogita ipsam de consortio vtriusque regni, tam spiritualis, quam temporalis: & de communione sacerdotij locutam fuisse, quæ omnia iure coniugij se accepturam dicit, quia cum supremo Rege vtriusque regni potente, & cum summo Sacerdote nuptias à se copulatum iri sperat, quatenus sponsa Regis, ac Sacerdotis vncti vngi quoque, ac leniri, & earum dignitatum consortium inire debuit. Et licet verum non esset id, quod supra obseruauimus, in veteri Testamento Regum coniuges oleo sacro vngi, & initiari solitas, sicut Reges, eas certè in nouo Testamento secundum receptum in Ecclesia vsum eodem vnguento, atque eisdem in membris imbui exploratum est, ad significandam eam dignitatum, ac titulorum communionem, ad quam matrimonium vxores euehit: dicemus profectò sponsam idipsum peroptare, scilicet nuptias suas cum Rege vncto, nempe cum Christo, vt vnctionis ipsius iuxta noui Testamenti recentiores ritus particeps fiat, & cum vnctione præscriptarum dignitatum consortium obtineat, modo iam dicto.

Sed qua ratione Christus vnguentum, aut vnguentatus sit, & quomodo etiam illud in nos effundat, discite ex Areopagita de *Ecclesiastica Hierarchia cap...* vbi sic ait. *Igitur vnguenti significatiua compositio describit Iesum fontanam existentem copiam benevolentium susceptionum; proportionibus hierarchicis ad deiformissima intellectualium, reddentem diuinissimas fragrantias, in quibus mentes suauiter delectata, & sanctis susceptionibus adimpleta alimento intelligibili vtuntur, scilicet introitu benevolentium distributionum ad intellectualem ipsorum secundum diuinam participationem.* Ergo Dionysius per vnguentum illud, quod Pontifex consecrat, & in Sacramentis, atque aliis consecrationibus adhibet, Christum ipsum notari voluit, qui omnem suaueolentem deriuationem in vniuersos Ordines hierarchicos Ecclesiæ vniuersalis effundit: qui etiam locum istum de illo vnguento interpretatus est. Ita enim ait: *Iesu nomen oleum est effusum, Christus enim appellatur, quod ipse eximie fragrans repleat diuinam voluptate participes: est enim fons suaueolentia emittens diuinos halitus in pias animas.* (& quidem de oleo sacro verba faciens.) Quomodo autem fieret consecratio vnguenti, tradit Areopagita his verbis: *Postea vnguentum Pontifex sumens superponit diuino altari circumuelatum duodecim alis, Sanctis clamantibus cunctis, &c.* Itaque ait vnguentum illud sanctum duodecim alis olim contegi solitum, quod mysterijs accommodans in theoria, postquam duodecim pennis alas illas dixit significari, quibus Seraphin Deum obuehant apud Isaiam, de quibus ita legitur: *Sex penna vni, & sex penna alteri.* Vbi etiam nomen *Seraphin* Hebraicè ignitas substantias significari dixit. subdit hæc verba. *Etenim substantia super mentem bene olens ab igneis, & mundissimis mentibus ad manifestationem sursum moueri diligit, & diuinissimas ipsius spirationes in ditissimis distributionibus donat.* id est, ipse Christus, qui substantia est in infinitum suauius, & omnem mentem odore transcendens appetit moueri, & deduci in notitiam, & cognitionem aliorum ab his, qui seraphicos spiritus charitatis ardore imitantur. Nam sicut vnguentum igni admotum flagrat magis; ita Christus in his, quorum animus charitate arsit, gratius olet, atque latius notitiæ suæ odorem affundit. Accenderat sanè charitas cor Pauli, flagrabat amoris, ac zeli flammis: ergo cum primùm vnguentum illud, id est, Christum, attigit igne suo, statim odore Christi mundum compleuit. *Dei inquit gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi benis odor sumus Deo.* Sic igitur Ecclesia ad Christum, *unguentum effusum nomen tuum: idè ad adolescentula dilexerunt te.* id est, quia vnguenti suauissimi ad instar est, idè animæ iustæ amore tui arserunt; hic autem ardor effecit, vt notitiæ tuæ odor latius diffunderetur, nam ignitis mentibus affusum suauius, vehementiusque inhalauit.

Animaduertendum præterea est, ritum illum operiendi alis chrisma post Dionysium in desuetudinem abiisse, & pro alis vt iam Romanam Ecclesiam serico candido. sic enim habetur in ritibus Romanis. *Ampulla, qua cum chrismate est, statim vt benedicta fuerit, antequam deferatur ad altare, operiatur sindone alba de serico, vt à nomine nuda videatur, sed tenente eam Acolyto, omnes per ordinem salutent, dicentes: Ave sanctum Chrisma.* Fremit vesana hæreticorum turba cum antesignanis Kemnitio, & Caluino, quasi ritus iste salutandi chrisma idololatriam sapiat. Sed mirum quantum ipsi desipiant, præterquam enim rem quamlibet sacram adorare æquum est, peculiari ratione ad chrisma adorandum, & salutandum Ecclesia inducta est; quia nimirum Christi Symbolum præbet, vt post Dionysium docent Rupertus, Isidorus, & Amalarius.

larius. Hic enim sic addit. *Ampulla cum chrismate corpus Domini ex Maria Virgine assumptum significat, quod antequam transfret ad altare crucis, aliquo tempore coopertum fuit, aliquo nudum. Primo tempore coopertum erat, quando ita fugit in Ægyptum Regem Herodem, quasi non esset Rex Regum; quando ita portatus est ad templum, quasi non esset omnipotens; quando requisitus est inter cognatos, quasi non esset ubique; quando fuit in medio Doctorum audiens, & interrogans, quasi non esset fons sapientia; quando ita subditur parentibus, quasi non esset author parentum. Operimentum erat sindon alba, per quam non incongruè possumus intelligere mundissimam, & candidissimam eius conuersationem, qua indutus fuit ab initio. Nudum erat, postquam cepit miracula facere. unde Nicodemus: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis. Et Petrus dixit, Tu es Christus filius Dei uiui.* Hactenus Amalarius Fortunatus Treuerensis Episcopus, qui uiguit tempore Ludouici Pij Imperatoris. iuxta quam allegoriam exponere licet illa uerba, *oleum effusum nomen tuum.* Primò enim uitæ suæ tempore quandiu ipsi delitescere placuit, quasi unguentum in uase clausum fuit: tamen cum edere miracula, & cunctam Iudæam doctrina sua, & fama complere cœpit, tunc demum effusi ad instar unguenti obtinuit.*

Cum igitur ex dictis constet per chrismatis largam, & affluentem effusionem Christianos omnes ad regnum, & sacerdotium inungi; pende diuinæ prouidentia nihil frustra molientis dispositionem. Erat enim olim tum olei, tum balsami, quibus temperatis, chrisma conficitur, magna penuria. De oleis quippe constat paulò ante Christum natum in plurimis nobilissimis regionibus nullas fuisse, & in quibus illæ erant, tardissimè fructus edidisse; tum etiam nulla tellus, quantumuis uberrima, oleas ferebat, nisi intra quadraginta milliaria à mari, ut Plinius testatur in *Theophrasto*. Sic enim ille lib. 15. cap. 1. *Oleam Theophrastus è celeberrimis Græcorum authoribus urbis Romæ anno quadringentesimo quadagesimo negauit, nisi intra quadraginta millia passuum à mari nasci.* Rursus cum idem Plinius ex probatis authoribus retulisset in Africa, Italia, Hispania, atque Gallia anno ab Vrbe condita 183. nullum fuisse oleam, subiicit. *Minus ea miretur post annos viginti duos Græci Pompeij quarto consulatu oleum prouincijs Italianam misisse. Hesiodus quoque in primis cultum agrorum docendam arbitratus uitam; negauitque olea satorem fructum ex ea percepisse quemquam, adeò tarda res erat. At nunc etiam in plantarijs ferunt translatam, atque altero anno decerpuntur bacca.* Ex his liquet ante Christum natum tum oleas paucas fuisse, tum etiam tardissimè fructus suos germinare solitas: mox uerò post Christi Incarnationem & oleas latissimè per omnes prouincias propagatas, & fructus uberrimos, & celeriores ferre. Quid in causa? Certè ideò factum diuino consilio crediderim, ut tot Sacramentis, in quibus oleum adhiberi solet, materia suppeteret, ne quid illorum administrationi deesset; ac simul significaretur fore, ut unctus & uncti, Christus & Christiani per totum latè orbem propagarentur.

Quid dicam de balsamo, quod Chrismati etiam immiscetur? Strabo lib. 16. Plinius lib. 12. cap. 25. Solinus lib. 36. vni Iudææ concessum, & nullis præterea terris datum scribunt. Quapropter Pompeius arborem balsami, ob Iudæam ab ipso sub iugum missam, Romanæ ditioni adiectam duxit in triumpho. Et Vespasianus Imperator, qui Hierosolymam euertit, balsami arborem Romam detulit. Quo modo ergo euenisse dicemus, ut quæ quondam arbor alibi præterquam in Iudæa non germinabat, sub ortum Christi alibi etiam germinet. Scribit enim Dioscorides in Ægypto nasci, Pausanias in Arabia passim germinare affirmat; & ex occidentali nouo orbe incredibilis balsami vis ad nos quotidie defertur. Hanc uerò balsamorum copiam post Christum natum iam olim Sibylla prædixerat, cuius uerba usurpauit Maro. *Ecolga 4.*

Occidit & serpens, & fallax herba ueneni

Occidit; Assyrium uulgò nascetur amomum.

lege Solinum cap. 3. ubi de ueteri penuria, & hodierna balsami copia multa scribit, ac uide qua ratione Deus optimus maximus balsamum necessariis Ecclesiæ usibus copiosè suppeditauerit, ut scilicet Christianis omnibus ad regnum, sacerdotiumque inungendis largissimè afflueret.

Quid plura? Augustinus contra Faustum lib. 12. cap. 26. & in expositione *Psal. 44.* Rupertus in cap. 28 *Genesis*, Chrysostomus, Ambrosius, & alij lapidem illum, quem supposuit Iacob capiti suo, quem somno discusso erexit in titulum, fundens oleum desuper, Christi Domini symbolum fuisse dicunt, quem Pater oleo exultationis præ omnibus

omnibus participibus imbuat. Et quidem Augustinus *locis citatis* propterea lapidem illum capiti Iacob subiectum fuisse sacramento quodam dicit, vt Christum Ecclesiæ caput futurum esse constaret, vnde in reliquum corpus deflueret vnguentum illud effusum. Ad hæc Hebræi, vt tradit Abulensis *in cap. 38. Genesis*, & Galatinus *de Arcanis lib. 3. cap. 2.* verba illa expedientes, *Tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.* non vnum lapidem tantum, sed alij tres, alij duos accepisse dicunt; tum deinde sic locutum fuisse. *Si Deus vnit nomen suum super me, quemadmodum vnuit super Patres meos, fiant omnes isti lapides vnus.* Surrexit ergo, & lapides illos duos, aut tres in vnum coaluisse inuenit. Textus enim postea sic habet, *& accepit lapidem.* quo verbo, inquit, ostendit ex pluribus vnum factum lapidem. Galatinus igitur *ibi.* Duorum, inquit, lapidum vnio duarum naturarum, diuinitatis scilicet, & humilitatis vnionem in Christo significauit: trium verò substantiarum, Verbi scilicet, animæ, & corpori in vna persona Christi designauit vnionem. Certè si hoc ita se habuit, etiam notari dixerim ex Christo & Ecclesia corpus vnum conuari. Deinde verò cum oleum desuper infudit, planè significauit à Christo, qui supremum Ecclesiæ locum obtinet, in reliquum corpus vnctionem deriuari: non enim, inquit, lapidem oleo imbuat, aut totum perunxit, sed infudit desuper. Septuaginta, *super summitatem.* Hebraicè, *super caput lapidis.* quod summo consilio euenisse credo, vt à superiori parte in inferiores decurreret, & quidquid vnctionis, gratiæ, atque donorum est, à Christo in reliquam Ecclesiam defluere demonstraret.

Appendix superioris expositionis.

PRÆter ea, quæ hætenus iuxta literalem huius loci sensum præscripsimus, restant alia, & alia interpretationes de Ecclesia, quas iam subiicio. Chaldæus hæc verba tanquam ab antiqua Ecclesia, hoc est, à Synagoga pronunciata sic edisserit. *Et nomen tuum sanctum auditum est in vniuersa terra; quod est electum magis, quam oleum vnctionis, quo vnguntur capita Regum, ac Sacerdotum.* Certè Chaldæus per nomen famam, seu rumorem accepisse videtur; aliqui tamen de nomine Dei ineffabili locutum fuisse Paraphrastem affirmant, hoc sensu, & nomen sanctum Dei, id est, nomen sacrum Iehoua, quod hætenus ἀπρόνοον, seu ineffabile fuit, post aduentum Messiæ passim audietur, ac proferetur, ac vulgò prolaturum, dictumque gratius, ac iucundius erit, quàm vnguentum illud, quo Reges, ac Sacerdotes perfundi, ac consecrari solent. Sed quando auditum, prolaturumque fuit hocce nomen? Certè in ipso nomine Iesu post Christum natum & pronunciatur, & auditur, vt statim dicemus; quod nomen meritò sacerdotali, & regio vnguento antefertur, quia eorum Sacerdotum, quos vnguentum illud consecrabat, tota functio, & ministratio ad impetranda Dei beneficia minùs valebat apud Deum, quàm sola istius nominis inuocatio: & Regum quoque tota potentia, & maiestas longè minus poterat, quàm prædicti nominis sola prolatio, de cuius potestate, ac vi paulò post aliquid seremus.

Ergo per nomen sponsi, quod hîc cum oleo effuso confertur, sanctum Iesu nomen concipiendum esse ex Patribus censuit Bernardus *serm. 14. & 15. in Cant.* vbi quatuor præcipuas olei facultates illi conuenire dicit; hæc sunt fouere lumen, cibare, vngere, & sanare. Et alia plura miscet, ex quibus digniora paulò post dabimus. Cum Bernardo concors est Origen. qui *hom. 1. in Cant.* inter alia sic serit. *Propheticum sacramentum est; tantummodo nomen Iesu venit in mundum, & vnguentum predicatur effusum.* & statim addit odore huius nominis vniuersum mundum completum fuisse. Et quidem Bernardus *in eo serm. 14.* de nomine Dei ineffabili Iehoua, quod tetragrammaton appellatur, intelligere videtur ad hunc modum. Nomen illud olim clausi ad instar vnguenti tectum, obseratumque erat: nam eius vel effandi, vel proferendi nulli copia erat, atque adeò pro illo Adonai nomen subrogabatur, quod aliqui propterea thecam, vel vas arcani, & diuinissimi illius nominis vocabant. Sed vbi inditum fuit Christo nomen Iesu, ineffabile illud, quod eatenus tectum occlusumque fuerat, è suo vase effusum est; nam ex eo tempore efferri, ac pronunciarum cœpit. Hæc *ibi* suboscure Bernardus. Quomodo autem per nomen Iesu, nomen quondam ineffabile Iehoua prodatur, & pronuncietur, iam ostendo.

Osiander hæreticus nihil aliud esse dixit nomen Iesu in fonte, nisi nomen Iehouah. intercalato *v scim*, quasi יהוה שמ יהושא. Sed planè deceptus est, adimit enim illi *y aim*, quo

quo sublato Salvatorem significare non potest; atque adeò Gabrielis effatò contra it. *Vocabis, inquit, nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum, &c.*

Georgius Venetus *Harmonia lib. 2. ton. 6. cap. 4.* Rabinis credulus, nomen *Iesu* Hebraicè ישו *Iesu* esse existimauit; addit verò *Iehouah* in eo nomine includi: nam *i*od, & *vau* expressa sunt, duplicis verò ה *he* vices agit ו *scin*. Id autem parum firmis quibusdam rationibus fulcit. Et planè incidit in errorem Osiandri. ישו *Iesu* enim non Salvatorem, sed clamantem, & vociferantem, vel nihil sonat. Fefellerunt autem Venetum (ni fallor ego) verba Rab. Hachados; is enim, vt fert Galatinus in *lib. 3. de Arcanis cap. 18.* ad hunc modum scripsit: *Quia Messias homines saluabit, vocabitur Iesuah. Gentes autem alterius nationis, quæ fidem eius sectabuntur, vocabunt eum ישו Iesu, & propterea inuenies hoc nomen Iesu in textu (Genesis 49.) veniet qui mittendus est & ipse: si enim accipias ex Hebræo primas literas, hanc dictionem conficies ישו Iesu.* Ait ergo Rab. Hachados, qui aliquot annis ante Christum floruit, vocandum esse Christum Dominum à Gentibus Iesum, non autem ab Hebræis.

Ludouicus Legionensis de nominibus Christi, Iacobus Valentinus in *Psalms. 8. Burgenfis Exod. 3.* & Bellarminus in *expositione grammaticali Psalm. 34.* putant Iesum Hebraicè dictum יהושע *Iehosuagh*, per *he*, & *ain*; quo nomine dicti etiam sunt Iosue, & Iesus Sacerdos filius Iosedech. Galatinus verò præmissò in loco, Genebrardus, Viégas noster in *cap. 12. Apocal. Barradas concordia lib. 3. cap. 9.* adimendum esse dicunt *he*, & non *Iehosuagh*, sed ישו *Iesuagh* Christum appellatum fuisse volunt. Adducti verò sunt in eam sententiam, quia *Iehosuagh* interpretatur, *Dominus saluabit*, *Iesuagh* verò *Saluator*; id verò aptius in Christum cadit, quàm illud. Rursus colligunt ex Evangelio Syriaco, vbi Christus non *Iehosuagh*, sed *Iesuagh*; & ex titulo crucis, qui est Romæ, in templo S. Crucis, vbi planè visitur *Iesuagh*.

Me verò aliam in sententiam ducit coniectura; arbitror enim Christum *Iesuagh*, & *Iehosuagh* fuisse appellatum; hæc enim non duo, sed vnum tantum nomen esse reor. Addo etiam *Iesagh* non esse diuersum nomen à duobus præmissis, pro quo *Habacuc 3.* Vulgatus noster Iesum conuertit. Et exultabo in Deo ישגבאי *Iesaghbai*, id est, *Iesu meo.* Quemadmodum enim apud Latinos *Luisius, Ludouicus, & Iodochus*; apud Hispanos *Diego, Iacome, y Iaques*; & sicut apud Hebræos *Heli, & Heliachim, Iona, & Iohana* pro eisdem nominibus cęsentur: sic etiã illa tria nomina *Iesuangh, Iehosuangh, & Iesangh* idem nomen esse existimo. Confirmat hanc meam coniecturam Septuaginta trãssatio, qui pro *Iesuangh* & *Iehosuangh* vbilibet Iesum legunt. & D. Hieron. qui passim pro *Iesagh* Iesum conuertit, vt iam animaduerti. Neque verò *Iehosuangh* interpretandum esse dixerim, *Dominus saluabit*, vt putat Galatinus, sed *Dominus Saluator*, quod nomen accommodatè de Christo dicitur. Quamuis non absurdè quis diceret eo modo exponendum esse, scilicet, *Dominus saluabit*: ita enim exposuisse videtur Angelus, cum dixit, *Vocabis nomen eius Iesum, quia Dominus saluum faciet populum suum, &c.* Item *Iesagh* interpretatum est *Salus*. Sed quid certius, quàm formas abstractas pro concretis in sacris literis vsurpari.

Hinc colligo nomen augustissimum *Iesu*, vt ab Hebræis profertur, claudere nomen ineffabile *Iehoua*, non eò quòd interiecta sit litera ו vt placuit Osiandro, sed quia nomen *Iehosuagh* ex *Iehouah* & *Iesagh* coalescat. *Ieho* enim initio nominis ponitur pro *Iehouah* per aphæresim; *suagh* verò est pars altera compositionis à *Iasangh*, id est, *saluauit*, adempto *Iod*, est enim verbum defectiuum; his verò valde proprium est abicere sæpiùs *Iod* in *thoar*, & aliis nominibus deriuatis. Quapropter non ineptè ad hunc sensum alliciunt cum Burgenfi Georgius Venetus & alij, illud *Ierem. 23.* *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* vbi pro Domino Hebraicè est *Iehosuangh*, & de Salvatore sermo est. Vtrum verò ad id spectent illa Pauli verba: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* longioris est negotij. Iam intelligis quò tendam. Dicemus ergo nomen illud *Iehoua* quondam ineffabile pronuciari cęptum in nomine *Iesu*; atque adeò cum olim vnguenti ad instar pretiosissimi in theca alterius nominis conditum, & obseratum fuisset, iam nunc quasi effractò vase effusum est; adeò, vt sicut olim *Iehouah* proferre nefas erat, hodie *Iesum*, atque adeò ipsum *Iehoua*, quod in *Iesu* clauditur, pronuciare, & millies repetere non modò fas, sed salutare admodum fit, & dulce. Vnde Bernardus serm. 15. in Cantic. *Nomen Iesu est mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Infelix os, in quo Diaboli nomen dissonum, abfur.

abfurdumque femper perfonat; felix, à quo Iefu mellitum, concors, & confonum nomen millies pronunciat.

Deinde ex dictis fit, non Christum tantum, fed alios etiam nomine Iefu insignitos olim fuiffe, nimirum Iofue, quem Septuaginta femper Iefum nominant. Item Iefus Sacerdos filius Iofedech, atque Iefus filius Naue, author libri Ecclesiastici; & Paralipom. cap. 24. alius Sacerdos eodem nomine cenfetur, & nescio an alij. Cæterum in istos tota nominis fignificatio minimè quadrat, quia nullus eorum verè atque germanè Saluator extitit. Itaque nomen istud vsque ad Christum claufum, & obrectum fuiffe licet dicere; neque enim fignificationem omnem effuderat, quam cohibebat. Vbi verò Christo inditum fuit, vim & fignificationem totam emisit, & in palam dedit vnguenti ad instar olim tecti, ac nunc demum profusi.

Ad hæc D. Bernardus *ferm. 151 in Cantica*. D. Thomas 3. parte, q. 37. art. 2. digniffimum Iefu nomen vniuerfa Dei nomina complecti dicunt. Accedit Georgius Venetus *citato loco*, qui cuncta etiam Dei vocabula ad id vnum acutè reuocat. Ratio autem D. Thomæ in eo voluitur, quia nullum est Dei nomen, quod causam, effectum, vel finem salutis, quam Iefus notat, non fignificet. Atque adeò satis aptè dixit quidam recentior interpres, *Sicut omnia flumina intrant in mare; ita omnia Mefiæ nomina intrant in nomen Iefu, nec mare istud redundat*. Itaque constat nomen Iefu omnes aliorum nominum fignificationes cohibere, vel potius constat Iefum in alia omnia Dei nomina effundi; nam ea, quæ in nomine Iefu clauduntur fignificata, alia Dei vocabula explicant, & euoluunt, & (fi licet dicere) vnguentum in ipfo inclusum effundunt, sparguntque.

Sed quia nominis Iefu Hebraicam originem, fignificationem, & formam aucupari neceffum fuit, velle vtique cœpi latentia quàm plura arcana eruere: claudit enim multa myfteria, quæ si effundantur, vnguentis omnibus fuauiozem voluptatem afferent. Fecerunt id aliqua ex parte Georgius Venetus *in sua Harmonia*, & Galatinus *de Arcanis*; sed prior tantum expendit nomen ישו Iefu, putans fcilicet eo Christum Hebraicè compellatum fuiffe, & non alio; quod à veritate abhorreze supra ostendi. Posterior autem tantum ישוּעַ Iefuagh. dimisit verò duo alia, ישוּעַ Iefuagh videlicet, & יהושוע Iehofuagh, quasi notha, & spuria nomina; in quo, me iudice, lapsus est, vt supra ostendi. Animus autem est huius sanctiffimi nominis anagramma condere.

In quolibet autem anagrammate tria præstare oportet; primò integri nominis fignificatum eruere, secundò literarum singularum vim enucleare, tertio numeros expendere: hæc enim tria in anagrammatis Patribus solemnia fuiffe inuenio. Et quamlibet hæc in aliis nominibus parum folida, imò inania, & vacua prorsus forent; certè in nomine Iefu arcano, & diuino, quod Christo Domino Pater indidit, non inutiliter hæc expenduntur.

In primis ergo quod attinet ad fignificationem, parum interest inter tria nomina supra adfcripta, Iefuagh enim est *salus*, Iefuagh *saluator*, vel *salutare*, Iehofuagh *Dominus saluator*, aut *saluabit*. Omnia ergo de salute coalescunt, omnia salutem fonant, & Christum humano generi salutem allaturum fignificant. Sed quid *salus*? quid *ægritudo*? Salutem certè à fale dictam existimat Isidorus, quia velut sal cadauera, ita *salus* viua corpora condit, & à corruptione feruat. Est autem *salus*, vt à Medicis traditur, temperamentum quatuor humorum formæ debitum, ex quo proficiscitur robur, & doloris carentia. *Salutare* autem, vel *salubre* aliquid appellatur, vel tanquam causa, vt medicina; vel tanquam signum, vt pulsus, vel color faciei, & alia. Ergo cum nomen Iefu salutem, & salubre, seu *salutare* fignificet, vel causam, vel signum salutis, aut singula, aut simul esse oportet. In primis nomen sanctiffimum Iefu est *salus* ipsa animi, non solum quia omnis ægritudo animi, aliquando etiam corporis implorato nomine Iefu aut recreatur, aut soluitur; sed etiam, quia, vt obseruauit ex Hebræis non nemo, hoc nomen ישוּעַ Iefuagh. quatuor constat literis, quæ totidem nominibus initium donant, quæ quatuor corporis humores fignificant, fcilicet sanguinem, phlegmā, bilem, & melancholiam, in quorum temperie *salus* consistit. Sed quæ sint isthæc quatuor nomina totidem humores fignificantia, non satis assequor. Perfecta vtique *salus* illa est, vt author est Hippocrates in Aphorismis, *quam robur, & doloris carentia comitatur*. Meritò ergo Iefus salutis nomen fert, de quo Habacuc Propheta cap. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iefu meo*. En doloris carentiam. Subdit statim, *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*. En robur.

Est etiam nomen Iesu *salutare*, aut *salubre*, tanquam medicina, seu amuletum; quippe quod non vni, aut alteri, sed cunctis ægritudinibus vel animi, vel corporis auxiliatur. Bernardus sermone 15. in Cantic. *Hoc tibi electuarium habes anima mea reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus, salutiferum certè, & quod nulli pesti tuæ inueniatur inefficax. Pone me, inquit, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum; habes vnde & brachio medearis, & cordi, &c.* Ac demum est *salutare*, aut *salubre*, tanquam salutis signum. Pulsatio bona corporeæ salutis maximè notum signum est: non secùs animi valetudinem rectam testari reor, si mens huius sanctissimi nominis memoria assiduò pulsatur. Ad hæc ructus oris interiorem viscerum vel morbum, vel sanitatem declarat. Ergo David Psalm. 44. *Eruetavit, inquit, cor meum verbum bonum.* id est, Iesum, vt interpretatur Bernardus, quod verbum cætera verba bonitate antecellit. Hæc de significatione augustissimi nominis, de qua multa Bernardus in præmissis sermone.

Sed venio ad compositionem illius, quod ex nomine ineffabili *Iehouah*, & dictione *Iesangh*, quæ salutem sonat, coalescere suprâ docui ad hunc modum *Iehosuah*. Vbi priùs obserua per aphæresim ex nomine *Iehouah* adimi extremum *He*, quo naturæ, atque essentiæ vnitas notatur in Deo. Nullus enim nescit eos, qui in nomine יהוה *Iehoua*, mysterium sanctissimæ Triados vestigant, 1 *iod* Patri, 1 *vau* Filio, prius ה *He* Spiritui sancto, posterius naturæ, vel essentiæ accommodare solitos, vt nimirum vna essentia in tribus personis notetur. Ergo *Iehouah* in compositione *Iehosuah* *He* vltimum abiecit, quo naturæ vnitas adumbratur, vt in Christo non vnam Dei, vel hominis, sed duas, hominis scilicet, ac Dei naturas esse constaret. Rursus oportuit, vt nomen *Iehosuah* simplex non esset, sed compositum, ex duplici nimirum dictione coalescens, sicut ipse Christus ex duabus naturis. Prior ergo pars componens diuinæ naturæ, posterior humanæ adscribatur; nam prior Deum ipsum, posterior salutem sonat, vt scilicet naturam humanam non ægram, & peccato infectam, sed sanam, & omni labe immunem à Deo assumptam esse constet.

Iam ergo de literis, ex quibus conflatur, dicamus, priùs quidem de singulis, deinde de eisdem simul sumptis, nam vtrumque ad naturam anagrammatis pertinet. Cùm ergo nomen יהושע *Iehosuah*, quinque elementis constet, nimirum *iod*, *he*, *vau*, *scim*, & *haijm*. quid arcani in singulis delitescat, dicam. Primùm ergo litera *Iod* Hebr. ex D. Hieronymo in Prologom. ad lamentationes Hieremiæ, principium sonat; Christum verò Dominum principium esse quis ambigat? Ioan. 8. *Principium qui & loquor vobis.* Quamuis enim sciã alios magis congruenter græcanicæ lectioni sic interpretatos fuisse. *Sum id, quod à principio loquor vobis.* Tamen ex Patribus Ambrosius, Augustinus, Prosper, Bernardus, & Rupertus putant his verbis Christum se rerum omnium principium esse, & primogenitum ante omnem creaturam significare voluisse. Item Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Origenes interpretatur in filio suo. *Quid est, inquit, principium, nisi Dominus noster Saluator; in hoc enim principio, id est, in verbo suo fecit omnia.* Cum Origene conspirant in eam interpretationem D. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos, & de Genesi ad literam, cap. 4. & 5. D. Ambrosius in Hexæmeron lib. 1. Tertul. contra Hermogenem cap. 20. & contra Praxeam cap. 5. Cyrillus Alex. in Genesim. Sed robustior confirmatio petitur ex cap. 1. Apocal. vbi Ioannes ex persona Christi, *Ego, inquit, sum alpha, & omega, principium, & finis.*

Cæterùm cur, inquires, Christus appellatur principium? Quidam diuinitati id ascribunt; quia nimirum Deus per verbum suum omnia creauit, iuxta illud Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens, &c.* Alij de Christi principatu, & regno interpretantur; ideòque alpha dictum putant: nam cùm isthæc litera initium det Alphabetis Græcis, pro principe, ac primæ vrsurpari consuevit. Extrat hac de re Martialis lib. 2. Epigram. 57. lepidum testimonium, vbi ludens in diuitem fictum, *penulatum alpha* eum appellat, id est, inter pauperes principem. Et rursus lib. 5. Epigram. 27. Codrum stomachabundum, quod ipsum *penulatum alpha* vocasset, monet, vt se vicissim appellet *Beta togatum*, vt par pari referat. Addo etiam, nomine principij, seu alpha Christum Dominum nostræ salutis, vel saluationis initium fuisse haud obscure notatum; nam alpha salutis olim symbolum fuit. Obeam causam Antiochus cognomento *Soter*, id est, saluator, à quo reliqui Syriæ Reges Antiochi mox dicti sunt, monitus fuit in somnis; vt militibus in tesseram daret *ὄψαρην* id est, *saluare*. Cuius rei Hieroglyphicum

cum iam olim inuentum fuerat triplex triangulus inter se implicitus, & artificiosè insinuatus, qui efficiebat quinque alphas connexas, & eam ob causam forma illa pentalpha dicta est. Ferunt autem eo signo tum vexillis, tum militaribus indumentis affuto insignem à Galatis victoriam reportasse. Hæc Pierius *lib. 47*. Addit autem passim inueniri Antiochi nummum argenteum, in quo præmissus character impressus visitur, cum hac inscriptione *ὕψια*, id est, salus. Quid plura? Milites ex illo ordine, qui sub illustri viro magistro peditum merebantur in exercitu imperatorio, & Propugnatores appellabantur, parmam præferiebant cæruleam, cuius margo purpureus, viridis autem umbilicus, contrà verò pentalpha erat descriptum; quidquid autem spatij reliquum fiebat inter umbilicum, & lineas, quæ pentalpha illud describebant, purpureo erat colore illitum. Absoluit hoc Pierius, affirmans quinque alphas quinque Christi vulneribus accommodari posse, à quibus salutis initium fluxit. Demum alij rationem principij ad prædestinationem Christi referunt, iuxta illud, *In capite libri scriptum est de me*. quæ verba de vitæ libro, in quo prædestinati ascripti sunt, interpretatur Augustinus; hic autem liber à Christo Domino exordium capit, qui prædestinatorum omnium caput dicitur, per quem etiam prædestinati sumus omnes. Hinc Paulus ad Ephes. 1. *Quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso*. In Græcis originibus est, *recapitulare omnia in ipso*, ἀνακεφαλαιῶς, id est, omnia ad illum tanquam ad caput suum reducere, vel ex ipso tanquam ex capite salutem omnium auspicari.

Ferunt Romanos, vt erant semper religiosi omnium obseruatores, catalogos militum boni ominis gratia ab aliquo semper nomine auspicari, quod faustum aliquid significaret. Præscribebant igitur in catalogi initio vel Fortunium, vel Victorem, vel aliquod simile nomen, quod victoriam, aut secundam fortunam exercitus portenderet. Igitur in prædestinatorum catalogo primus adscriptus est Iesus, qui salutem, aut saluatorem sonat, atque inde faustum nomen Ecclesiæ datum est, vt scilicet salutem, quam nomen illud portendit, adipiscatur. Ex his constat Christum quatuor de causis principium appellari. Primò, quia per Verbum facta sunt omnia; secundò propter excellentiam principatus; tertio, quia soter, & saluator; quartò, quia prædestinatorum caput, & origo; & ob easdem causas alpha dicitur, quæ litera alphabetis Græcis initium præbet. Si tamen placet, transferamus hæc ad Hebraica elementa, & pro Alpha subiiciamus *Α Aleph*, à qua etiam sumit auspicium alphabetum apud Hebræos, & vice illius, *Ego sum Alpha*, legamus, *Ego sum Aleph Α*. Quid tum postea? Hebræi acutè obseruarunt Aleph literam ex quatuor Iod sibi oppositis coalescere ad hunc modum *יוד יוד יוד יוד*. & ob eam causam esse notam nominis quadrilateri: ergo si Christus Dominus dicat, *Ego sum Aleph Α*, quatuor illos principij modos sibi conuenire restabitur; aleph enim quatuor Iod coërcet, singula verò principia singula significant.

Deinde litera *Iod*, minima est totius alphabeti, vt faciliè intelligat quisquis eam cum reliquis componet. Et minima cum sit, caput sonat; nec minima tantum, sed quiescens, vel silens; nam plerumque silet in editione, nec illius habetur ratio in prolatione. Non aliter Christus cum se minorem omnibus diceret, (ita enim aliqui exponunt illa verba Lucæ 9. *Qui minor est in regno celorum, maior est illo*. Ostendens nimirum se, qui minoris in Ecclesia speciem gerebat, longè maiorem esse Ioanne.) Cum, inquam, se minorem cunctis diceret, re ipsa caput omnium extitit. *Ipsium enim dedit Pater caput super omnem Ecclesiam*, vt ait Paulus. Cum etiam quiescens, aut silentis in modum *Iod* in trigesimum vitæ annum silentium produxerit; cum, inquam, siluerit etiam tunc cum loqui è re sua videbatur. *Factus est enim sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones*; nihilominus capitis dignitatem adeptus est. Nulli characteri nomen honoratius euenit, quàm *Iod*, quantumuis parvæ, & exiguæ literulæ; sic item Christo, qui *exinanivit semetipsum, formam serui accipiens, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.*

Ad hæc, cum ex his constet Christum Dominum cum Iota meritò comparari, accersere licet ad hanc sententiam illa verba eiusdem Marth. 5. *Iota unum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*. accommodatio quodam sensu: sic enim accipit Georgius Venerus in sua *Harm. Cant. 2. tomo 4. cap. 4.* nam in Iota, seu Iod Christum Dominum intelligit; apicis verò nomine punctum aliquod accipit ex his,

quæ Hebræi suprà, vel infrà literas a ffigunt, & appellant *Nekudoth*, id est, spiritus viuificantes, aut volitantes, siue *Ithchamim*, id est, spiritus viuificantes; & eam ob causam per id punctum, aut apicem Spiritum sanctum intelligit. Itaque in lege, hoc est, in vniuersis Scripturis nec iota, nec apicem omittendum esse dicit, quin omnia fiant: hoc est, nihil de Christo, aut Spiritu sancto à Prophetis fuisse pronunciatum, quod non opere ipso perficiendum sit. Obiter autem notandum est non ineptè Spiritum sanctum cum punctis, quæ vocalium vices gerunt, apud Hebræos componi: nam vocales mouent, & quodammodo inaniment consonantes; nam istæ sine vocalibus non sonant, & ideo ab Hebræis spiritus viuificantes appellantur: vita verò, aut viuificatio sancto adscribitur Spiritui. Et quidem hic sacer Spiritus erga Christum fuit *Nikudah*, hoc est, spiritus viuificans, cum scilicet sua obumbratione eius corpus in Mariæ visceribus animauit; & spiritus volitans, cum Baptismi tempore in ipsum columbæ forma deuolauit. Fuit item *Taham*, id est, spiritus sanctificans, cum ab eodem missus est ad Apostolos sanctificandos.

Rursus cum Hebræi, quemadmodum & Græci, per literas alphabeti numeros notent, Iod apud ipsos est nota denarij. Præmittendum autem est ex numeris mysteria aucupari Patribus solemne in primis fuisse. Beda *in dialogo de Computo*, ex D. Isidoro ita scribit: *Ratio numerorum contemnenda non est, in multis locis sacrarum literarum, quantum mysterium habet, elucet. Non enim frustra in Dei laudibus dicitur: Omnia in mensura, & numero, & pondere fecisti.* quæ verba Isidorus ex Augustino libasse videtur *lib. 11. de Ciuitate*. Tantundem verò numeris tribuebant antiqui, vt Deam quandam eisdem computandis, & interpretandis præficerent, quam Numeriam appellabant, vt author est Beda præmissio loco. Venio ad denarium, de cuius numeri perfectione alij alia. Philo *in libro de congressu querenda eruditionis gratia*, numerum istum familiarem admodum Deo esse dixit, atque denario Deum notari. Et sanè aptissimè, nam rationes vsque ad denarium perueniunt, nec vterius progrediuntur; vbi verò ad denarium ventum est, iterum resumuntur vnitates: ad eundem modum, vbi ad Deum merendo veneris, nihil supra, sed cætera infra ipsum esse comperies. Præterea pro tribus prioribus literis nominis *Iehosuah*, Iod, He, atque Vau, subest acuta Hebræorum obseruatio, nimirum ab his numeros sphærales, vel circulares notari. Est autem numerus circularis ille, qui per se ipsum ductus, & multiplicatus in se redit: eiusmodi sunt quinque, sex, decem; si enim quinque quinquies ducas, euadent viginti quinque; si rursus viginti quinque quinquies reperas, conficies centum viginti quinque; & ita in infinitum quinaris per se ipsum ductus semper in se recurrit. Et idem est de senario, atque denario, qui soli sunt circulares, & sphærales numeri, & in nomine *Iehosuah* omnes includuntur; nam *Iod* denarium notat, *He* quinarium, *Vau* senarium, vt significetur cum circulari, & sphærico circuitu semper progredi reuocando in se omnia, sicut ab ipso processerunt tanquam principium, & finis aliarum rerum. Quapropter tres priores literæ in nomine Iesu, quatenus numerorum notæ sunt, Christum Deum esse testantur, atque principium, & finem rerum omnium. Rursus, vt author est Beda *in dialogo præmissio de Computo*, denarius crucem significat. Idem docet Isidorus *lib. 2. etymolog.* Huic significationi ansam dedit forma, qua numerus iste pingitur à Latinis ad hunc modum X. atque adeò meritò denarius Christo Domino aptatur; qui Deus cum esset, crucem non detrectauit.

Præterea aliquid aliud obseruatione dignum occurrit circa literam præfatam, quatenus denarij nota est; nimirum *Iod* præpositum aliis literis, quæ reliquas vnitates adsignificant, denarium integrum notare, & eum etiam numerum, qui subiectæ literæ subest; nam γ quindecim notat, ν decem & sex, & sic de reliquis. Quod si præponantur aliæ vnitates, & *Iod* sequatur, illæ quidem vim suam amittunt, & tantundem detrahunt de denario, quantum ipsæ valent. v. g. $\nu\gamma$ non amplius, quam quinque conficiunt, detractis nimirum quinque, (id enim valet *He*,) de denario, quem *Iod* notat. Igitur cum *Iod* sit Dei, Christi que character, id suadeo, vt hæc litera aliis vnitatibus præponatur, Deus videlicet, & Christus creaturis, (nam creaturæ vnitatibus adumbrantur.) Cum enim Deus antepositus, & creaturæ postponuntur, tunc certè experitur homo quantum valeat Deus, & creaturæ suum etiam valorem retinent. cum verò creatura præfertur, Deus autem posthabetur, illa quidem valorem suum abiicit, & de Dei valore, id est, de illius auxilijs, gratia, atque ope plurimum detrahit. Hactenus digniora quædam mysteria de litera *Iod* ex Patrum, atque Hebræorum

bræorum obseruatione expressa dedimus, quibus alia non pauca adscribere integrum esset, quibus excitandis opportunum erit nosse Iod apud Ambrosium super Psalm. 118. *confessionem* notare; ac rursus, vt quorundam Hebraizantium mens fert, Iod dictum fuisse quasi י, id est *manus* hinc enim aliqualis etiam mysteriorum seges ad demetendum erudito lectori suppetet.

Secunda litera sanctissimi nominis est ה He, quæ, vt author est Hieronymus in *Prologo lamentationum Hieremie*, interpretatur *en*, vel *ecce*, atque est particula demonstratiua; denotat autem Christum incarnatum, id est, talem, vt digito monstrari possit, vt bene Georgius in *sua Harmonia*. Hinc Ioannes Baptista digito signans Iesum, ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Præterea præmissus Georgius *Cant. 2. tono 4. cap. 4.* ex quodam libro Hebræorum, qui dicitur *Sepher*, tradit per litteram He alteram ex his, quæ clauduntur in nomine ineffabili *Iehouah*, significari diuinitatem vniendam cum carne. Et rursus *tono 3. cap. 14.* affirmat ex doctrina Cabalistarum litteram He, sigillum esse cuiusdam spiritus, qui *nexus* appellatur, per quem mundum conglutinandum, & connectendum esse dicebant. At quis hic nisi Christus? de quo sic Paulus: *Complacuit Patri omnem plenitudinem in ipso habitare, & per eum reconciliari omnia, pacificans per sanguinem ipsius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*. Rursus cum Hebræi planetas, signa cœlestia, & elementa singula singulis Alphabeti literis notant, facta supputatione He Mercurij nota est. Huius verò domus diurna in cælis est signum Virginis, vt docent vulgò Astronomi: domus autem planetæ dicitur illud signum, in quo dominatur. Ergo cum planeta ille multis nominibus cum Christo Domino componi possit, in eo potissimum similitudo elucet, quòd sicut illius domus est Virgo cœlestis, quam cum subit, regnat toto cælo, & beneuolè influit in terras: sic pariter Christi Domini pergrata domus fuit Maria Virgo, quam cum ingressus est Christus, dominium suum, & saluberrimos, benignissimosque influxus in terras demisit. Demum si numeros spectes, character iste quinarium adumbrat. In primis autem hic numerus, vt scribit Macrobius *de somno Scipionis*, omnes rerum species, substantiasque coercet; nam isthæc quinque omnino sunt corpus, viuens, sensibile, rationale, Deus, quæ omnia in vno Christo conuenerunt, vt scilicet cuncta instaurarentur, ac reficerentur. Ad extremum quinarium denotat quinque vulnera, quibus Christus confossus est. Adde etiam Ambrosium, qui in *Psalm. 118.* significationem literæ He, aliam adscribit, scilicet *viuit*, aut *est*.

Tertia litera nominis augustissimi est ו Vau, in qua etiam arcana quædam delitescunt. Vau igitur vncinum sonat, & fibulam: Exodi autem *cap. 27.* inuenitur in plurali וָוֵי *Vauim*, & significat columnarum capitella. Percurram ergo breuius significationes istas, nulla est enim, quæ Christo accommodari non possit. Circa vncinum non ineptè dicemus duobus vncinis, quos catena connectebat in veste sacerdotali, duas naturas in vna hypostasi connexas adumbrari. Item vncinus clauum adsignificat aduncum, ex quo aliquid suspenditur. De Christo autem accipi solent illa verba Isaia 22. *Figam illum paxillum (id est, clauum) in loco fideli, & suspendam super ipsum omnem gloriam domus meæ vasorum diuersa genera à vasis craterarum vsque ad omne vas musicorum.* quem locum alibi fortasse expendam. Rursus vau est fibula, qua vestis colligebatur circa collum, quam gerere solis nobilibus æquum erat. *Machab. 2.* misit Alexander auream fibulam Ionathæ, de qua sic habet textus sacer, *Misit ei auream fibulam, sicut consuetudo est dari cognatis Regum*. Et *cap. 2.* Antiochus Ionathæ facit copiam, auream fibulam gestandi. *Et dedit illi potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream*. Nec de alio ornamento loquitur Iacobus in sua *Cant. cap. 3.* *Si ingrediatur ad vos vir in veste candida, aureum habens annulum.* vbi annulum eum significat, cui fibula vestis inseritur. Nec viris tantum, sed fœminis etiam aureas fibulas in vsu fuisse credo. *Psalm. 44.* *Omnis gloria filia Regis ab intus in simbrijs aureis.* vbi ex fonte, conuertere licet, *in fibulis aureis*. Ergo cum vestis Ecclesiæ sint fideles omnes, cui dicitur Isaia 46. *Vino ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris, & circumdabis eos tibi quasi sponsa.* non ineptè dicemus Christum fibulam esse, quæ solutam alioqui Ecclesiæ vestem colligit, & copulat. Addo etiam diuinæ hypostasi fibulæ nomen accommodari posse, quæ duas naturas, humanam, diuinamque connectit. Item Vau interpretatur capitellum columnæ. Nonne Ecclesia columna veritatis nuncupatur? Ita sanè. In præmissis *Psalm. 44.* *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.* Chrysostomus legit *στυλόβει*, id est, *columnæ in modum stetit*.

quæ verba de Ecclesia accipi nemo ignorat. Paulus ad Timoth. cap. 3. *Vt scias quomodo te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* Si ergo Ecclesia columna est, Christus sanè capitelli nomen sibi vindicat, utpote quem *Deus dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur,* ad Ephes. 4.

Ad hæc, Georgius Venetus *Cant. 2. tono 6.* animaduertit secretiores Theologos, & Cabalæ peritos, arborem vitæ ex tribus literis conflare *1. N. 1. Vau, Aleph,* atque *Iod.* cui arbori pro trunco est *vau,* pro ramis *aleph,* & pro cacumine *iud,* ad hunc modum & *Iod* præterea Deum, *aleph* Angelos, *vau* homines adumbrare. At quid magis Christo ad simile, quàm arbor vitæ. Pende mysterium. Ex tribus his literis dimisso *aleph,* alia duo, scilicet *iud,* atque *vau,* includuntur in sanctissimo nomine Iesu, scilicet cacumen, & truncus arboris vitæ. Sunt præterea alix huius literæ significationes mysteriorum vberes; nam apud Hieronymum *vau* est *hec,* apud Eusebium *ista,* apud Ambrosium *est ille,* vel *non est alius,* qui significationem istam Christo accommodat; quia, nimirum *ille est,* qui rogat, & *non est alius,* in quo salui fieri possimus; & in omni alia consideratione, *solus ipse est,* & *non est alius.* quos sanè innuitur Deum, Angelicis naturis posthabitis, humanam sibi in vna hypostasi sociasse, iuxta illud Pauli, *Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.*

Demùm *vau* in numeris senarium significat, de quo nonnihil supra diximus. Ad iucio pauca. D. Augustinus 4. *de Trinit. cap. 4.* & *de Genesi ad literam 2.* Philo *de Mundi opificio,* Clemens Alexandrinus 6. *stromatum,* plura de hoc numero tradunt. In primis autem illi generationem omnem adscribunt; quod acutè admodum persequitur Clemens, & eam ob causam à Pythagoreis *Gamon* appellari dicit, id est, *coniugium;* atque adeò Christi cum Ecclesia nuptias egregiè adumbrat, & copiosam generationem, de qua Isaias 53. *Generationem eius quis enarrauit?* Rursus senarius dies laboris notat, quia sex diebus operatus est Deus, septimo requieuit ab omni opere, quod pararat. Ergo Christus senarium nomini suo inferens, non septenarium, qui requiei nota est, satis innuit laborem omnem sibi sumpsisse, ut requiem nobis pareret. Item Clemens præfato in loco senarium à Græcis *υεσθη,* hoc est, *me directum* dici, quia inter paria medium est, scilicet inter decem atque duo, nam ex æquo abest ab utrisque: id verò Christum inter Deum, hominesque mediatoris personam egisse significat. Huc accedit meditatio Veneti *Cant. 2. tono 8.* qui cùm statuatur senarij figuram esse trigonam, huius enim basis est ternarius, medium binarius, vnitas vnum, qui numeri conficiunt sex, ut obiecta insinuat figura ∴. Addit ternario vnus Dei tres personas notari, binario duas Christi naturas in vna persona, vnitate naturam vnã puri hominis. Itaque senarius ea ratione Christum hominem pariter atque Deum creatorem & hominem purum tanquam medium, seu mediatorem intercedere eximiè significat.

Quarta litera est *v scin* in sanctissimo nomine, quæ, ut author est Hieronymus in prologo ad *Threnos Hieremiae,* dentem, atque ebur sonat, & per translationem *rupem,* aut *scopulum,* qui dentis in morem assurgit. Salomon *Proverb. 25.* infidelem amicum cum dente putrido componit. *Deus putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustia.* Ergo ex aduerso fidelis, beneuolusque amicus cum valido, atque integro dente comparabitur. Quis autem vel amicior, vel fidelior homini extitit, quàm ille, qui pro amico parùm beneuolo mortem oppetit? Hoc dente robustissimo morsus ille peractus est, de quo Oseas cecinit cap. 13. *Ero mors tua o mors, ero morsus tuus o inferne.* Item Chrysostomus *super Genesim hom. 67.* ad illa verba. *Dentes eius lacte candidiores.* per dentes Christi eiusdem iustitiam notari affirmat; ita enim inquit. *Et candidiores dentes eius, quàm lac, iustitiam significant, & claritatem iudicis: nam per dentes, & lac nihil aliud significare vult, quàm fore candidum, & manifestum iudicium.* Præterea *v scin* ebur significat, ebur autem regiam dignitatem adumbrat; quia, ut obseruat D. Gregorius in cap. 5. *Cantic.* eboris plurimum adhibebatur in regalibus thronis, iuxta illud 3. *Regum 10.* *Fecit sibi Rex Salomon thronum ex ebore grandem.* Ergo regiam Christi dignitatem significare potest, & si placet, etiam mortem: nam, ut monet idem Gregorius, ebur, quod emortui elephantis os existit, naturam humanam morti obnoxiam adsignificat in Christo.

Demùm si *v scin* pro rupe, aut scopulo capiamus, quid certius quàm Christum esse petram, rupem, scopulum, & caudem, robore, celsitudine, perfugio, & constantia.

1. Regum cap. 14. numerantur duo *scenim*, id est, scopuli in modum dentium erecti, nomen alteri *Bofes*, quod interpretatur *in ipso flos*; alteri *sene*, quod est *Rubus*. Itaque in vno flores, in alio spinæ. Qui ergo è duobus alterum Christo accommodare vellet, non eum, qui à floribus, sed eum magis, qui à spinis ducit nomen, illi aptaret, cuius verticem spinæ perforarunt. Qui verò vtrumque scopulum illi ascriberet, etiam eum, qui à flore dicitur, facile apponet ei, qui Nazareus, id est, floridus nuncupatur. Demùm *scin*, *dormiens* interpretatur, quod de morte itidem Christi accipi potest, quæ somni ad instar breuis obtinuit, quem resurrectio ocyùs discussit, iuxta vaticinium Dauidis, *Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me*. Adde etiam aliam significationem huius literæ apud Ambrosium in *Psal. 118*, qui *scin* perinde esse dicit, ac *super vulnus*. Intelligit autem siue oleum, siue vinum, siue alligaturam; atque hæc verba demum ascribit: *Medicamentum igitur super vulnus est, quia Dominus Iesus ipse est medicus, qui vulnera nostra curauit, infundens vinum, & oleum, & alligans vulnera Adæ illius, qui descendens ab Hierusalem à latronibus percussus est*.

Ad prædictas huius literæ significationes accedit veterum Hebræorum observatio, apud quos *v* erat nota sabbathi, quod interpretatur *requies*. Pende mysterium, litera præcedens est *vau*, quæ sex feriales dies signat operationi, & labori addictos, vt nuper dicebam. hanc sequitur *v scin*, quæ sabbathum adumbrat, diem videlicet requiei consecratum; vt constet tum Iesum, tum etiam nos per Iesum à labore, & operatione huius vitæ in æternum sabbathum, perpetuamque requiem ingressuros. Sic enim Paulus ad Hebræos 4. *Itaque relinquetur sabbatismus populi Dei: qui enim ingressus est in requiem eius (id est, qui beatitudinem adeptus est) etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus, (cùm mundum fabrefecit.) Festinemus ergo ingredi in illam requiem, &c.*

Circa figuram huius literæ alij alia, quidam Trinitatem notari voluerunt, quia nimirum tribus constat ramusculis in vnum colligatis; atque ad eò trium hypostaseon in vna essentia similitudinem gerit, vt tradit Georgius Venetus *Cant. 1. tono 5. cap. ultimo*. Quia verò supra alterum ex ramusculis punctum semper appingitur, obseruat idem Venetus, notandum esse in dictione, de qua agitur, ramusculum puncto signatum: nam rem illam, quæ tali dictione significatur, ad eam personam pertinere credendum est, ad quam is spectat. Constat autem ramusculos sic inter personas distribui; medius Spiritui sancto accommodatur, qui nexus est duorum; primus Patri, postremus Filio, hoc modo *v*. Ergo cùm in nomine *Iesuagh* punctum supra eam lineam appingatur, quæ filio adscribitur, hoc modo *v* Filium certè eo nomine in primis significari compertum est, & rem eo nomine significatam ad Filium pertinere, qui solus humanitatem assumptam sustentauit. Itaque licet in Christo tres personæ diuinæ conuenerint per circuminfessionem, vt docent Scholastici, tamen sola Filij persona humanitati deuincta, & obstricta est.

Demum de numeris dicendum est, nam *v* tercentesimum numerum notat in rationibus. Attexam pauca. Origenes *hom. 9. in lib. Iudicum*, cùm de trecentis viris verba faciat, quibus Gedeon hostium infinitas copias profligauit, ita inquit. *Trecenti ergo soli, qui sacramenti huius imaginem præformabant (id est, Baptismi) isti electi, isti probati, isti ad victoriam consecrati, qui ex ipso numeri sacramento obtinere aduersarios possent. Trecenti etenim, qui tertio centena multiplicant, perfectæ Trinitatis numerum ferunt, sub quo numero omnis Christi censetur exercitus, in quo obtinemus, vt etiam nos mereamur adscribi*. Itaque tercentesimus numerus omnes illos significat, qui nomine Christi censentur, id est, Christianos fide Trinitatis initiatos, vt propterea eum numerum nomini eius insertum dicere possis, quia omnes illius milites fidem Trinitatis pro tessera habituri erant. Sed luculentius de præfato numero loquitur Rupertus in *lib. Iudic. cap. 11*. *Notandum, (inquit) est, quia iste trecentorum numerus in T. litera continetur, (scilicet in Græcorum computis, & rationibus,) & per tau literam, species crucis ostenditur, quæ crucis speciem tenet: nam si per transversam lineam, id quod in cruce eminet, addatur, non iam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in tau litera continetur, non immeritò in his trecentis Gedeonem sequentibus, illi designati sunt, quibus dictum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ruperto similia verba habet Augustinus *quæst. 37. in lib. Iudicum*. Et eodem modo trecentos denarios, quibus Iudas æstimauit vnguentum *Ioan. 12. de cruce**

expofuit D. Ambroſius in *lib. de Ioseph Patriarcha cap. 5.* Dicemus ergo in litera *ſcin*, crucem fuiſſe adumbratam, non eam ſolum, quam Chriſtus Dominus portauit, ſed eam etiam, quam his ferendam impoſuit, qui illius veſtigia premere vellent.

Quinta litera ſanctiſſimi nominis eſt *y aym*, quæ, vt tradit Hieronymus præmiſſo loco, *fontem*, aut *ofculum* ſonat. Vtraque autem ſignificatio in Ieſum quadrat. Et quidem fontes Saluatori tradidit Iſaias *cap. 12.* cum ait, *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.* Hebraicè *de fontibus Ieſu.* D. Ambroſius in *Hexaëm.* Rupertus, Eucherius, & Rabanus fontem illum, qui in paradifo ſcaturiens totum eius ambitum irrigabat, indeque effluens quatuor in capita diſſecabatur, Chriſtum Dominum interpretantur. Quid verò ſenſerint Hebræi de hoc fonte, tradit Georgius Venetus *Cantic. 4. ton. 3.* vbi ait nomen Dei ineffabile, ſeu tetragrammaton, ſigillum huius fontis ab Hebræis appellari, quia nimirum ab eo nomine aquarum illa ſcaturigo regebatur: quatuor verò flumina, quibus partitur, quatuor literis arcani illius nominis respondere. Ad id ſpectant verba Targum Chaldaici in paraphraſtica expoſitione illius loci *Cant. 4. Hortus concludus ſoror mea ſponſa, hortus concludus, fons ſignatus.* Sic enim habet ad verbum: *Mulieres tuæ, quæ nuptæ ſunt viris, honeſtæ ſunt ſicut ſponſæ honeſtæ, & ſicut hortus voluptatis, ad quem nullus vir habet poteſtatem introeundi, niſi iuſti, quorum anima mittuntur illuc per manus Angelorum. & virgines tuæ abſconditæ ſunt, & reconditæ in penetrabilibus, & ſignatæ ſunt ſicut fons aquarum viuentium, qui oritur ſub arbore, & diuiditur in quatuor capita fluminum, & niſi eſſet ſignatus in nomine ſancto, & magno, egrediretur, & flueret, & inundaret vniuerſum mundum.* Itaque moderationem aquarum tribuit Paraphraſtes nomini ſancto, affirmatque ab illo fonte illius aquæ cohiberi, ne erumpant magno impetu, & vniuerſam terrâ inuoluant. Nam Hebræi in ea videntur fuiſſe ſententia, vt exiſtimarent fontem iſtum eundem eſſe cum illo, de quo *Genef. 7.* dicitur, *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ.* Ex quo fonte tanta effluxit aquæ vis, vt terram vniuerſam inundauerit in generali diluuiio. Itaque eam eſſe naturam huius fontis exiſtimabant, vt niſi Deus omnipotentia ſua eius meatum cohiberet, terram vniuerſam inundare poſſet. Eapropter dicebant fontem illum à nomine Dei magno, quod diuinæ omnipotentia nota erat, intercludi, ne eruptione facta totum latè orbem obrueret. Quis neget hæc ab antiquiſſimis illis Hebræis allegoricè dicta, ſicut alia multa; nam arcanas res allegoriarum inuolucris tegere illis valde ſolenne fuit.

Ergo ſi fontem prædictum ad Chriſtum referamus cum citatis ſuprà Patribus, dicemus quidem Chriſtum ad inſtar illius fontis magni cohibitum à nomine magno quadrilatero, ne erumperet; à nomine (inquam) illo, quod fari nefas erat, nam nomen illud occultum, liceat ſic dicere, Deum ipſum tegebat, cuius notitia vltra Iudæam non euaserat. *Notus in Iudæa Deus.* Itaque illo nomine quodammodo Deum ipſum tegere, & obſignare videbatur, ne eruptione facta mundum notitia ſua inundaret. Sublatum eſt tandem illud nomen, quo fons obſignabatur, inditum eſt illi nomen Ieſu, non infandum, ſed fandum, iterandumque millies; non tectum, & clauſum, ſed effuſum; non arcanum, ſed vulgò uſurpatum. Tunc verò reſerato fonte adimpleta eſt prophetia Iſaiæ *28.* *Ecce validus, & fortis Dominus, ſicut impetus aquarum inundantium, & emiſarum ſuper terram ſpacioſam.* Loquitur autem de aduentu Chriſti; ſubdit enim, *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c. & breui verborum interſtitio, Subuertet grando ſpem mendacij, & protectionem aque inundabunt.* hoc eſt, notitia Dei vniuerſum orbem cataclyſmi ad inſtar inundabit. Vel aliter fontem illum intercluſum iram Dei erumpere parantem, & terram obruere interpretari licet, iuxta illud *Eccl. 28.* *Quomodo cataclyſmus aridam inebriauit, ſic ira illius gentes.* Igitur ad id fortaiſſe ſpectantes veteres Hebræi fontem illum à nomine Dei magno obſignari dicebant, ne terram obrueret, hoc innuere volentes, ſcilicet iram Dei miſericordia coërceri, ne erumpens homines pro merito puniret: duo enim attributa huic nomini adſcribebant Hebræi omnipotentiam, & miſericordiam. Ex quo factum, vt interpres noſter pro *Iehouah* aliquando omnipotentem, aliquando miſericordem conuerterit. Quod ergo tunc nomen illud præſtare dicebatur, longè meliùs hodie præſtat nomen *Ieſu*, quod antiquum illud nomen cohibet, & ſalutem vlteriùs adſignificat, qui mundum ab iræ Dei cataclyſmo aſſiduò defendit, ſaluat, eripit. Demum ſi fons ille diuinam ſapientiam denotat, iuxta illud *Eccleſiaſtici 24.* *Ego quaſi rames aqua immenſa de fluuiio: ego quaſi fluuij Deorix, & quaſi aqueductus exiui de Paradifo.*

radiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum, &c. quibus verbis Sapientia cum fonte illo, quem Deus in Paradiso scaturire fecit, eleganter comparatur. Tunc certè dicendum, illum fontem ab antiquo illo nomine claudi, & obfignari; à Iesu verò nomine recludi, & resignari, vt omnes hauriamus aquas cum gaudio de fontibus Iesu, *Isaia 12.*

Sed quandoquidem Iesum cum fonte illo paradisiaco componendum esse diximus; atexamus Ruperti placitum de ipsius natura, quæ appositissimè in Christum Dominum quadrat. Si ergo in *lib. 2. de Trinitate & operibus eius, cap. 29.* ita scribit: *Non enim fons, qui (vt supra Scriptura dixit) ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terra, quatuor fluminibus dissipatur in exitu Paradisi, sed irrigans vniuersam superficiem terra, qui multos fontes efficit, & in quam plura redundant flumina, quorum ista sunt capita. & in hoc miram terræ paradisiacæ dulcedinem commendare intendit; quis nimirum aquarum natura falsa est, & potui inhabilis, sicut in semetipso mare ostendit. Ascendens autem de abyssu in illam quasi magni corporis terræ mammam, id est, Paradisi fontem, quodammodo lacteam assumit dulcedinem.* Hactenus ille, qui planè asserit, omnes fontes dulces, & salubres, quotquot in terra alibi scaturiunt, ex illo fonte derivari, & suam dulcedinem trahere quasi ex vberima quadam terræ mamma, (sic enim fontem illum appellat) sugentes. Cùm igitur Christus cum illo fonte compareretur, naturam illius præclarè in ipsum quadrare dicamus, tanquam in vberimam quandam terræ mammam, à qua quidquid aquarum dulcium, & salubrium gratiæ, vel sapientiæ, vel donorum in cordibus hominum scaturit, (iuxta illud, *& flumina de ventre eius fluent aqua viua, Ioan. 7.*) id totum inde effluit, ibique dulcescit. Idcirco suadet *Isaias cap. 12. vt aquas non amaras, sed dulces cum gaudio hauriamus ex fontibus Saluatoris.* Erat fons iste, vel hæc mamma in Iudæa, inde tamen gentes dulces Evangelij aquas suxerunt, iuxta eiusdem *Isaiæ vaticinium cap. 66. Hæc dicit Dominus, Ecce ego declinabo super eum quasi fluuium pacis, & sicut torrentem mundantem gloriam gentium, quam sugeris.* nimirum ex mamma illa vberi. Quanta verò ex hoc fonte perenni aquarum copia in gentes effluerit, idem *Isaias cecinit cap. 31. Quia scissæ sunt in deserto aqua, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.*

Addit Scriptura fontem illum in quatuor capita disseccari, vbi è Paradiso effluit, in quatuor videlicet flumina, quæ supra diximus ab Hebræis notari quatuor literis nominis tetragrammati. Sunt hæc, Phison, id est, Nilus, Gion, id est, Iordanis, Tigris, & Euphrates. Quid verò me moueat, vt nomine Gion Iordanem intelligam, & Phison Nilo accommodem, dicam deinde. Sed cùm capita horum fluminum hodie comperta sint Geographis, difficile est statuere, qua ratione fons ille, vel fluuius in quatuor ista flumina diuidatur. D. Augustinus *de Genesi ad literam, & ex hoc alij occurrunt difficultati, dicentes illa flumina, quorum origines, & capita nota sunt, alicubi sub terras ire, & post tractus prolixarum regionum locis aliis erumpere, vbi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur: vti apud Hispanos Ana fluuius, qui longo tractu occultus decurrit, & tandem per septem scaturigines se prodit. Id ipsum de Iordane tradit Iosephus, de Tanai Strabo, atque de alijs alij. Augustini responsum non probabile tantùm, sed verissimum esse suadent verba Ecclesiastici *cap. 24. quæ ex hac sententia Augustini lucem accipiunt. Ex quibus etiam lux in verba Genesis redundat; vbi enim Ecclesiasticus sapientiam, quam laudibus in cælum vehit, cum paradisiaco fonte contulit; ita subinde ait: Ego quasi trames aque immense de fluuio, ego quasi fluuij Deoryx, & quasi aqua ductus exiui de Paradiso, (id est, ego ad instar fontis illius magni, qui in Paradiso erumpit, ibi orta sum, & quemadmodum fons ille priùs Paradisum totam irrigat, ita similiter, Ego dixi, irrigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.) deinde addit: Penetrabo omnes inferiores partes terra, & inspiciam omnes dormientes, & omnes sperantes in Domino. Quasi dicat, sicut fons ille magnus Paradisi sub terras & longo spatio, ad eundem modum ego terræ viscera peruadam, & mortuos, qui sperant in Domino, inuisam: ac demum, sicut fontis illius aquæ erumpunt, deinde & quatuor in flumina distrahuntur, non aliter ego fecero. Nam adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam vsque in ænum sanctum.* Hæc verò quàm facile Christo accommodentur, quis ignorat? Ipse est fons ille magnus, qui in Iudæa ortus primùm est, quam non semel Paradisum Scriptura compellat, *Ioëlis 1. Quasi hortus**

*hortus voluptatis terra coram eo, &c. & saepe alibi. Irrigauit primùm Iudæam quasi hortum plantationum suarum; deinde sub terras iuit mortuus, & sepultus; inuisit quoque inferna loca, inspexitque dormientes, qui sperabant in Domino, sanctos scilicet Patres, qui eius aduentum præstolabantur; inde eruptione facta emergens in hanc lucem euasit resurgens, atque partitus est in quatuor flumina. id est, in quatuor Euangelia, quæ ipsius vitam, actaque describunt, quibus vndequaque manantibus rotum latè orbem notitia sui nominis compleuit. Ad ipsum namque pertinent illa verba eiusdem Ecclesiastici, *Posuit David puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum, qui adimplet quasi Phison sapientiam, & sicut Tygris in diebus nouorum; qui adimplet quasi Euphrates sensum, & qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis.* Vbi enumerat Ecclesiasticus quatuor flumina, quæ ex paradisiaco fonte originem trahere dicuntur, & Christo accommodat. Vbi nota, inter quatuor illa flumina numerari Iordanem, ne temerè id à me dictum suprà existimes. Quapropter sicut Hebræi nomen Dei ineffabile in fontis illius capite præfigunt, & quatuor flumina quatuor eiusdem literis respondere dicunt; ad eundem modum nomen Christi *Iehosuah*, id est, Iesus in præfato fonte collocare nobis licet. Et quidem literam *ajm*, quæ fontem sonat, ipsi fonti dabimus, quatuor reliquas, *i, o, d, h, e*, *vau, scin*, quatuor fluminibus attribuemus, nec non quatuor Euangelistis, qui his fluminibus adumbrantur. *Iod* quidem Ioanni, quia principium sonat, inde autem orsus est ille: *In principio erat Verbum. He* Marco, id est, *ecce*. Vnde etiam Marcus auspicatus est, nimirum à vaticinio Isaia. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* Et quidem Ioannem, à quo initium sui Euangelij ducit, præclare adumbrat litera *He*, quæ est demonstrationis nota; id est, *ecce*; eius enim munus fuit Christum digito monstrare. *Vau* Matthæo, tum quia, vt suprà animaduerti, senarium signat, qui numerus coniugij, & generationis symbolum offert, à qua exordium sumpsit Matthæi Euangelium; sic enim habet, *Liber generationis Iesu Christi, &c.* Tum etiam, quia nota est arboris vitæ, vt iam animaduerti; hæc verò arbor generationis Christi arborem adumbrat, vt meditatus est Rupertus *lib. 2. de Trinitate & operibus eius, cap. 23.* Demùm *scin* Lucae accommodatur, quia à Sacerdote Zacharia auspicatus est historiam sacram. *Fuit* (inquit) *in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, &c.* litera enim *scin*, vt monet Ioannes Picus in expositione Cabalæ, Sacerdotem notat, quia apud Hebræos *v* est nota relatiui *quis*, vel *qui*; *natura autem relatiui est intercedere inter duas orationes, & vnã ad aliam accersere, hoc est, substantiuum vnus ad sequentem orationem vocare. Neque sanè aliud est Sacerdotis munus, quàm intercedere, Deumque ad populi preces, & orationes flectere. Ita enim habet Paulus ad Hebr. 5. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.**

Alia significatio literæ *ajm*, quæ extrema est in sanctissimo nomine, est *oculus*. Quid autem certius, quàm eam in Christum aptissimè quadrare ad eius prouidentiam norandã, qui videlicet totus oculus est. Sed quia *cap. 5. de Christi Domini oculis* verba facturus sum, hinc supersedeo. Deinde cum in aliis literis numeros per illas significatos, explorare soleam, addo characterem istum *septuaginta* describere; numerus autem hic ex septem denariis coalescit, & septem Spiritus sancti dona significat, ex Ruperto *lib. 1. super Num. cap. 18.* quæ in Christo Domino conuenisse affirmat Isaia cap. 11. *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientia, & pietatis, & repleuit eam spiritus timoris Domini.* Adde etiam, si placet, septuaginta discipulos, qui à Christo Domino missi sunt, vt in nomine ipsius signa ederent, & salutem populis denunciarent.

Hactenus de singulis literis diximus, superest vt de omnibus simul sumptis pauca dicamus. In primis autem obseruare oportet id, quod suprà animaduerti, hæc tria nomina *Iesagh, Iesuagh, & Iehosuah* indifferenter pro eodem capi; ex quo fit, nomen Iesu Hebraicè esse trigrammaton, tetragrammaton, & pentagrammaton, hoc est, triliterum, quadrilaterum, & quinqueliterum. Nec vacat mysterio, nam ternarius diuinitati adscribitur, propter trinitatem personarum; quaternarius corpori, propter quatuor dimensiones, vel elementa, quibus constat; quaternarius animæ rationali, quam quintam essentiam ex Philosophis aliqui appellarunt. Singula exploratissima sunt his, qui symbolicas numerorum significationes perscrutantur. Ergo cum tria nomina præmissa in vno Christo conueniant, trium videlicet, quatuor, & quinque

que elementorum, illum Deum esse, ac verum hominem, item corpus, animamque sortiri testantur. *Perfectus Deus, & perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*, vt scribit Athanasius in Symbolo.

Si verò numeros quinque characterum cogamus, quibus constat nomen *Iehosuah*, euenient 391. nam *iod* 10. *he* 5. *vau* 6. *scin* 300. *ayn* 70. quæ collecta conficiunt 391. Nec leue mysterium latet in hoc numero; nam nomen Dei ineffabile, quo Deus olim gaudebat, non amplius valebat, quàm 26. exiguus sanè numerus, si cum numero isto conferatur, quem reddit nomen Iesus tam Hebraicè, quàm Græcè; Hebraicè enim præmissum numerum efficit; Græcè longè maiorem, nimirum 888. Quod ante Christi aduentum cecinit Sibylla Cumana his verbis:

*Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris similis natus Patris omnipotentis
Corpore vestitus. Vocales quattuor autem
Fert, non vocalesque duas, binum geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa, docebo.
Namque octo monades, totidem decades super ista,
Atque hecatontadas octo infidis significabit
Nominibus, nomen tu verò mente teneto.*

Quid inde? Significari certè arbitror, Deum tunc, cùm eo numero exiguo nomen eius gaudebat, à populo etiam exiguo, & perangusto adorari; nam veri Dei notitia Iudææ terminos non euadebat: iam verò postquam nomen *Iesu* sibi asciuit, quod numerum longè ampliorem conficit, multò plures adoratores inuenisse, qui illum vbique gentium religiosissimè colunt. Nec vacat mysterio nomen *Iesu* maiorem, amplioremque numerum Græcè reddere, quàm Hebraicè; nam plures multò ex gentibus, quàm ex Hebræis ad Euangelium euocandos significari crediderim. Hic verò non committam, vt silentio obruam antiquarum gentium morem, quæ digitis numeros notare solebant. (de qua veteri consuetudine pereruditum libellum edidit venerabilis Beda, quem de *Indigitatione* inscripsit.) Deorum verò statuas ita effingere consueuerunt, vt numeri alicuius summam manibus exhiberent.

Macrobius *Saturnalium lib. 1.* de Iani simulacro ita scribit. *Inde & simulacrum eius plerumque fingitur manu dextera trecentum, & sinistra septuaginta quinque numerum tenens* (vel, vt alij restitunt, *quingenta quinque*) *ad demonstrandam anni dimensionem.* Item Plinius *Hist. lib. 34. cap. 7.* *Ianus* (inquit) *Geminus à Numa dedicatus est, qui pacis, bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quingenta quinque dierum nota per significationem anni, temporis, & cui se Deum esse demonstraret.* Nec dubito eò spectare verba Salomonis *Prouerb. 4.* *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitia, & gloria.* Allusum, inquam, existimo ad veterem morem numerandi per indigitationem. Quapropter obseruandum est manum sinistram figuras digitorum euariantem non amplius peruenire numerando, quàm ad numerum 99. dexteram verò à centenariò incipere, & deinceps progredi. Vnde Iuuenalis, vt *Pileum* centesimum annum, & amplius expleuisse diceret, ita canit:

*Felix nimirum, qui tot per secula vitam
Distulit, atque suos iam dextera computat annos.*

Mitto Hieronymum, Petrum Rauennatem, & alios, qui hac de re multa feliciter dixerunt. Ergo ad eum morem numerandi Salomon alludens, *Longitudo* (inquit) *dierum in dextera eius.* id est, beatæ vitæ dies numerat Deus dextera, quæ numeros ampliores, centenarios, millenariosque interminatè signat. Et in sinistra eius diuitiæ, & gloria. Diuitias scilicet, honorem, & alia bona caduca parcè erogat, numerat enim sinistra, quæ nonaginta nouem supputando non excedit. Vide plura, quæ nos in eum locum contulimus.

Ad rem. Sæpe sæpiùs incessit mentem dubitatio, quid causæ foret, quòd Saluatoris effigies semper efformatur, aut pingitur erecta manu dextera, elatis duobus digitis, indice, & medio; reliquis, pollice, annulari, & minimo, compressis. Initio quidem facile egomet mihi occurrebam; ideò enim sic effingi cogitabam, vt populo benedicere significaretur. Cæterùm dum rem altiùs pendo, & diligentius examino, haud comperire potui in Ecclesiasticis, aut prophanis monumentis manum eo modo ad benedicendum efformari. Qua propter conicere cœpi Christianos primæuos, qui nouerant simulacra Deorum manibus ita figuratis effingi, vt numerum aliquem mysticum

sticum redderent, ea gloria Saluatoris effigiem carere noluisse. Itaque nullum aptiorem numerum ei accommodari posse existimarunt, quam illum, quem ipsius nomen continebat. Quapropter ea figura manum expresserunt, qua numerus octingentesimus notatur. Qui volet, consulat Pierium Valerianum *lib. 3. cap. 7.* vbi de digitis, & numeris verba facit; vbi figuras digitorum, quibus singuli numeri notabantur, accurate tradit, & typis exprimit. Ideo verò octingentesimum numerum Saluatori accommodarunt, quia cum non possent tres ogdoades augustissimi nominis vna forma figurare, maiorem illam, amplioremque elegerunt, & vnus symbolo reliquas adumbrarunt.

Igitur verba illa Salomonis huc alliciamus, *Longitudo dierum in dextera eius.* Obseruantes numerum illum 888. quem nomen Iesu iuxta Græcos characteres, & Græcam supputandi rationem reddit, quem etiam Sibylla vaticinata fuit, circularem esse, & infinitum. (sic enim vocant Arithmetici circulares numeros.) Nam cum ab ogdoade incipiat, in ogdoadem desinit; quapropter æternitatis symbolum præbet. Apertissime ergo in Christum quadrant illa verba, *longitudo dierum in dextera eius.* cum eius effigies eum numerum manu dextera repræsentet, qui dierum longitudinem, & vitæ beatæ æternitatem adumbrat; cuius simulacrum ideò in manu præfert, quia illam manu sua donat, & impertit. Hactenus de nomine Iesu, cuius mysteria expromentes, ac propalantes, quid aliud fecimus, nisi vnguentum, & suauissimos odores in eodem inclusos profundere, ac spargere? ac proinde nomen hoc effusum vnguentum merito dici debet. Sed ad alios Patres contendo.

Oleum effusum nomen tuum. Ex Patribus complures per nomen famam, & notitiam sponsi concipiunt. In his autem Ambrosius *lib. 3. de Spiritu sancto cap. 15.* vbi inter alia sic serit: *Nam sicut inclusum in vase vnguentum, cohibet odorem suum; ita & Christi nomen ante eius aduentum in mundum, in Israëlitico populo quasi in vase aliquo claudebatur. notus enim in Iudæa Deus. Hoc verò vnguentum postquam Christus in omnem mundum suo illuxit aduentu, per omnem vtique creaturam extensum est; non repletum accessione aliqua (plenitudo enim nescit augmentum) sed replens vacua, vt esset admirabile nomen eius in vniuersa terra, &c.* Cum Ambrosio conspirant Origenes in prima expositione, Didymus Alexandr. in *lib. de Spiritu sancto*, Anselmus, & Theodoretus, ex quibus Theodoretus hæc signatè scribit: *Christus ante passionem parum notus erat; at postquam cruorem, mortemque sustinuit, ac veluti corporis vas aperuit, continuo beati Apostoli suauitate illa repleti sunt, & odoris suauitate mundum vniuersum compleuerunt.* Fuit autem aperti ad eum modum corporis simulacrum alabastrum illud Magdalenæ, quo effracto, tota Ecclesiæ domus repleta fuit ex odore vnguenti, vt notauit Origenes in priori interpretatione *homil. 1.*

Ad hæc Ambrosius in *lib. 3. de Virginibus*, expendit in hanc sententiam vocem illam, *exinanitum*, his verbis: *Hoc vnguentum exinanitum est super Iudæis, & collectum est à gentibus exinanitum in Iudæa, & redoluit in omnibus terris.* Sensus est: Iudæa vtique vas erat, in quo claudebatur Dei notitia; hoc autem vas non effusum tantum, sed exinanitum, & euacuatum fuit, quia notitiam illam Dei, quam cohibebat, gentibus affundens, & aspergens, ipsa vacua, & inanis mansit. Sic Cyrillus in *lib. 9. de Adoratione.* *Solus (inquit) Christus in Ecclesia bonus odor his, qui sani sunt, & qui alium odorem minimè querunt; sicut infelices Iudæi, qui illud thymiamma compositum, ac tenue ludibria habent, atque adeo omnis boni odoris expertes remanserunt; alium autem pro eo recipient, illum nempe filium iniquitatis, &c.* Idem verò Cyrillus *lib. 4.* prædictam Christi notitiam, & cognitionem vnguentum hinc appellari identidem sentiens, & ad thymiamatis compositionem alludens, sic serit: *Thymiamma compositum erat, illa namque de Christo cognitio composita ex duobus est, idem namque Deus & homo est, vnus autem ex utroque Christus, cui dictum est: Vnguentum exinanitum nomen tuum.*

Rursus Origenes in posteriori interpretatione *hom. 1.* & Ambrosius in *lib. 3. de Virginibus*, per nomen quod hinc vnguentis confertur, ipsam personam Verbi concipiunt. Ambrosius enim inter alia sic serit. *Quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cuius nomen vnguentum exinanitum est. exinaniuit se vt spiraret tibi. Semper hoc vnguentum erat, sed erat apud Patrem, erat in Patre, olebat tantum Angelis, & Archangelis tanquam intra vas cæli. Aperuit os Pater, descendit Filius, repleta sunt omnia nouo odore Verbis, flagrauit Filius, Spiritus sanctus exhalauit, &c.* Nota energiã extremæ orationis, *flagrauit Verbum*, id est, persona Verbi erat vnguentum eximie flagrans: & *exhalauit Spiritus*

Spiritus sanctus. Quasi dicat, unguentum igne calefactum euaporatur, & latius odorem suum spargit. Ait ergo Ambrosius unguentum diuini Verbi ab Spiritu sancto tanquam ab igne euaporatum, & exhalatum, vt odor illius totum compleret mundum. Rursus sicut unguentum, quod igne subiecto, in vapores, & exhalationes soluitur, tandem consumitur, ac deficit; sic cum filio & Verbo Dei per Spiritum sanctum, & per ardentem ipsius charitatem factum voluit Ambrosius. *Unguentum* (ait) *exinanitum fuit, quia exinaniuit se vt spiraret tibi.* Sed qua ratione facta fuerit hæc exinanitio, & consumptio vsque ad mortem, explicat Origenes loco citato, his verbis. *Unguentum exinanitum fuit, quia vnigenitus Dei filius cum in forma Dei esset, exinaniuit se ipsum, & formam serui accepit: exinaniuit autem de plenitudine sine dubio, in qua erat, de qua plenitudine omnes accepimus. Nisi enim exinanisset se hoc unguentum, & humiliasset se vsque ad mortem, capere cum nullus in illa diuinitatis plenitudine potuisset.*

Ad hæc Venerabilis Beda, cui accinit etiam D. Thomas, per eiusmodi nomen, quod unguento perstillat, Christum intelligit Spiritum sanctum unguenti in morem in Ecclesiam effundentem. Sic enim ait Beda. *Solet appellatione olei Spiritus sanctus intelligi: est autem oleum non stillatum, sed effusum, quia non ad mensuram dat Deus spiritum. Christus enim in carne apparens Spiritus sancti charismate largissime manauit, & adimpleta est propheta, quæ dixerat: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c.*

Nyssenus per nomen in hoc loco quodcumque Dei vocabulum in vniuersum intelligit, atque ex hoc loco nullum esse nomen comprobat, quod Dei naturam quidditatiuè, vt ita dicam, sed descriptiuè, non essentiam, sed aliquas illius attributiones exprimat. sic enim fatur. *Quodcumque nomen excogitauerimus, quo cognoscatur unguentum diuinitatis, non ipsum significamus unguentum, sed paruas aliquas reliquias vaporis, & odoris boni theologicis nominibus iudicamus. Quàm verò exiles, ac tenues sint eiusmodi reliquæ, aperit subiectis verbis. Vt in vasis, quorum effusum fuerit unguentum, ipsum quidem vasorum effusum unguentum sua natura quale sit, ignoratur; ex quadam autem exili, & obscura ex vaporibus in vase relicta qualitate, de effuso unguento aliquam facimus coniecturam. Sic ipsum unguentum diuinitatis, quodcumque sit, essentia exuperat omne nomen, & intelligentiam: quæ autem in vniuerso cernuntur miracula, theologorum nominum dant materiam, per quæ Deum nominamus sapientem, potentem, bonum, sanctum, beatum, æternum, seruatorem, & quæ sunt eiusmodi; quæ quidem indicant quandam modicam diuini unguenti qualitatem, quam vniuersa creatura instar unguentarij cuiusdam vasis in se impressit. Hæc illustria sunt. Attendendus hic Origenes, qui aliquando etiam per nomen ipsissimum, quo Christus notatur, nomen intelligens, id nominis propterea effusum oleum appellari dicit, quia sponsa illius Ecclesia de illo nomine dicta, & vocata est Christiana, & antiquum Synagogæ, seu Iudaismi nomen amisit. qui planè videtur allusisse ad eam interpretationem, quam in sono Allegoriæ tertio loco præscripsimus, vbi diximus sponfas, cum viris elocabantur, nomen familiæ suæ abiicere, ac de virorum suorum nomine compellari solitas.*

Et sanè de hæc nominis mutatione, per quam & Ecclesia Christo tradita, & copulata, antiquum amittens de Christi nomine censerî cœpit, Cyrillus Alexandrinus exponit illa verba Isaïæ cap. 4. *Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Sed luculentius D. Augustinus quæst. 47. ex veteri Testamento, vbi sic scribit. *Septem mulieres septem Ecclesiæ sunt, quibus scribit Ioannes in Apocalypsi, per quas vna ex omnibus designatur; quamuis enim vna sit, septiformis appellatur, quæ septemplex numero constat membrorum.* Hæc ergo septem Ecclesiæ apprehenderunt virum vnum, id est, Christum natum, dicentes: *Panem nostrum comedemus, id est, verbis, quæ vnum Deum tradunt, pascemur, quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Et vestimentis nostris operiemur, id est, creatoris nostri nomine censebimur, quia hoc aliquis indutus dicitur, quod est, & proficitur. Nam Senatores, & Officiales à vestibus intelliguntur quid sint. Orant item supra memoratæ Ecclesiæ, vt offeratur opprobrium earum per inuocationem nominis Christi, vt scilicet à Christo dicantur Christianæ. Postulant nimirum vt nomen Iudaismi, quod ferè apud omnes probrosum, & ignobile erat, in illud vertatur, ac commutetur, quod à Christo sponso fumitur, &c.*

Præter dictas expositiones spirituales, quæ cum his cohærent, quibus locum

istum iuxta sonum Allegoriæ supra donauimus, sunt alia & alia non inelegantes. Ambrosius in *Psal. 118. serm. 1. per unguentum hoc*, quod ex nomine sponi defluit, castitatem, & pudicitiam intelligit: sic enim ait. *Unguentum exinanitum nomen tuum, per quod spirat iam ubique suauitas pudicitiae, flos integritatis.* Huic verò interpretationi locum fecit natura unguenti, cui proprium est corpora à corruptione, & tabe immunitia reddere. Ad quam respexit etiam Ambrosius *lib. 3. de Virginibus*, ubi sic ait. *Caro Christi non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit, sed aeterni illius floris, & semper virentis odore condita surrexit. Quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cuius nomen unguentum exinanitum est.* Agit autem ibi de virginittatis flore, cui tantundem deferre videtur Ambrosius, vt incorruptionem illam, qua corpus Christi in sepulchro donatum fuit, huic flori, vel unguento integerrimæ virginittatis vnà cum diuinitate adscribat. Commemorans autem myrrham, aloëm, & alia unguenta, quibus corpus Christi ad sepulturam delibutum narrat Euangelista, eandem pudicitiam his significatam dicit, quam animæ piæ ex sepultura Christi trahunt, carnem suam mortificantes, illamque ad incorruptelam cum eodem Christo consepelientes. Nam paulò post sic attexit. *Fluit hoc unguentum quotidie, & nunquam deficit: accipe vas tuum virgo, & accede, gratis ungerere, & consepeli te in Christum, &c.*

Philo Carpathius nomine unguenti Christum ipsum intelligit, quem tunc effusum, & exinanitum ducit, cum pro nobis emori sponte voluit: ac demum sic attexit. *Hoc est nomen illud effusum summa charitas, ardentissimus amor creatoris ad creaturam, qui mortalis venit, vt nos faceret immortales; passus est, vt nos faceret impassibiles; mortuus, ne nos in perpetuum moreremur.* Sensus Philonis hic est, Christus Dominus ex summa charitate ad mundum descendens, ac se voluntariæ morti addicens, unguentum est effusum, non quidem emortua iam, & enecta corpora condicens, & à corruptione liberans; quæ est propria, & naturalis unguentorum vis: sed viuà à morte vendicans, immortalitate, & impassibilitate donans. Aponius etiam de Christi morte, & passione, sed nouo lepore concipit, sic enim ait. *Sicut inter multitudinem cadauerum putridorum reclusi homines morbo periclitantur, ita habitatoribus huius mundi euenerat per Adam: introducto autem vnus veri Dei nomine per Incarnationis mysterium recondito in corporeo vasculo, & fracto clauorum, & lancea ictibus, odore eius notitia omnis factor diabolica notitia de toto mundo abstersus est.* Itaque sicut Philo huic sacratissimo Christi morientis unguento ad seruandos homines à corruptione mortis vim nuper dedit; ita etiam Aponius eidem vim attribuit liberandi homines à fanie, & corruptione falsæ doctrinæ. Vtteriùs idem Philo effusionem nominis in eo ponit, quòd vim suam, & potestatem Apostolis impertiuit, per quos totus mundus pietatis fragrantia inouit, iuxta illa verba Pauli 2. ad Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus, saluandis quidem ad salutem, perdendis verò ad damnationem, &c.* Deriuat etiam huc Origenes *hom. 1.* similitudinem animalium, ex quibus quædam sunt, quæ si odorem suauem aromatum perceperint, continuò intereunt, vt canthari; alia, quæ auertuntur, vt vultures; alia demum, quæ eodem odore recreantur, & alliciuntur, vt columbæ: atque his similes esse dicit adolescentulas istas, de quibus statim dicitur, *Ideo adolescentula dilexerunt te nimis.*

Sunt & alia apud Patres, quæ à superioribus paulisper abludunt. Ambrosius in *lib. de Isaac & anima*, per unguenti huius fragrantiam ex nomine Christi exhalatam remissionem peccatorum intelligit, quæ tetrum eorum odorem ex mundo expulit. Gregorius Papa, & Augustinus in *Psal. 30.* charitatem, & misericordiam eiusdem Christi hoc unguento notatam volunt. Ex quibus Augustinus sic ait. *Unguentum misericordiae non in Hierusalem quasi in vase tenuisti, sed tanquam confracto vase unguentum diffusum per mundum, vt impleretur, quod dicitur: Unguentum effusum nomen tuum, in omnibus gentibus diffundens misericordiam tuam.* Pendenda sunt illa verba, *confracto vase*; significant enim Hierosolymitanam, & Iudaicam subuersionem, per quam factum, vt unguentum misericordiae diuinæ olim in ipsa inclusum ad gentes afflueret, ac promaneret. Et tam Augustinus, quàm alij ex Patribus supra adscriptis ad antiquum morem alludunt effringendi vasa unguentaria, cum aliquis imbuendus erat, vt de Magdalena scribit Marcus *cap. 14.* quæ *fracto alabastro* vnxit caput Iesu; & de Samuele Saulem liniente 1. *Regum 10.* Thargum sic ait. *Et lenticulum olei super caput eius contriuit.* Mitto alia testimonia in prophanis scriptoribus valde obuia.

Et adolescentula dilexerunt te. De his, quatenus significant diuersas Christi Ecclesias,

suprà non pauca diximus; alias verò significationes, quæ ad mysticam interpretationem, quæ est de anima, melius referuntur, in appendice sequentis interpretationis dabo.

E X P O S I T I O M Y S T I C A
de Anima.

QUÆ *LEVM effusum nomen tuum*. Ea omnia, quæ in superiori expositione de Ecclesia in vniuersum præscripsimus, ad animam vnam iustam conuertere facile, ac pronum est: hæc enim Christo innubens ad confortium, & participationem diuinæ naturæ, & earum, quæ in Christo fulgent, dignitatum, quasi refuso ab eodem Christo vnguento vocatur; vt nimirum Regi tradita Regina fiat, & Sancto Sanctorum, Sacerdoti summo, Doctorique maximo copulata, sanctitatis, sacerdotij, & doctrinæ, quasi iure initi coniugij, consors fiat. de his omnibus latè suprà, vnde pleraque huc accersere oportet.

Hic tamen explicare oportet (vt ad ea, quæ insequuntur, gradum sternamus) quid scilicet in hac mystica expositione de anima iusta sibi velint plures adolescentulæ, quas odore sponsi illectas ipsum efflictim adamare, ac deperire asserit Sulamites. Succedant ergo memoriæ ea omnia, quæ in sono Allegoriæ in superiori expositione statuimus, ac probauimus, has nempe adolescentulas, quæ sponsum adamare perhibentur, ab his discerni, quæ sponsam à tergo insequi paulò post dicuntur. *Post te curremus, &c.* Hæc enim adolescentulæ socias sponsæ significant, quæ in eodem gynæceo vnà commorantes, nuptias futuras expectant. Cogita ergo animam iustitiæ, & sanctitatis desiderio inflammata, in quibus nuptiæ spirituales sitæ sunt, sic sponsum affari. *Oleum effusum nomen tuum*. ad desiderandas scilicet tanto studio sponsi mei nuptias id me mouet, quod vnguentum illud, quo Sanctus, Rex, Sacerdos, & Doctor initiatus est, nequaquam in se ipso stagnabit, aut cohibebit, sed in me tanquam in sponsam suam effundet, sanctitatis, regni, sacerdotij, & doctrinæ consortem efficiens. *Ideo adolescentula dilexerunt te nimis.* Per adolescentulas istas omnes ad vnum Patres alias intelligunt animas sponsæ socias, quæ simili desiderio nuptiarum spiritualium cum Christo contrahendarum tenentur, tanquam si multæ iuniores puellæ in vno gynæceo morentur ad futura coniugia sese adornantes. Quapropter verbum illud *dilexerunt te*, iuxta sensum literæ affinem, non est accipiendum de dilectione, & charitate perfecta; hæc enim (vt sæpe aliàs diximus) post Incarnationem Christi nuptias copulat, ac ratas efficit: sed perinde est, *dilexerunt*, ac si dicat, desiderarunt, vel desiderium, & concupiscentia sponsi ipsas cepit. Nam, vt suprà *vers. 1.* in tertia expositione ex Bernardo, & aliis diximus, desiderium, & cupiditas iustificationis ipsam iustificationem præire solet. Hinc autem aucupari licet rationē, propter quam animæ ante nuptias multæ dicuntur tanquam plures sociæ in eodem parthenone; post nuptias verò vna tantum inducitur sponsa, cui puellæ pedissequæ plures dantur; quia nimirum ante nuptias, id est, ante charitatem, & iustitiam nihil est, quod diuisas animas vniat; charitas enim, & iustitia, quæ nuptias copulat, ipsa est, quæ ex pluribus animabus iustis vnam animam, atque vnam sponsam efficit. Quid autem significant pedissequæ, seu ancillæ, quæ post nuptias perseverant cum sponsa, in sequenti versu dicemus.

Huic interpretationi adstipulantur omnes illi Patres, quotquot per adolescentulas istas sponsæ socias, rudiores animas intelligunt, quæ primis fidei elementis imbutæ sunt. Sic Philo Carpathius, Aponius, Anselmus, & Dionysius. Ex quibus Anselmus sic habet. *Adolescentula dicuntur minores, & frugaliiores, & tenera adhuc in fide*; tales enim censentur omnes animæ antequam per charitatem, & dilectionem Christo innubant, tunc scilicet cum fides sola, & cognitio sponsi illius desiderium, & concupiscentiam ipsis excitauit. Has verò adolescentulas Dauid in *Psal. 44.* filias Regum appellat, cum ait. *Ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo.* post quas illam, quæ in matrimonium legitimum assumpta fuit, *Reginam* vocat. *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* Vt vel ex eo constet eas, quæ non Regina, sed filia Regum dicuntur, necdum nuptias, vel, quod idem est, charitatem, & iustificationem perfectam atti-

gisse. Et sanè prædictæ adolescentulæ non ideò vocantur filiæ Regum, quia ex Regibus ortæ, sed quia prius sub ditione, & potestate quamplurium Regum erant. Et quidem tales sunt ante iustificationem, & charitatem animæ plurimorum Regum filiæ, vel subditæ, hoc est, dæmoni, morti, peccatis, & affectibus suis obseruientes. De regno peccati, & mortis optimè Paulus ad Rom. 5. *Regnauit mors ab Adam. & infra, Vnius delicti mors regnauit. & iterum, Regnauit peccatum in mortem. & cap. 6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* De regno prauarum affectionum idem Paulus ad Gal. 4. *Sub elementis mundi eramus seruiantes* & ad Titum 3. *Eramus* (inquit) *aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruiantes desiderijs, & voluptatibus varijs, &c.* Dæmonis autem imperium, & regnum in eos, qui necdum iustificati sunt, passim commemorat Scriptura. Optimè ergo animæ ante iustificationem Regum filiæ dicuntur, non quia singulæ singulis Regibus obseruiunt, sed quia singulæ pluribus Regibus parent, & obsequuntur. quod tanquam impossibile damnauit Christus Dominus Lucæ 26. *Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim unum odibit, & alterum diligit; aut vni adhærebit, & alterum contemnet.*

Animæ igitur istæ ante iustificationem, vt ab omnibus his, quibus olim obnoxie erant, Regibus liberæ fiant, nuptias appetunt, & deposcunt, vt scilicet Regi vni Christo nubentes, priorem seruitutem excutiant, & iure coniugij non libertatem modò, sed regnum etiam assequantur, & sponsi sui vnguento perfusæ per communionem dignitatum, ac munerum efficiantur Reginæ. Id sibi volunt verba ista, *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentula dilexerunt te nimis.* quæ nobis identidem pendenda sunt.

Oleum, inquit, *effusum, &c.* quia nimirum sanctitatem, regnum, sacerdotium, & munus doctoris, quæ per vnctionem diuinitatis ipsi inerant, non sibi soli seruauit, sed in me refudit. De singulis dicamus. In primis à Christi Domini sanctitate suam deriuandam iri dicit pia anima. Quid certius? Omnis enim gratia, & iustitia à Christo velut à capite descendit, ac refluit; & charitas, quæ nuptiarum Christi, & animæ vinculum existit, ipsissima animi sanctitas est, & eadem oleum effusum animam imbuens appellari debet, vt docet Beda hîc, qui eo inuertit verba Pauli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rursus anima suam iustificationem affectans, potestatem Regiam, quam per dictam vnctionem Christus Dominus obtinuit, sibi affundendam meritò sperat; per quam scilicet non solum Regina fiat propter ius, quod ad regnum æternum capeffendum gratia, & iustitia donat, sed etiam propter imperium sui ipsius, & suarum affectionum, quas eadem gratia illi domandas, & iugo grauissimo premendas subdit. Adde etiam propter creaturarum omnium, quibus ab initio hominem præesse voluit Deus, regnum, & imperium, quod peccatum eripuit homini, & eidem noua gratia restituit.

Ad hæc, illa olei effusio communicationem sacerdotij denotat, quam à Christo sponso suo se obtenturam anima expectat, vt nimirum Sacerdoti nubens sacerdotium ineat. Nam, vt ait Ambrosius in cap. 28. Lucæ. *Omnes autem sumus, si merita nostrapatiantur, iustitia Sacerdotes, qui vnctione letitia à Christo deriuata in regnum, & sacerdotium consecramur.* Sed quomodo Sacerdotes sumus omnes? Ambrosius cerre in hoc loco sacerdotium quo iusti omnes funguntur, cum antiquo sacerdotio confert in eo loco. *Mens* (inquit) *quæ coniuncta est anima, & anima ipsa, quæ receptor est salutaris verbi, molunt vera legis similaginem spiritualem, vnde etiam panes propositionis fiunt, quos soli Sacerdotes edunt. Omnes autem sumus Sacerdotes, &c.* Sententia autem est eiusmodi. Mens, & anima, legem antiquam meditantés ipsam molunt, atque ex ipsa exsufflatis ceremoniarum, & figurarum furfuribus, sacrorum dogmatum, ac præceptorum simillam excernunt, & inde quosdam panes propositionis compingunt, qui cunctis fidelibus edules sunt. Appellat autem panes propositionis ex simillagine confectos, vera fidei dogmata, quæ depuratis erroribus, Christianis proponunt? Et quia olim Sacerdotibus solis panes propositionis manducare integrum erat, omnes Christi fideles sacerdotali dignitate fungi dicit, ideò nullus à præfatorum panum esu arceatur.

Quapropter idem Ambrosius in cap. 6. Lucæ, Dauidem alioqui laicum cum suis propositionis panes comedentem, sacerdotij istius, quo noui Testamenti omnes fideles funguntur, figuram adumbrasse affirmat, in quo nullus est merè profanus,

aut laicus; cuius verba paulò post subscribam. Rursus Augustinus Euangelicarum quaestionum lib. 2. quaest. 40. hoc nostrum sacerdotium cum veteri componens, sic habet. *Sacerdotium Iudaeorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuisse sacerdotij regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi. Nam nunc & omnes unguuntur, quod tunc Regibus tantum, & Sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Christianum populum scribens, regale sacerdotium, utrumque nomen illi convenire declarat, quo illa unctio pertinebat.* Hæc Augustinus, qui rationem attigit, ob quam omnes fideles iusti Sacerdotes censentur; quia scilicet ipsius Christi summi Sacerdotis membra sunt. Huc spectavit etiam Paschalius Abbas in lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 9. *Idcirco teneamus nos ad istum Pontificem, & Sacerdotem Christum, & in illo maneamus, quia per hoc quod ille in nobis est, & nos in illo, etiam & ipsi omnes Sacerdotes dicimur, & sumus; fecit enim regnum nostrum Sacerdotes Deo, & idè gens sancta, & sacerdotium regale ab Apostolo predicamur. Hoc igitur notum, quia nos in ipso, & ille in nobis, & per hanc gratiam concorporatur transfigurans nos in corpore claritatis suæ, ut cum ipso, & in ipso sit nobis regnum, & sacerdotium, &c.*

Sed quales sunt huius sacerdotij tam latè patentis hostiæ, & sacrificia? Ambrosius loco citato sic ferit. *Quomodo David observator legis, atque defensor, panes propositionis manducavit, & dedit eis, qui secum erant, quos non licebat manducare, nisi solis tantum Sacerdotibus? Nisi, ut per illam demonstraret figuram sacerdotalem cibum ad usum transiituro populorum, quia omnes filij Ecclesie Sacerdotes sunt: unguimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spirituales, &c.* Concordat Ambrosius cum Paulo ad Rom. 12. *ut exhibentis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* quæ verba Paschalius supra citatus sic expendit. *Sicut Christus fuit simul Sacerdos, & hostia, ita etiam ipsi sacerdotium illius imitamur, Sacerdotes esse debemus, & sacrificia, nosmetipsos maectantes Deo.*

Sed tamen præcipua ratio, propter quam gratia, & iustitia eos, qui in corpore, ac membris Christi censentur, Sacerdotes efficere dicitur, ea est (nisi fallor) quia dicta gratia ita nos Deo acceptabiles, & charos reddit, ut obsequio operum nostrorum non nobis tantum, sed etiam aliis beneficia impetrare possimus; hæc enim est Sacerdotum propria functio. Huc spectavit Paulus ad Philip. 2. ubi ostendens quantum ipse ex Philippensium bonis operibus, ac meritis emolumentum traxerit, & quantum etiam illis ipse suis pro meritis contulerit; sic demum attexit. *Sed etsi immolor super sacrificium, & obsequium fidei vestra, gaudeo, & congratulor vobis; id ipsum autem & vos congratulamini mihi.* Quasi dicat. Omnes sacerdotio Dei fungentes sacrificamus, & immolamus; ego quidem assiduè immolor pro vobis, & vos item sacrificamini pro me, obtinentes inuicem à Deo beneficia non modica. Eapropter ego propter ea, quæ meritis vestris adeptus sum dona, gaudeo, & gratias vobis maximas habeo; & vos item propter ea, quæ gratia mei obtinuistis beneficia, gaudere, & grates mihi ex animo habere debetis.

Ad extremum subiicio rationem quandam non inelegantem, quam supra adscriptus Paschalius, etsi obscure, attingere videtur, ob quam omnes iusti, qui in corpore Christi tanquam membra cum capite cohærentia manent, Sacerdotis, & Regum unctioe sacra initiantur. Quia nimirum duo sunt Christi Domini corpora; alterum naturale, quod ipse sacerdotali potestate in cruce cruentè, in Eucharistia verò incruentè immolavit: alterum verò mysticum, quod ex fidelibus tanquam ex membris coalescit. Ne igitur hoc à naturali corpore dissideret, de industria factum, ut iusti quique Sacerdotes essent, ex quibus alij, id est, Martyres cruentam, & reliqui incruentam sui ipsorum hostiam Deo libarent; atque ea ratione factum, ut mysticum Christi corpus à naturali minimè discordans omnes immolandi modos subiret, quos naturale sustinuit.

Denique ex Christi Domini unctioe, per quam Doctor gentium initiatus est, in animam iustam defluit unctio, per quam ipsa sibi ea, quæ ad salutem opportuna sunt, sapit; iuxta Ioannis sententiam in 1. can. cap. 1. *Et vos unctioem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habeatis, ut aliquis doceat vos.* quæ sententia Syriacè clariùs restituitur ad hunc modum. *Sed & vos, si permanserit in vobis unctio illa, quam accepistis ab eo, necesse non habetis, ut quis doceat vos.* Et quidem per unctioem significari magisterium, seu doctoratum, quod per unctioem sacram olim conferebatur, diximus in expositione Prophetica huius loci. Itaque Paulus ait, in in-

stificatione, & infusione gratiæ septem Spiritus sancti dona animæ impenduntur, ex quibus quatuor ad instruendam mentem spectant: hæc sunt, donum consilij, donum sapientiæ, donum scientiæ, & donum intellectus. Vtteriùs etiam eadem anima crebris auxiliis excitantis, & cooperantis gratiæ ad pietatem edocetur. Ergo cum hæc omnia hominem interiùs condocerant, cum certè quasi per vnctionem magistrum, & doctorem perficiunt, vt scilicet sibi ipsi sapiat quidquid ad salutem necessarium est, & alios etiam edocere, atque informare possit. Et sanè Apostolus *in eo loco*, vt credo, ad quosdam loquebatur fideles, qui magistros non habebant, quos de rebus agendis percontarentur; illis verò sic persuadet, ne propterea perturbentur, aut cadant animis: nam charitas cum donis Spiritus sancti infusis, & cum auxiliis gratiæ interiùs inspirantis, quemlibet fidelem quasi per vnctionem magistrum initiat, ac creat: atque adeò si eiusdem gratiæ motum, & dictamen sequantur, vix vnquam aberrabunt, nec magistros, doctoresque vsque adeò multum desiderabunt, veluti sine eis perseuerare non possint.

Itaque Ioannes non fauet hisce verbis Puritanorum errori, qui omnes motus animi internos quasi à sacro Neumate instillatos sequendos esse dicunt; absit: sed qualiter tunc, cum magistrorum copia non erat, fideles agere, & conuersari deberent, aperit, affirmans eos mentis benè sibi consciæ, & Spiritus sancti donis instructæ, & auxiliis gratiæ interiùs inspirantis suffultæ dictamina sequi debere; hæc enim vix, aut nunquam eos aberrare, & deflectere sinent. Ideò subdit. *Sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*, &c. Inde igitur liquet, ex illa vnctione, per quam Christus Dominus, doctor, & magister, suapte natura constitutus fuit, in sponsam illius, id est, in animam iustam, plurimum deriuari, ac per ipsam sui ipsius, & aliorum magistrum, & doctricem constitui; ita vt sine aliis magistris, & doctoribus, cum eorum copia non suppetit, sanctè, & iustè conuersari possit. Manet ergo meritò ab sponsa in sponsum illud iactatum fuisse, *Oleum, siue unguentum effusum nomen tuum*. quia quidquid per vnctionem diuinitatis Christus obtinuit, scilicet sanctitatem, regnum, sacerdotium, & magisterium, non sibi soli adseruat, sed in animam sponsam suam effundit, ac regit.

Appendix superioris expositionis ex sanctis Patribus.

EA certè, quæ ad Christum sponsum pertinent, animæ cum Ecclesia communia sunt; atque adeò hæc omnia in superiori appendice præscripta inuenies. De solis ergo adolescentulis pauca dicere oportet, de quibus Sulamites sic inquit. *Ideò adolescentula dilexerunt te nimis*. Ergo ad illa, quæ nuper in mystica, & paulò antè in prophetica interpretatione huius carminis ex eisdem Patribus rescripta manent, hæc subscribere libet. Origenes *hom. 1.* per *adolescentulas* animas eas concipi vult, quæ sunt in statu proficientium: nam inter alia sic ferit. *Dilexerunt te non vetula, ac veterem hominem induta anima, sed adolescentula in augmentis vitæ, ac profectibus posita*. Accinit Ambrosius. *Quæ sunt (inquit) adolescentula, nisi animæ singulorum, qui deposuerunt istius corporis senectutem, renouata per Spiritum sanctum?* Gregorius eisdem animas regeneratas per Baptisma, & in nouitatem vitæ per noui Testamenti præcepta traductas, intelligit. nec dissonat Beda.

Theodoretus nomine adolescentularum animas intelligit non desides, & inertes, sed fortes, & robustas, & laborem voluptati, dolorem luxui, & lasciuia anteferentes. Adstipulatur Philo Carpathius, qui in posteriori expositione Martyres interpretatur. *Anima (inquit) sanctorum Martyrum possunt intelligi, quæ quidem valentißima contra iniquitates vim inexpugnabilem, insuperabileque robur tenentes, thorace fidei armata, victoriæ premia sunt adeptæ, certaminis stadio quàm celerrimè decurso*. Accinunt Dionysius, Rechilius, & Hugo Cardinalis, ex quibus ille Catharinam, & Ursulam producit. Rursus præscriptus Philo in priori expositione translationem Septuaginta edisserens, quæ sic habet. *Et ideò adolescentula dilexerunt te, traxerunt te post se*. animas in fide recentes, ac imbecilles per adolescentulas concipit, & duas illas euangelicas mulieres ex his esse dicit: alteram quidem eam, quæ sanguinis fluxum patiebatur, *Matthæi 9.* & tangens Christi Domini fimbriam, eundem ad se conuertit: alteram verò Chananæam fœminam *Marci 7.* quæ post Saluatorem in clamans, illum quoque ad se derorsit, & ad misericordiam flexit.

Nyssenus tres animæ ætates comminiscitur, infantilem, mediam, & senium; adolescentulas autem eas vocari dicit, quæ infantilem ætatem exceſſerunt, in qua fluctuat animus omni doctrinæ vento, & quæ senium necdum attigerunt, in quò animus etiam cupiditatibus confectus non procul abest ab interitu; sed quibus ætatis flos vernat. Ac sic demum ait. *Sola ea anima, quæ statum transit infantilem, & ad ætatis spiritualis florem, ac vigorem peruenit, quæ neque propter infantiam caret sensu, neque ob senectutem est imbecilla. Hæc, inquam, sola valet legis præceptum implere, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus Deum diligens.* Quia nimirum verbum illud *ex tota mente*, infantiam excludit, quæ sensu, & mente caret. Illud verò, *ex totis viribus*, senectam remouet, quæ effectis viribus imbecilla est. Illud denique, *ex tota anima tua*, adolescentiam poſcit, in qua omnes animi sensus vegeti, ac robusti sunt.

Cassiodorus etiam aliquid boni sensus coniicit; nam per adolescentulas non intelligit eas animas, quæ reuera imbecilles sunt, & infirmæ, sed quæ se ipsas imbecilles æstimant, & ex hac opinione ad Deum fortius adamandum incitantur, vt inde sibi fortitudinem, & robur accersant, ad Pauli sensum compositæ, qui ita dicebat. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Ad hæc, Rupertus per adolescentulas animas intelligit imperfectas, & addit propterea illas ad Deum diligendum pertingere, quia vnguentum effusum fuit, id est, quia Deus caro factus est, alioqui ipsum & capere, & diligere nec auderent, nec possent. Aliquid etiam huic ad simile videre est apud Origenem, qui sponsam sic loquentem inducit. *Adolescentula dilexerunt te, quia exinanisti te de forma Dei, & factum est vnguentum exinanitum nomen tuum. Ego autem non pro vnguento exinanito, sed pro ipsa vnguenti plenitudine dilexi te, quia odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Non longè ab hac interpretatione Bernardus *serm. 15. in Cant.* vbi per adolescentulas animas intelligit in via virtutis nouas, & recentes. sic enim habet. *Adolescentula vnguentum effusum sentiunt, quod integrum capere non valent, propterea dilexerunt te; effusio quippe nomen facit captabile, captus amabile.* Et postquam per nomen Angelorum ordines excurrit, docens eos propterea ardentiori dilectione in Deum ferri, quia totius vnguenti alij aliter capaces sunt; sic demum attextit. *Sed enim adolescentula quoniam minus sapiunt, minus & capiunt, nec omnino sufficiunt ad tam sublimia. Paruula enim in Christo sunt lacte, & oleo nutrienda, &c.* Et deinde in *serm. 20.* tres dilectionis modos describit, in quibus prædictæ animæ dum in via virtutis crescunt, & adoleſcunt, sese exercere, ac promouere debent, vt in dies effusioris vnguenti capaciores efficiantur.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de Virgine Deipara.

Spectatur connexio huius carminis cum superiori, iuxta filum, ac seriem Marianæ vitæ, quam nobis tenendam proposuimus; hæc certè à B. Virgine ante Incarnationis nuptias, ex affectu, & desiderio earundem nuptiarum dicta esse constat. Ergo Deipara in templi penetralibus adhuc manens, & Incarnationem Christi impensè desiderans, sui desiderij causam offert his verbis. *Oleum effusum nomen tuum.* Sensus verò germanus petendus est ex dictis supra de Ecclesia, & de anima, quem attigit Ioannes Picus, cuius partim verba, partim sententiam hinc adscribam. Vox, inquit, ista est Mariæ, quæ contemplans eas virtutes, quibus veteris Testamenti Patres ante Incarnationem floruerunt; scilicet pietatem, patientiam, continentiam, sanctimoniam, constantiam, obedientiam, fidem, charitatem, spem, & his similia: cogitans etiam omnes illas gratias, & charismata, quibus ipsamet Virgo iam tunc ante Incarnationem Christi præfulgebat; planèque agnoscens ea omnia nec antiquis Patribus, nec sibi demum alio titulo, aut nomine donari potuisse, nisi propter merita Christi venturi. Rursus eiusdem Christi Incarnationem maturius futuram præuidens, & copiosorem, largioremque gratiam, quam cum ipsa tum Ecclesiæ, tum etiam ei, quam Christus sibi matrem delegisset, affundendam credebat, considerans, sic demum pronunciat, *Oleum effusum nomen tuum.* id est, nominis tui (ô sponse) vel tuorum meritorum efficacia, & vis, vnguenti ad instar longè lateque

sparsa, & diffusa est; quippe quæ non solum posteros, & qui te insequentur, sed etiam maiores, qui te præcesserunt, imbuunt, ac tinxerunt: omnes enim quotquot olim, aut postea sæculis omnibus salui fient, in nomine tuo saluari oportet. Sic enim Petrus Act. 4. *Nec enim aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hæc fermè Picus, qui obseruat ea verba à B. Virgine ante Incarnationem de præsentibus enunciata fuisse. *Oleum effusum nomen tuum.* quasi iam tunc copiosissima illius unguenti facta esset effusio.

Quod si obiicias huiusce unguenti in veteris Testamenti Patres parum largam derivationem, ne dicam distillationem factam fuisse, ut proinde stillatum potius, quam effusum tunc dici deberet: occurrit certè ipsamet Virgo, atque unguentum illud *effusum* iam tunc meritò dici à se contendit, non quidem propter veteres Patres, sed propter se unam, in quam iam tunc tanta affluentia gratiæ à Christo influente unguentum defluerat, ut verè, ac propriè *effusum*, imò *exinanitum* dici debeat, *unguentum exinanitum nomen tuum.* Quamuis enim per illud tempus ante Incarnationem B. Virgo necdum ad eam gratiæ plenitudinem, & cumulum deuenisset, ut una, & sola omnem tam Angelorum, quam hominum gratiam facile superaret; quod postea acceptis incrementis adeptæ est: tamen iam tunc, imò à suæ conceptionis primo momento id consequuta fuerat, ut ex omni gratiarum genere, quæ aliis hominibus impendi solent, nulla ipsi deesset; atque adeò non sine lepore eo sensu unguentum gratiæ *refusum* pariter & *exinanitum* in se dicere potuit, quatenus nullum fuit gratiæ genus, quod in ipsam iam tunc effusissimè non decidisset; ut proinde affirmare liceat, ipsam omnes gratiarum species, & genera exhaustisse, cum nulla manserit gratiæ species, cuius ipsa exors effecta sit.

Insequitur suam interpretationem Ioannes Picus. Christus, ait, unctus interpretatur, hoc autem nomine ideò gaudet, quia Rex, Sacerdos, & Propheta fuit: nam Reges, Sacerdotes, & Prophetæ, seu Doctores unguentis perfundi, & consecrari soliti. Sed quid inde? *Oleum effusum nomen tuum* (inquit Maria) id est, omnem tui nominis vim in me profundendam iri spero. Sic Picus, cuius verba id sibi volunt; Christum Dominum iuxta omnem sui nominis significationem, & vim, in Mariam longè melius, & vberius, quam in aliam quamlibet piam animam, vel in totam Ecclesiam, gratiam influxisse. Nam cum ideò Christus (id est, unctus) dicatur, quia Sanctus, quia Rex, quia Sacerdos, quia Magister, & Propheta fuit; unguenti sui copiam in Mariam effundens, illam usquequaque sanctam, Reginam, Sacerdotem, & Magistram effecit. Dicam aliquid de singulis.

In primis Saluator noster ideò Christus (id est, unctus) appellatus est, quia illum diuinitatis oleum sanctificauit (ut supra in expositione prophetica fusè probauimus.) Hoc verò unguentum sanctitatis in Mariam plenissimè refudit, ita ut planè dicere possis, aliis quidem instillatum, in Mariam verò effusum, imò exinanitum. Audi Hieronymum, & ex illo Bernardum. *Cæteris datur gratia per partes, in Mariam verò tota sese infudit plenitudo gratiæ; ideò gratia plena ab Angelo salutatur.* Hæc olei, seu gratiæ plenitudo, qua Maria ditata fuit, ut docet Bonauentura, in scemina illa adumbrata fuit, quæ Elisæum pauit 4. Regum. 4. Nam in speculo lect. 4. sic scribit. *Virgo Maria signata esse potest per mulierem illam, cui clauso ostio domus suæ, omnia vasa intus congregata facta sunt miraculosè oleo plena, secundum quod Elisæus illi prædixerat, dicens, cum plena fuerint, tolles.* Sed, nisi fallor, figura illa à re significata plurimum deficit; nam de oleo illo dicitur, quòd ubi plena facta fuerunt vasa, *stetit oleum*: illud verò, quod in Mariam à Christo deflavit, non solum ipsum animum, omnesque animi facultates, & vires impleuit, sed redundare, & effluere in alios ipsas fecit. *Ut de plenitudine eius recipiant vniuersi*, ut ait Bernardus in serm. super verba Apocal. Bonauentura in speculo lect. 5. super illa verba Eccles. 42. *Et balsamum non mistum odor meus.* valde appositè loquitur ad ea, quæ dicimus; sic enim scribit. *Balsamum Mariæ est unctio gratiæ, qua Maria copiosissimè à Christo infusa est.* Sed longè appositius Bernardus ab eodem Bonauentura citatus in serm. de Aquæ dictu, ad illa verba. *Spiritus sanctus superueniet in te. Pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantæque plenitudine influit, ut copiosissimè effluat circumquaque.* Ac paulò post subdit. *Tam sentimus, iam exhilarantur facies nostra in hoc oleo, iam clamamus: Oleum effusum nomen tuum.* Verum id quidem non in vanum, etsi oleum effunditur, sed non perit propterea, siquidem adolescentula, paruula scilicet anima, diligunt sponsum. Mens autem Bernardi ea est

est, ex Christi Domini vnguento, seu balsamo, tam copiosè, & affluenter in Virginem deriuatum, vt propter redundantiam vnguenti, quæ ab eadem Virgine in alias animas refluit, eadem prorsus verba de eius nomine enunciare liceat, quæ de Christi nomine genuinè dicuntur, *Oleum effusum nomen tuum*. Addit Bernardus, ob redundantiam istam vnguenti, quod ex Maria in adolescentulas, id est, in alias animas respergitur, ipsas ad diligendum sponsum excitari, & exacui; significans omnem gratiam, quæ à Christo defluit, prius in Mariam refundi, & ab illa in alias animas perstillari, ac regi. Sed quantus, & quàm fragrans fuerit odor B. Virginis, postquam hoc gratiæ, ac sanctitatis vnguento resperfa fuit, eleganter describit Bonauentura in speculo *lect. 7.* pensans illa verba, *Sicut cinamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi. Odor (ait) B. Virginis fuit sicut cinamomum in cortice exterioris conuersionis, (huius enim fruticis cortex odoratus est:) sicut balsamum in interiori in vnctione deuotionis, (hoc enim ab interiori medulla liquorem exsudat,) & sicut myrrha in amaritudine castigationis. Vel (si maus) fuit quidem B. Virgo sicut cinamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, & sicut myrrha in compassionem.*

Addo etiam oleum nominis Christi erga matrem suam Mariam non effusum modo, sed etiam, vt translatio Septuaginta habet, *exinanitum*, & euacuatum fuisse alio sensu, scilicet quatenus ita in illam omnem gratiam, & sanctitatem refudit, vt spectata decentia rerum, & ordinata potentia Dei, nec maiorem, nec copiosorem gratiam in aliam quampiam creaturam deriuare potuerit. habes de hac re luculentas Patrum sententias. Hinc Athanasius in serm. de Assumptione, *Ex te (inquit) prodijt Deus, omnem tibi largiens gratiam*. Et Bonauentura in speculo, *Quid mirum (ait) si omnis gratia in Mariam confluit*. Et Andreas Cretensis, *omnis sanctitatis sanctissimum thesaurum Mariam appellat*. Si ergo Virgo omnem hausit à Christo gratiam; ergo is, qui à Christo Domino descendit gratiæ defluxus, aliquo sensu ab ipsa exhaustus est; vt proinde dicere liceat oleum gratiæ ipsius super illam *exinanitum*, & euacuatum fuisse; nam quæ omnem hausit gratiam, nullam dimisit.

Sed luculentius D. Bernardus in serm. de Assumptione. *Etsi in sanctis Patribus gratia fuit, non tamen eatenus plena, in Maria enim totius gratiæ, quæ in Christo, fuit plenitudo*. Tota, inquam, plenitudo deriuabilis secundum legem ordinatam. Sic enim interpretandus est Bernardus, iuxta ea, quæ Dionysius Carthusianus scribit de B. Virgine lib. 1. *Sanctitate (inquit) Virginis maior esse non potest, non quia Deus absoluta sua potentia ampliolem nedum Virgini, sed alijs quoque prestare possit; sed quia nec decet, nec vti que fiet. Sanctitate igitur Mariæ maior sub filij sanctitate esse nequit: quia assumptione hominis à Deo nihil prestantius conferri potest homini, quàm vt Dei parens existat; atque adeò alicui ampliolem gratiam conferre neque decet, neque continget*. Merito ergo dicimus oleum, vel vnguentum sanctitatis, quæ iuxta Dei decreta, & potentiam illius ordinatam à Christo Domino in creaturas deriuabilis est, euacuatum, & exinanitum in B. Maria, quatenus omnem sanctitatem eo modo communicabilem incepit.

Per vnctionem etiam Deitatis Rex supremus creaturarum omnium initiatus est Christus, vt suprâ dicebam. Hanc quoque vnctionem speciali, ac proprio iure in Mariam effudit, eam cœli, ac terræ supremam Dominam, ac Reginam esse iubens; itavt nihil ex his, quæ Christi potestati obnoxia sunt, Mariæ ditionem fugiat. Sed de regno Mariæ fusè tractauimus *ad cap. 8. Prouerb.* super illa verba, *Per me Reges regnant*. & in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 32.* per totum, & infrâ etiam *cap. 4. vers. 8.* aliquid seremus ad illa verba, *Veni, coronaberis*, &c. atque adeò hîc superfedendum duxi.

Id tantum in præsentiarum dico, lectionem illam Septuaginta, *Oleum exinanitum nomen tuum*, eodem sensu de Virgine, quod ad communicationem attinet regni, & imperij, exponi posse, itavt sensus sit: cunctum dominium, & regnum suum Christus in Mariam refudit, itavt nihil potestatis siue temporalis, siue spiritualis sibi feruandum putauerit; sed illud omne veluti euacuans, ac profundens, in Mariam influxerit. Huius rei longiorem probationem habes citatis suprâ locis. Interim verò accipe verba Bonauenturæ in speculo *lect. 8.* ad illa verba salutationis Angelicæ, *Dominus tecum. Sed quis, vel quantus est (ait) iste Dominus, qui tecum esse dicitur? Dominus est terra, & omnium creaturarum generaliter, Dominus hominum specialiter, Dominus tuus singularis, ô Maria. De te dici potest illud Sapientia, Omnium Dominus dilexit illam;*

omnium certè vniuersaliter, omnium, inquam, visibilibus, & inuisibilibus. Iste ergo vniuersalis omnium Dominus sic cum Maria fuit, quod ipsam etiam vniuersalem omnium dominam effecit, dominam cæli, dominam mundi. & pau'ò post, Domina Angelorum, domina Demonum. Et rursus quantitatem huius imperij exaggerans sic addit. Domini huius omnia sunt propria, cælum, & terra, corporalia, & spiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cælestis gloria; omnia denique sunt Domini propria. Dominus ergo ditissimus est, & quia Dominus opulentissimus; ideo & tu es domina opulentissima secum. Quasi dicat, eadem est dominij, atque opulentia tuæ, & imperij, diuitiarumque illius mensura.

Vtteriùs etiam verbum illud *exinanitum* alium ad sensum vocare licet; propriè enim *exinanitum*, seu *euacuatum* dicitur, quod ita effunditur, vt vacuum, & inane relinquat vas, quod euacuatur. Obserua igitur insignem Mariæ potestatem, & imperium. Christus non tantùm, ius dominij in res suas, sed tum maximè in homines illi tribuere voluit, sed etiam in his, quæ voluntati eius, & ditioni obnoxia esse voluit, se ipsum numerauit; itavt eius voluntas nutui, ac voluntati Mariæ nunquam non obseruat, & obsecundet. Accipe verba D. Bernardi tom. 1. ferm. 61. cap. 6. *Tot* (inquit) *creatura seruiunt gloriosa Virgini, quot seruiunt Trinitati.* Hæc ad superiorem sententiam referenda sunt. Post pauca verò sic addit. *Propterea hæc est vera propositio, diuino imperio omnia famulantur, etiam Virgo. & iterum hæc est vera, imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.* Deum verò eatenus Virgini adfamulari dicit, quatenus eius voluntati in omnibus acquiescit, & quidquid siue in cælo, siue in terra Maria vult, id Dei potentia veluti obseruiens quamprimum exequitur. Itaque cum naturalis rerum ordo id poscere videatur, vt diuina voluntas semper præeat, & omnis creata voluntas eius nutum sequatur, Deus optimus, maximus tantum Mariæ detulit, vt in his, quæ ad salutem nostram pertinent, eius voluntatem expectare, & insequi non dubitet, quatenus nihil circa illam efficaciter decernit, nisi eiusdem meritis ante visis. quod aliàs in cap. 8. *Prouerb.* non perfunctoriè probaui.

Ad hæc, sacra diuinitatis vnctio, Christum Sacerdotem, ac Pontificem summum constituit; & de hac quoque vnctione B. Virgo longè excellentius, ac præstantius, quàm reliquæ animæ, imbuta fuit; sacerdotium præstantius, atque excellentius adeptæ. De quo sacerdotio Mariæ partim diximus in expositione hypermystica superioris versus, & plura etiam infra dicemus cap. 2. ad illa verba, *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, &c. vbi de hac thesi absolutissimè tractabimus. Interim autem huius sacerdotij functiones compendio dicam. Primò commune illud cum aliis iustis, ac Deo gratis animabus sacerdotium Maria gessit; de quo nuper in expositione mystica non pauca diximus. Modus autem, & forma non fuit communis: nam semetipsam non solum tanquam hostiam, & sacrificium Deo libauit, sed tanquam holocaustum mactauit. Luculentius dicam. Aliæ vtique animæ iustæ tunc cum maximè Deo per sacerdotium hoc placere student, illud Pauli præceptum adimplent ad Rom. 11. *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum.* Hostia autem non tota incendebatur, sed pars illius Sacerdoti credebatur, partem quoque auferebat laicus sacrificans. Tales autem fuere reliqui iusti, ac Sancti, quorum vita, & conuersatio non vsque ad eò tota Deo consecrata fuit, vt non modicam eius partem naturæ fragilitas, & imbecillitas Deo adimeret. Sola, & vna Deipara seipsam tanquam holocaustum Deo litauit, nihil sui sibi reseruans, sed se ipsam, quanta quanta erat, totam incendens; hæc enim erat holocausti natura. Hanc differentiam inter Mariam & alias iustorum animas meditatus est Carthusianus de Præconio Virginis lib. 3. art. 4. vbi sic ait. *Aliæ animæ hostias Deo offerunt; Maria verò holocaustum perfectum charitate incensum: sola enim impleuit præceptum illud, vt sonat: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, quia sola totum dedit, nihil retinuit.*

Rursus altera sacerdotij pars, in eo posita est, vt iusti quique suorum operum, ac meritorum obsequiis, non sibi tantùm, sed etiam aliis beneficia, & dona Dei impetrare possint; quæ est maximè propria Sacerdotum functio, in Maria longè præcelluit. Quia, vt fusè docuimus ad cap. 8. *Prouerb.* super illa verba, *Melior est fructus meus auro*, &c. & in defensione immaculatæ Conceptionis cap. 23. id proprium B. Virginis, & cum aliis iustis minimè commune, vt illius merita vnà cum Christi promeritis ad obtinendam totius humani generis salutem apud Deum valuerint, hæc quidem

dem tanquam condigna, illa verò tanquam congrua. Ita nimirum vt humanum genus saluare, & beare non prius decreuerit efficaciter Deus, quàm vtraque tam filij, quàm matris merita præuidisset, atque acceptasset. lege ibi plura. Ergo in eo genere longè excellentius sacerdotium gessit B. Virgo, quàm cæteri iusti.

Ad hæc, in eo etiam Sacerdotis munus peregit B. Virgo, quòd voluntatem suam cum filij voluntate conformem per omnia exhibens, illum in ara crucis non secùs obtulit, ac sacrificauit, quàm se ipsum Christus; vt citato in loco haud perfunctoriè tradidimus. Quomodo autem eiusdem filij sui corpus in sacrificio incruento sacrosanctæ Eucharistiæ quotidie cum Sacerdotibus offerat, dicemus infra *cap. 2.* loco supra laudato. Quapropter cum omnis sacerdotij tam veteris, quàm noui munera Virgo gesserit, meritò dicemus, ea etiam ex parte *unguentum* nominis Christi super ipsam *exinanitum*, & euacuatum. Quapropter Albertus magnus in *Mariali cap. 71.* cum quæreret, utrùm Virgo habuerit ordines sacerdotij, aut pontificatus? respondet quidem ipsam eorum ordinum characteres nequaquam habuisse, tamen eorum functione, & munera excellentiori, ac nobiliori modo participasse: itavt (verba sunt Alberti) *sacerdotium habuerit in summo*; id est, supremum sacerdotij gradum tenuerit. Qualis autem, & quanta fuerit dignitas huius sacerdotij Mariani, in eo loco dicemus; ex quo demùm constabit, Christum sacerdotalis suæ vnctionis plenitudinem in Mariam non tantùm effudisse, sed etiam euacuasse.

Denique unguentum diuinitatis Christum Dominum Prophetam, & Doctorem gentium constituit, ac creauit, vt nuper in expositione prophetica ostendimus. Huiusce verò unguenti larga effusio ab ipso in matrem deriuata est: Virgo enim prophetes, & totius Ecclesiæ doctrix, & magistra fuit. Quid certius? De ipsa enim longè veriùs enunciari possunt illa verba Ioannis in *1. can. cap. Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos; vnctio enim docet vos de omnibus.* quæ verba Virgini tradidit Carthusianus de *Præconio Virginis art. 1. & 2.* vbi qualiter Christus suæ sapientiæ vim maximam in Virginem effuderit, imò euacuauit, aperit sequentibus verbis. *Quemadmodum Sanctum Sanctorum sanctissimam matrem habere decebat; imò ei, qui essentialiter sanctus est, tanta sanctitatis genitrix debebatur, vt sub Deo maior esse non possit. Sic prorsus Christum, qui est sapientia Patris, omnis sapientiæ fontana origo, sapientissimam, tantæq; sapientiæ habere matrem oportebat, qua nullus hominum in terris posset esse sapientior: supereffluens enim fons sapientiæ Christus Dominus, in quid fortius ageret, illuminaret, & sapientiæ suæ vnctionem transfunderet, quàm in propriam genitricem. Ideoque vere sapientia radios plenius ab ipsa sortita est, factaque est ei uti in sanctitate, sic in sapientia quoque quàm simillima.* Ex quibus constat, Christum suæ sapientiæ vnctionem tanta affluentia in Mariam profudisse, vt omnem deriuabilem ordinata lege sapientiam, & doctrinam erga ipsam exinanierit, atque euacuauerit; quandoquidem eam illi largita est, qua maior lege ordinata esse non potest. Per quam sapientiam Virgo non sapiens modò effecta est, sed etiam doctrix Apostolorum, & totius Ecclesiæ magistra, vt infra *cap. 6. vers. 7.* vberius dicemus, probantes eam, gradum, & aureolam Doctorum excellentiori modo consequutum fuisse.

Ideo adolescentula dilexerunt te. D. Bernardus in serm. illo de Aquæductu, per *adolescentulas* intelligit paruulas, id est, nouas adhuc, & recentes in via virtutis animas; quas ideò in amorem Christi accendi, & inflammari dicit, quia Virgo Maria acceptum à Christo gratiæ oleum in ipsas affatim effundit. Huc autem accersere licet Bonauenturam in speculo *lect. 7.* qui agens de vidua illa, vasa à vicinis postulante, vt iuxta Elisæi promissionem de miraculoso illo olei augmento, & redundantia implerentur, historiam hanc in B. Virginem sic demùm conuertit. *Sed quia ad multiplicationem olei vasa etiam vicinorum non pauca collecta fuerunt; ideò quoque per vasa illa omnes animæ designari possunt, quæ plenitudinis Mariæ participes sunt.* Eiusmodi enim est oleum, & unguentum gratiæ Marianæ, vt tamdiu excrecere, ac redundare debeat, quandiu vasa eiusdem capacia præstò sint; tunc solùm stet, ac deficiat, cum vasa desint. Ait ergo Maria. *Ideò adolescentula dilexerunt te.* Quasi dicat, eapropter plures animæ te ardentius adamant, quia oleum, seu unguentum gratiæ tuæ, quod à te in me profusum, imò exinanitum est, non in me hæret, aut stagnat, sed redundantia illius ad alias animas fluit, atque inde ardor earum innutritur, ac fouetur.

Appendix superioris expositionis ex sanctis Patribus.

IN primis D. Bernardus *loco citato*, ista verba, *Oleum effusum nomen tuum*, de nomine *Mariae* exponit, ut ex præmissis constat. Cui hæret etiam idiota in contemplatione de B. Virgine, & Alanus etiam hîc. Idiota enim sic scribit. *Non est aliud nomen datum sub cælo hominibus post dulce nomen Iesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur. quia super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & iugum Diaboli extrudit.* Hactenus Idiota, ubi omnes olei proprietates & facultates tribuit *Mariæ* nomini, & in illis verbis, *ex quo tanta salus refundatur*, planè alludit ad hæc verba: *Oleum effusum nomen tuum*, & subinde omnes alias virtutes, quas Bernardus tribuit nomini Iesu, *Mariæ* nomini accommodat Idiota. Hæc sunt, *reficit lassos*. nam, ut suadent Medicorum Principes, Galenus, & Hippocrates *suprà vers. 1.* in expositione prophetica adducti, ægris; ac lassis salubris admodum est vnctio ante balneum. Haud aliter sanè inuocatio, & appellatio nominis tui, ô *Maria*, salutaris est peccatoribus, qui ex via iniquitatis ægri, ac lassus ad pœnitudinis balneum, & lachrymas venire volunt. Sicut enim olei frictio cutem delinit, & vias obturatas aperit, ut aquæ humiditas ad interiora peruadens, siccitatem, intemperiemque neruorum corrigat: ita etiam inuocatio sanctissimi tui nominis animum mollit, ut pœnitudinis, & lachrymarum virtutem admittat, & pulsa lassitudine, ad vitæ honestæ laborem, & exercitationem instauratur.

Addit, *sanat languidos*. Galenus de simplicium medicamentorum facultatibus *lib. 1. cap. 24. & 25.* quem reliqua Medicorum turba affectatur, oleum communem medicamentorum materiam esse dicit; quia cum suapte natura medium teneat inter humectantia, & exsiccantia, inter frigida, & calida, & alioqui propter lenitatem, & mollitudinem, penetrandi, ac peruadendi vim habeat; eapropter aliorum quorumlibet medicamentorum virtutes excipit. *Quippe quod si exsiccanti permisceas, totum efficitur exsicans; si humectanti, totum reddideris humectans, & sic de alijs qualitibus.* Verba sunt Galeni. Postquam verò eas virtutes per mixtionem acquisiuit, eas quidem lenitate, & mollitie, qua pollet, ad interna penetrans adsporat. Non alia est vis, ac potestas nominis *Mariæ*, quod in omni animi nostri ægritudine cuiusque medicamento spirituali admixtum valde utile, ac salubre est: si tangit luxuria, & venus animum inficit, atque adeò per castigationem carnis mederi oportet; si auaritia mentem vitiauit, atque adeò per largitiones pias succurrere opus est; si superbia inflauit, si liuor fauciauit, & si ira virus suum infudit, atque his ægritudinibus per diuersa spiritualia antidota illis contraria subuenire operæ pretium est; ad eorum certè medicaminum virtutes tum excipiendas, tum etiam in cordis penetralia perueniendas, nihil tam temperatum, nihil tam molle, ac tenerum, sicut nomen *Mariæ* per assiduam eius inuocationem iteratum, & repetitum; atque adeò hac, & illa vi præditum *sanat languidos*, & *penetrat duros*, eo quo diximus modo.

Adnectit Idiota, *ungit agonistas*, id est, athletas, & pugiles. Et sanè athletæ, & pugiles oleo sese inungebant ad palæstram; tum, quia oleum corpori illitum pinguedine sua membra roborat; tum, quia sudorem nimium prohibet, qui largior cum est, vires exhaurit, ac conficit; tum denique, quia membra lubrica facit, ut ab aduersariorum manibus facilius elabi possint. quas rationes ex diuersis authoribus petitas colligit Mercurialis de arte gymnastica *lib. 1.* Athletæ, ac pugiles sunt omnes illi, qui cum grauius tentationibus, cum magnis angoribus, molestiis, & tribulationibus manus conferunt: his ergo pro oleo, ac ceromate *Mariæ* nomen ante pugnam inuocatum, & repetitum, esse affirmat Idiota; id enim nomen vi sua omnes cordis facultates ad repugnandum roborat; ac ne acceptam gratiam, & auxilia Dei lassescens animus veluti in vanum exsudet, pinguedine sua prohibet, totumque hominem sua lenitate, ac mollitie irrigans lubricum reddit, ut aduersariorum suorum manibus premi, & apprehendi non possit.

Alia miscet Idiota, quæ luculenta valde sunt: nam illa verba, *illuminat cæcos*, eam, quæ in promptu est, olei facultatem respiciunt, scilicet ignem, ac lucem nutrire. Et sanè ita res habet, nam sicubi ignorantia tenebræ mentem obsident, eas certè *Mariæ* nomen inuocatum, veluti lux ex oleo splendescens, quamprimùm discutit. Ea-
propter

propter cum Theologiae, ac cuiuscumque alterius scientiae, aut negotij, obscurae valde, ac caecae difficultates mentem obnubilant, Mariae nomen inuocare iubent Bonauentura in speculo lect. 10. & Gerson super Magnificat, tract. 8. Et sane mihi exploratum est, eos omnes, qui in elucidandis scientiarum quarumlibet implexis, & obscuris difficultatibus operam ponunt, si sanctissimi huius nominis assidue implorati oleum adhibeant, neque oleum, neque operam perdituros. De hoc enim nomine augustissimo enunciari posse credo id, quod de Iesu pronunciauit Bernardus. *Cui, queso, in dubijs aestuanti, & fluctuanti non subito ad inuocationem clari huius nominis emicuit certitudo?*

Subdit Idiota, & iugum Diaboli extrudit. quibus verbis ad locum Isaiae respexit, *Computrescet iugum a facie olei.* qui satis appositè ad Mariae nomen accommodari, aptarique potest. Loquitur autem ibi Propheta ad literam de Assyriorum iugo, quod Iudaeos durissimo seruitio premebat. At secundum anagogem, vt author est D. Gregorius *Moral. lib. 19. cap. 11.* durior, & grauior Diaboli oppressio significatur, qua peccatores omnes quasi sub iugum missos potestate sua coërcet. Sed quis sensus verborum? Aliqui nullam esse putantes naturalis olei genuinam vim ad exterendum, vel corrumpendum iugum, vnde allegoria trahi possit, ad ea quae per oleum significantur, sese recipiunt. Atque adeo Hieronymus per oleum Misericordiam Dei intelligit, quasi eius ope ab Assyriorum iugo liberandi, & asserendi essent Iudaei. Alij per oleum, cuius proprium est sensim, ac sine strepitu aliquo fluere, ac serpere, modum ipsum, quo populus ille ab Assyriorum seruitute vindicandus erat, notari volunt, scilicet sine tumultu, ac strepitu armorum. Ac demum alij alterum illum olei vsum obseruantes ad roboranda corpora athletic, ac pugilibus solennem, iugum illud Assyriorum eapropter corrumpendum iri, à Propheta dici autumant; quia Iudaei quasi ex olei vntione, resumptis, ac recreatis viribus roborandi, & confirmandi forent. Et sane haec omnia ad sanctissimum Mariae nomen conuertere procliuè est, quod *oleum effusum* esse dicitur, à cuius facie iugum Satanæ corruptum excidit; quia nimirum ad huius nominis inuocationem eiusdem Mariae eximia erga homines misericordia instar olei lenissimi praestò adest, vt praefatum iugum à cervicibus depellat. quam iugi depulsionem sapius olei in morem mollissimè proserpentis, sine pugna, & sine sanguine, hoc est, sine repugnantia carnis, & appetitionum, perficit. Quòd si cum eadem carne, & appetitionibus pugnandum sit, idem Mariae nomen athletas, & milites suos inungit, & ad pugnam robustos facit. Nunc certius.

Rursus alij olei propriam, & naturalem vim ad iuga exoluenda, seu corrumpenda, relata obseruant, vnde allegoria duci potuerit. In his autem Foreirus familiare esse dicit bubulcis, lora, quibus iugum adstringitur, oleo, aut adipe irrorare, ac lenire, ad rigidos eorum nodos laxandos. Sensum autem sic conformat. *Computrescet iugum,* &c. id est, sicut maceratis oleo loris nodi arctiores soluuntur, & iugum è cervicibus decedit: sic cum Iudaeis Dei benignitas faciet, durae seruitutis, qua premuntur, nodos mitigans, laxans, & diluens. Haud aliter de Mariae sanctissimo nomine cogitare debes, cuius oleo lenior, ac mollior vis inuocata ad rigidos peccatorum nodos, quos vel malitia, vel praua consuetudo obstrinxit, laxandos, & explicandos plurimum valet.

Quid plura? Sunt qui clausulam illam, *a facie olei*, ita accipiant, vt praepositio *a*, cui respondet in originibus *in Mi*, sit particula negans; ita vt idem sit, *a facie olei*, quod *a non oleo*, vel *sine oleo*. vt sensus sit. *Computrescet iugum ob defectum olei.* Sed quis sensus? Solent certè rustici iugorum lora ex crudo corio conflare: haec autem vt lenta sint, oleo, vel adipe macerant, & subigunt; aliter arescunt ocyùs, & faciliè rumpuntur. Ait ergo Propheta. Seruitus, qua Sennacherib premit Iudaeos, ocyùs deficiet: nam sicut iugum ob defectum adipis, atque olei, diruptis loris, à cervicibus animalium decedit; ita etiam imperium, quo Assyrij Hebraeos premebant, vel ob defectum diuini auxilij, quod ad vliscenda Hebraeorum peccata eatenus illis praestò adfuerat; vel ob defectum suppetiarum, & pecuniarum, (quae omnia adipis, & olei nomine rectè significantur) fractum, & dirutum concidet. Haec de verbis Isaiae, quae licet ad sententiam Idiota aptari non possent, tamen bono sensu de oleo nominis Mariani exponi queunt.

Putat ergo cunctam euangelicam legem iugi vocabulo à Christo Domino designatam

gnatam fuisse. *Tollite iugum meum super vos : iugum enim meum suave est*, &c. Habet autem iugum pro loris, & vinculis, quibus adstringitur, & illigatur, singularia dogmata, & præcepta, de quibus ad pernicitatem, & refractariam animam sic Ieremias cap. 2. *A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, non serviam.* Ne igitur eiusmodi spiritualia lora, & vincula ex ariditate, & siccitate rumpantur, & prædictum euangelicæ legis iugum decidat, nullum oleum, nullum adeps vel mollior, vel lenior excogitari potest, quàm Mariæ nomen assiduò vsurpatum, & appellatum, & quæ ab ipso fluunt auxilia, quorum defectu persæpè eadem vincula arefacta rigeant, & effringuntur. Hæc de verbis Idiotæ.

Huic hæret etiam Alanus, qui hæc verba, *Oleum effusum nomen tuum*, de nomine Mariæ identidem concipit, & inter alia sic ferit. *Cuius nomen preconatur mundus, nisi Virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis matris? Eleganter ergo fama, & gloria nominis eius oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, egrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit: sic & in laude nominis Maria reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina suscipienda invitamur, & aduersitatibus fessi eius patientia recreamur, vite eius forma illustramur, nominis eius fama diffunditur, & non solum oleo, sed & effuso oleo comparatur. Quia sicut oleum effusum magis redolet; sic quanto magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria Christi augetur, &c.* Hactenus Cardinalis Alanus, cuius verba cum his, quæ ex Idiota nuper dedimus, & expendimus, magna ex parte concinunt; atque adeò ex dictis splendorem, ac lucem accipiunt. Non discordat etiam Gerson, qui tract. 7. super *Magnificat*, de nomine Mariæ pauca subtexit. *Oleum* (inquit) *effusum nomen tuum, ô Maria, quod sanat incipientes, cibum proficientes, illuminat perfectos.* Hæ enim sunt olei maximè nobiles facultates, quas nomini Iesu accommodat Bernardus in eo *serm. 15.* & quæ inibi dicit, ad Mariæ nomen vocata sponte succedent.

Et fanè, inter alia, quæ de nomine augustissimo Iesu tradit Bernardus in initio illius sermonis, id ponit, ac statuit, omnia Dei nomina, quotquot sacra pagina sparsa cohibet, in vno nomine *Iesu* collecta comprehendere: quia nimirum omnia isthæc nomina illius potentiam, & maiestatem, aut gratiam, & beneficentiam erga homines sonant. Vtraque autem continet nomen *Iesu*: maiestatem habet; ideò Paulus ait, *ut in nomine Iesu omne genu flectatur*, &c. Beneficentiam designat, quia salutem, vel saluatorem adsignificat. Sed quid inde? Eorum nominum virtutem, & potestatem olim tectam, & inclusam fuisse dicit Bernardus; quia nimirum earum rerum, quas significabant, vix aliquid efficiebant: at nomen *Iesu* omnium vim, & virtutem in se excipiens, illam nequaquam retinuit, vel inclusit; sed id totum præstans, & exequens, quod significat, cunctam diuinorum nominum virtutem, & potentiam quasi profudit. Eapropter de illo dictum ab sponsa, *Oleum effusum nomen tuum.* Non aliud de nomine Mariæ iudicium est; omnia enim Deiparæ nomina, quorum non exiguum numerum ex Scriptura sacra colligere, & conflare licet, in vno Mariæ nomine collecta, & coacta clauduntur. Eorum tamen virtus, & potestas in eo nomine non mansit clausa, & contexta, sed olei ad instar omnem in partem proferpentis profusa est: quatenus Maria nihil non perficit, & exequitur eorum, quæ nomen eius suæ significationis complexu coercet. Id verò compertum omninò fiet, si huius nominis significationes ex suis originibus aucupemur.

Ergo ponendum est, sacratissimum istud nomen, vel Chaldaicum, vel Hebraicum esse posse. Vnde quidam Chaldaicum esse rati, magis obseruant Chaldaicas origines. Inducuntur autem ad id existimandum, quia quo tempore nomen istud inditum est Virgini, Hebræa lingua abierat omninò in desuetudinem; vulgaris autem, atque consueta apud Iudæos erat Chaldaica: ex quo fiebat, vt pleraque virorum, ac sceminarum propria eo sæculo Chaldaica essent. Alij verò Hebraicum esse malunt, atque adeò ex Hebraico idiomate etymon aucupantur; vt scilicet ea ratione vetus esse comprobent, atque vetustate auctoritatem concilient. Et quidem si sanctos Patres vocemus in consilium, hos fanè partim Chaldaicis, partim Hebraicis originibus nomen istud acceptum retulisse comperiemus.

Inter eos igitur, qui Hebraicæ linguæ adscribunt, priorem locum obtinet Hieronymus *de nominibus Hebraicis*, quem sequuntur Bernardus *serm. 6. in vigilia Natiuit.* Rupertus *Commentariorum in Exodum lib. 1. cap. 8.* Beda *in cap. 1. Luca. & hom. in festo Annuntiationis.* Epiphanius *de laudibus Virginis*, qui tractatus extat in Biblioth. SS. Patrum

SS. Patrum tom. 8. Isidorus *de ortu, & obitu PP.* Ambrosius *de Virginis institutione.* Gesebertus *de Altercatione Synagoga & Ecclesie.* Genebrardus *in Chronologia.* Verum enim verò Hieronymus, Bernardus, Rupertus, Beda, & Geseberrus locis enumeratis, *stellam maris* interpretantur. Duxisse autem videntur etymologiam istam à radice מור *mor.* id est, lux, & splendor. Vnde מור *maor,* id est, luminare. Genesis 1. n. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna.* vbi vocem istam reperire licet ים *yam,* quæ mare interpretatur.

Rursus ad eandem, vt arbitror, radicem inspiciens Hieronymus, Epiphanius, Isidorus, & Rupertus, Mariæ nomen *illuminatricem,* vel *illuminatam* reddendum esse censuerunt. Rabbi Haccados *in responso ad petitiones Romani Consulis,* Mariam *maris magistram* transferri maluit, nomen scilicet deriuans ex radice ירה *Yaroh,* à qua oritur מורה *Moreh.* id est, magister, atque doctor, & inde *magistra.* Significat etiam *Moreh pluuiam,* vnde alteram nominis Mariæ significationem aucupatus est Canisius *notæ lib. 1. de Deipara cap. 1.* cui placuit Mariam perinde esse ac pluuiam maris. Denique *Moreh* iaculatorem, ac iaculatricem sonat. Hinc nata est altera eiusdem nominis etymologia, quam obseruauit Rabbi Salomon, qui Mariam *maris iaculatricem* restitui posse dixit.

D. Ambrosius, Bonauentura, Hieronymus, & Genebrardus sacratissimum istud nomen *amaritudinem maris,* aut *mare amarum* conuerterunt; quam etymologiam à voce Hebræa מר *mar,* quæ amaritudinem sonat, videntur auspiciati. Adde etiam *mar* apud Isaiam *cap. 40. num. 15.* guttam, seu stillam situlæ notare; & inde captauit nouam suam interpretationem Lutherus in postilla in Euangelium *Annuntiationis;* qui, authore Canisio nostro, Mariam *maris guttam,* seu stillam interpretandam esse duxit. Et quamuis ipse ineptè admodum, & impiè accommodauerit; non tamen idè etymologia displicere debet omninò, nisi fortasse, quia noua minùs arrideat, nullus enim Patrum eam hætenus vsurpauit. Placuit illa quidem locupletissimo authori Patri Luisio ab Alcazar, ex nostra Societate, *in Apocal. cap. ...* qui eo tantum mihi displicet, quòd nescio qua inductus ratione, non solum eam etymologiam cæteris præferendam esse putauit; sed etiam ex corruptione vocis factum, vt *pro stilla maris* vulgò vsurpetur *stella maris.* Nam præterquam quòd hæc significatio ad Hebræicas origines referri potest, vt iam dixi, Patrum, & Ecclesie valde solennem vsum immeritò coarguit, dum ex vitio profectum affirmat.

Ex præfato themate manauit מור *mor.* id est, myrrha. & ob eam causam Hieronymus, & Epiphanius, editio Complutensis, & alij Hebræorum magistri Mariam *maris myrrham* conuertendam esse autumant. Inde etiam מרור *maror.* id est, amaritudo, item agrestis lactuca, videlicet pieris, aut chicorion, & ab hoc vocabulo fortasse fluxit Latinum *maror maroris.* Est ergo qui sibi persuaserit in nomine Mariæ, sicut myrrhe, ita quoque lactucarum agrestium esse vestigia. Demum verbum *marar* מרר significat exaltare; quapropter Mariam perinde esse atque *exaltatam,* censuit Complutensis editio, Benedictus, & alij.

Non desunt etiam aliqui Patres, & Doctores, qui gloriosum, ac prædicandum Mariæ nomen ex Chaldaicis originibus haurire contendunt. Hi autem sunt quotquot *dominam maris* restitunt. Beda *in 1. cap. Lucae,* Epiphanius *suprà,* Isidorus *de ortu & obitu PP.* Chrysologus *serm. 146.* Eucherius *lib. 1. in instructorij,* Damascenus *lib. 4. de fide orthodoxa.* & testatur vulgò tritus loquendi modus, quo Virginem *Dominam* nuncupamus *nostram.* Hispanè *nuestra señora.* Delibatur autem ista nominis finitio ex voce מר *mar,* quæ Dominum innuit, & ים *yama.* id est, mare; frustra enim quidam compositum nomen ex Hebræo & Syro Chaldaico meditati, & commenti sunt. Adde etiam Chaldaicæ adhuc linguæ rimatis originibus posse Mariam interpretari *dominam dici, magistram maris, & diei,* & si placet, etiam *dominam cribri,* atque *mole;* nam vox illa *yama,* mare, diem, cribrum, & molam sonat.

Extra prædictas nominis sanctissimi expositiones, duas alias nactus sum apud sanctos Patres. Epiphanius conuertit *spem,* loco suprà notato de Virginis laudibus; ex qua tamen origine, non calleo. D. item Ambrosius hanc integram, & absolutam significationem eo nomine coerceri ratus est, *Deus ex genere meo.* ex quo autem themate, vel Hebræo, vel Syriaco, me similiter fugit. Nec tamen propterea duas istas interpretationes abiiciendas puto, imò plurimum eisdem tribuendum esse censeo; vtpote quas grauissimi Ecclesie Doctores excogitarunt, ignotas nobis rimati origi-

nes. Victorinus Strigelius insignis hæreticus, solus exhibendus, & explodendus est, cui venit in mentem aliquando facerrimum Deiparæ nomen, *Miseriam* reddi posse latinè, nullo auctore, & nulla origine.

Omnes illæ, quas hætenus collegimus, etymologiæ quadrant in nomen illud מרים *Miriam* quadriliteron, quod ad diuersas origines, siue Hebraicas, siue Chaldaicas relatum diuersa adsignificat. Sed nescio quid dubitationis inde paritur; quia id nomen idem prorsus est cum illo, quo Maria soror Aaron, ac Moïsis insignita fuit. Diuus tamen Ambrosius *de Virginis institutione cap. 5.* Deiparæ nomen à veteri illo, quo prædicta Maria nuncupata fuit, differre, & dissidere putauit. Sic enim ait. *Vnde & speciale Maria Domini mater hoc nomen inuenit, quod significat, Deus ex genere meo. Dicitur sunt & antea Maria multæ; nam & Maria soror Aaron dicta fuit, sed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem fragilitatis humana, ut amaritudo conditionis dulcesceret: hoc significauit fons Mara per lignum dulcoratus.* Hætenus Ambrosius. Cæterum reliqui ad vnum Patres, & interpretes nomen istud *Maria*, Virgini cum aliis veteris Testamenti foeminis commune fuisse docent; imò Aaronicam illam Mariam non cognominem tantum, sed perfectissimum & absolutissimum nostræ simulachrum extitisse passim pronunciant.

Omnes igitur huius sanctissimi nominis interpretationes, & etymologias cogere libet. *Maria* interpretatur *stella maris, illuminatrix, illuminata, flamma item maris, & eiusdem magistra, iaculatrix, pluuia, fel, myrrha, amaritudo, & stilla maris;* hæc ab Hebraicis thematibus. Ex Chaldaicis verò, & Syriacis petuntur eiusmodi aliæ, *Domina maris, Magistra eiusdem, Domina item & magistra diei, mole, & cribri.* Tot sunt nominis *Mariæ* etymologiæ, & non pauciores, ad quas omnes eius excellentias, & laudes referre, & omnia alia illius nomina reuocare integrum est. Nam, vt nuper de nominibus Dei ex Bernardo præmisimus, omnia alia *Mariæ* nomina, vel præstantiam, & maiestatem illius adsignificant, vel eiusdem erga homines beneuolentiam, & gratiam. Nihil autem tam magnum, & præstans est in *Maria*, nihil tam gratum, & beneuolum erga humanum genus, quod in his, quæ præmisimus, vocabulis, ac nominibus non cohibeatur; nec cohibeatur tantum in illis, sed etiam ab illis, veluti oleum vnde quaque proserpens, ac diffluens effundatur, ac spargatur, dum Virgo sanctissima omnes eorum nominum significationes in se ipsa exhibet, & in aliis ad amissim exequitur. Vt autem hoc exploratum fiat, eorum nominum, ac vocabulorum, non quidem omnes, id enim longioris esset negotij, sed aliquas significationes hîc adscribam, viam aperiens, & artem tradens, alias & alias ex eisdem eruendi.

Est igitur *Maria stella maris.* Et sanè per maris stellam integrum est lunam accipere cum Beda *in hom. de festo Annunciationis*, vbi sic scribit. *Ipsa inter fluctus seculi labentis gratia priuilegij specialis refulsit, veluti sydus præsidens mari.* Sydus autem mari præsidens, & pelagi æstibus dominans, vniuersamque ponti naturam regens, luna est. Sed de hoc nomine habes multa infra *cap. 6.* ad illa verba, *Pulchra ut luna.* Reliqui verò Patres per maris stellam, polarem illam, & fixam intelligunt, quæ in constellatione Arcturi circa cæli ipsius cardinem splendescit; cuius auxilio nauæ suos cursus regunt. Aliqua eorum testimonia subscribam. D. Ambrosius *in lib. de Virgine*, sic habet. *Maria interpretatur stella maris; nautis enim mare transeuntibus aspicere opus est maris stellam à supremo cæli cardine refulgentem, & ex respectu illius dirigere cursum, ut possint portum destinatum apprehendere. Simili modo, oportet vniuersos Christicolæ inter fluctus huius seculi, Mariam, qua in supremo rerum cardine Deo proxima est, & respectu exempli eius vitæ cursum dirigere. quod qui fecerit, non iactabitur vana glorie vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed perueniet ad quietis secundæ portum.* Eadem fermè verba facit Bernardus *in serm. 2. de B. Virgine*, nisi quòd exemplis adnectit merita. *Ipsa (inquit) est præclara, & eximia stella illa super hoc mare magnum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis.* Et his attexit plura, quæ ab Ambrosij sententia parum abludunt. Albertus Magnus *in Mariali*, exemplis, & meritis apponit suffragia. *Ipsa (inquit) per mare huius seculi deducit nos ad portum cæli, exemplo, merito, & suffragio.* Nec longè ab his D. Bonauentura *in speculo lect. 3.* cuius illud proprium, quod naues designat, quæ candidissimi huius syderis ductu reguntur. *Nauarum (inquit) mos est, ut cum in aliquam terram navigare desiderant, vnum sydus eligant, cuius signo ducti, in eam, quam desiderant partem, possint peruenire. Tale est officium stella nostræ Mariæ, qua nauigantes per mare mundi*
in

in nauis innocentia, vel pœnitentia (quæ sunt duæ naues; altera quidem noua, & recens, altera verò ex veteri, ac dehilcente reparata, & resecta, vt inibi docet Bonauentura,) *dirigit ad littus cœlestis patriæ. Propter hoc Innocentius Papa ait: Quibus auxilijs possunt naues inter tot pericula pertransire vsque ad oram æternæ patriæ? per duo, scilicet per lignum, & stellam, id est, per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam exhibet nobis Maria maris stella.*

Sed vt alios dimittam, qui per stellam maris, polarem illam passim concipiunt, nauigationum cursus regentem, ac moderantem; D. Antoninum subscribam, qui similitudinem Mariæ, ac præfatæ stellæ venustè admodum profecutus *parte 4. titul. 15. cap. 14. §. 1.* cuius partim verba, partim sententiam dabo. *Maria* (inquit) *dicitur maris stella, primò, quia hæc stella in supremo cœli vertice sita nunquam occidit: sic B. Maria stella semper rutilans, semper clara in fide fuit. Omnes aliæ stellæ, id est, Apostoli, & Maria ceciderunt, amittentes lumen fidei diuinitatis Christi, ipsa semper fulsit. Secundò stella illa cardini proxima in specie quidem parua est, sed in se ipsa valdè magna. Constans enim Astronomorum sententia fert, illam ex his esse, quas stellæ primæ magnitudinis vocant; & sunt qui affirmant post solem nullam in firmamento maiorem.*) Sic Beata Maria post Deum maxima quidem in sanctitate, in se ipsa; sed in opinione, & cogitatione sui, in verborum enunciatione, & in exhibitione operum minima extitit. Tertiò stella hæc, quia est vicinior polo, idèò modicus est circuitus illius, itavt videatur non moueri, propterea vulgò fixa dicitur: sic B. Maria in gratia, & iustitia, constans, & immobilis fuit; in qua constantia, & immobilitate vincit omninò stellam istam cardineam: nam hæc cum à polo aliquantulum distet, aliqualem motum, etsi tardum, & vix aspectabilem habet. Id verò in causa est, vt nauis ad stellæ illius respectum, nauigatoria acus auxilio, cursus regentes suos, paulatim sese deuios, & aberrantes experiantur, quod isti appellant Nordestear. At verò Maria maris stella fixa omninò, atque immobilis existit, atque adèò nullius deuiationis, vel erroris occasionem præbet, iuxta Bernardi sententiam loco citato. *Respice* (inquit) *stellam, voca Mariam, ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsa propitia peruenis. Et Ecclesia* (ait Antoninus) *etiam carit. Ad te pia suspiramus; si non ducis, deuiamus, en ad te confugimus.* Denique circa stellam illam polarem, tanquam circa cardinem, omnes cœlorum sphæræ conuertuntur. Nulli autem pura creatura videtur potius conuenire, quàm B. Mariæ, totum scilicet mundum circa ipsam versari, & conuerti. Ad ipsam enim respiciunt, & circa illam vertuntur vniuersi; superi, vt instaurentur; inferi, vt de limbo hiberentur; qui in mundo sunt, vt iustificentur; qui ante nos fuerunt vt Propheta, fideles inueniantur; qui in presenti sunt, vt subleuentur; qui futuri sunt, vt saluentur, &c. In quo etiam Maria prædictam stellam faciliè vincit: nam circa illam cœlestia corpora tantummodò versantur; terra verò, & cætera, quæ infernè iacent, elementa nequaquam mouentur. At verò circa Mariam, tanquam circa cardinem, tam superna, quàm inferna omnia contorquentur: omnia enim ad illam respiciunt, & illius reguntur nutu, & imperio. Cuius igitur tam sit ferreum cor, quod studio, & amore huius sanctissimæ Virginis, ceu magnete aliquo tactum, & affricum, ad eandem, veluti ad candidissimam maris stellam non conuertatur, ipsam assiduò intuens, vt ex eius respectu, suæ vitæ nauigationem ad beatitudinis portum regat.

Secundò Maria interpretatur *illuminata, & illuminatrix.* quam etymologiam obseruarunt Bernardus, Bernardinus, Bonauentura, Hieronymus, & alij passim. In his ergo Bonauentura *in speculo lect. 3.* duas istas nominis Mariæ significationes contemplan, cum columna illa nubis, quæ filios Israël per desertum deduxit, ipsam venustè componit; eamque idèò *illuminatam* dici affirmat, quia lux illa gratiæ, ac meritum, qua splendet, non est illi naturalis, & propria, sed à Deo irradiante accepta; sicut columna illa deserti, quæ cum suapte natura opaca esset, tanto lumine collustrabatur à Deo, vt ignis micantissimi speciem exhiberet. Propterea verò *illuminatricem* vocari dicit, quia lucem & splendorem, quo perfunditur, nequaquam sibi retinuit, sed ad hominum instructionem, & gubernationem largiùs effudit, sicut columna illa nubis, quæ fulgore suo ad deducendum populum Dei, atram noctem in candidum vertebat diem. Quam similitudinem his verbis absoluit Bonauentura. *Maria ergo columna nubis est illuminata à Deo, & illuminans mundum multis misericordiæ, & charitatis suæ beneficijs. Quid nos miseri obtenebrati ageremus in nocte huius sæculi, si tam lucidâ, si tam luminosâ columnâ non haberemus? Vide plura ibi de præmissa significatione: ego enim hîc de industria multis parco, quia hæc significatio nominis Mariæ cõ-*

munem sententiam cohibet cum superiori, in qua dicitur stella maris. De utraque etymologia integrum sermonem texuit D. Bernardinus tom. 2. qui est primus de glorioso nomine Mariæ.

Tertiò Maria interpretatur *flamma maris*. Quid verò est aliud *flamma maris*, nisi pharus in tenebrosa nocte splendens, ac reliquas naues post illam, quæ primaria est, deducens ac regens. Expendamus verba Isaïæ, *Me, inquit, insula expectant, & naues maris in principio.* quem locum Foreirus ex Hebraicis originibus sic efferendum putauit, *& naues maris venient post primariam, seu pratoriam.* Est autem, ut ait prædictus interpret, nauis prætoria, aut primaria, ea, quæ ducem totius classis vehit. At quænam ista nauis ducem nostrum vehens, nisi Maria, quæ facta est *navis iustorum*, nauis (inquam) Christum Dominum portans. Ergo post illam, tanquam post primariam nauim, reliquas iustorum naues huius mundi vndosum mare sulcantes abire oportet, ut æternæ beatitudinis portum legant. Ideò ipsa in tenebrosa huiusce vitæ nocte, exempla, merita, & suffragia sua, tanquam splendidissimum pharum omnibus proponit, ostentatque, ut eam cominùs ad prædictum portum insequantur, sicque facta est *flamma maris*.

Rursus per flammam maris non ineptè accipere possumus faces illas, aut lucernas, quæ iuxta solennem morem gentium in portibus ex editiori aliquo loco de nocte ostentari consueuerunt, ut vectores, & nauarchi eas eminè conspicati, naues suas ad eisdem portus rectè gubernent. Audi sanctum Ephremum in *serm. de laudibus B. Virginis*, sic serentem. *Aue clarissima lucerna.* (Græcè $\phi\alpha\rho\varsigma$) *Tu portus naufragantium tutissimus.* Et infra. *Aue lumen lucidissimum: aue portus in hac vita nauigantium: aue salus firma Christianorum, ad te syncerè, & verè recurrentium.* quæ verba ex præfata similitudine portuum lucernas, faces, & pharos præferentium videntur petita; ac proinde significant B. Virginem ad instar esse tutissimi alicuius portus, suæ charitatis, ac beneficentiæ erga homines facem, & flammam nunquam non præmonstrantis, ut ad illius fidem & tutelam, ex tribulationum, ac laborum fluctibus accurramus.

Ad hæc, notissimus est quidam piscis, quem Latini *maris lucernam* vocant; à Græcis $\lambda\acute{\alpha}\nu\pi\alpha\varsigma$, seu $\epsilon\mu\pi\rho\varsigma$. lampas scilicet, seu flamma maris appellari consuevit. de quo sic Plinius. *Est piscis ex argumento appellatus lucerna, quia lingua ignea per os exorta tranquillis noctibus relucet.* De eodem verò sub nomine Empyri sic cecinit Nazianzenus in præceptis ad virgines:

*Empyrus est piscis, qui nunquam absimitur ignes;
Verum ardens medijs effulget in æquoris vndis.*

Cum quo hos comparat Nazianzenus, in quibus ardor charitatis inter vndas tribulationum non extinguitur, sed ardet, flagratque magis. Liceat ergo Mariam ob eandem rationem *lucernam, empyrum*, seu *flammam maris* nuncupare; quia inter vndas passionum, ac dolorum eius charitas haud restincta fuit, quin potius magis, ac magis arsit; quæ nimirum tunc, cum maiores angustia vndique ipsam cingebant, linguam amore Dei ignitam, & flammescentem exerebat, gratias Deo ex animo agens, & illa Christi verba identidem repetens: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, quæ ab illa inter angores de filij morte, & cruciatibus susceptos, millies dictata affirmat. S. Bernardinus infra citandus.

Quartò Maria interpretatur *Magistra maris*. Dicitur autem propriè maris magister gubernator ad clauum sedens. Ingens nauis Ecclesia est. Audi vnum Ambrosium, ut alios reticeam, in lib. 3. de Virginibus, *Nauis (inquit) Ecclesia est, quæ pleno Dominica crucis velo, sancti Spiritus flatu, in hoc bene nauigat mundo.* Sed in lib. de Salomone cap. 4. elegantius, & absolutius nauim istam describit. *Nauem Ecclesiam debemus accipere in salo huius mundi constitutam, quæ nunquam potest sustinere naufragium; quia in arbore eius, id est, in cruce, Christus erigitur; in puppi Pater residet gubernator, proram Paraclitus seruat spiritus, & per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum, vectores sunt reliqui iusti.* Eadem fermè scribit in *Psal. 48.* nisi quòd tam ibi, quàm in lib. 3. de Virginibus, Spiritum sanctum pro secundo vento esse dicit, vela istius archetypæ nauis implentem, & proram, quam hîc Spiritui sancto accommodat, Patri æterno tribuit, malum Filio: atque adeò locum facit, ut puppim, & clauum alteri tradere liceat. Sed quis hic? Non alius certè, nisi Maria Virgo, quæ suo opte nomine *magistra maris* appellatur, & significatum eo nomine munus exequitur, ingentem hanc Ecclesiæ nauim guber

gubernans, & Scyllas, Charybdes, omnesque fyrtes, & scopulos prouidentia sua euitans, ac declinans.

Sed quàm aptè, & concinnè B. Virgini præfatæ nauis clauum traditum dicamus, ex eo liquet, quia idem Ambrosius clauum, & gubernaculum, quo nauis ista hæc illac regitur, & impellitur, ipsam Dei voluntatem esse dicit, cui omnis creatura spontè obsequitur. At quis hunc diuinæ voluntatis clauum efficacius, ac penitus mouere, & tractare nouit, quàm Maria maris magistra? Nullus profectò. Quòd si per naues cum eodem Ambrosio in præfatum *Psalm. 48.* quoscunque singulares homines huius sæculi mare præterlabentes intelligamus, queis Doctor iste accommodat illa verba, *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* nec non illa, *Qui descendunt mare in nauibus,* &c. fas erit quoque sanctissimam Deiparam harum nauium magistram ad clauum sedentem vocare. Et sanè illud miraculo simile videtur, onerariam nauem prægrandem inter insanos pelagi fluctus ab aliquo nauclero modici cuiusdam gubernaculi impulsu in quamlibet partem sine resistantia agi, & obuerti. Haud dissimilis est B. Virginis Mariæ vis, & potestas in homines; nam per sui amorem, dilectionem, & studium, tanquam per clauum aliquem, cuiuslibet hominis quantumuis maximi, ac grauissimi ingens nauigium in quamlibet partem facilè mouet, ac regit.

Audi quæ Salomon *Proverb. 8.* de Sapientia pronunciat, & eidem B. Virgini dedicat Ecclesia. *Meum est consilium, & equitas, mea est prudentia, & mea est fortitudo.* Subest autem pro consilio, *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant,* &c. Vbi pro consilio subest vox *קנין ghatshah.* ex radice *קנין iagach.* id est, consulere. quam radicem ex Hebræis aliqui referunt ad *קנין iatshahc.* & à nauigatione tractam dicunt; itavt *ghatshah,* propriè sit *clauus,* aut *gubernaculum,* & per translationem *consilium.* Ait ergo Maria, *Meum est consilium.* Hebræa ad verbum habent, *Mihi est consilium,* seu *gubernaculum,* id est, ego clauum teneo; adsuntque mihi *prudentia,* & *equitas,* id est, peritia gubernandi; ac suppetit etiam *fortitudo* ad clauum istum regendum, & impellendum. Quapropter *per me Reges regnant,* &c. Quasi dicat, per clauum, quem teneo, facilè admodum Regum, legislatorum, ac Principum ingentia nauigia in quamcumque libuit partem defero, & impello, tanquam maris magistra.

Et sanè (vti monuit Plutarchus in *Politico.*) *Optimus nauarchus ille foret, qui, si fieri posset, omnia maria percurrisset, omnes peregisset nauigationes, & portus omnes adijisset.* Nil certius. Commendat hoc Mariam maris magistram, quæ omnes maris vias, id est, cunctas vitæ agendæ rationes ideò nouit, quia omnes ipsa decurrit, omnes experta est. Virgo fuit, mater etiam, & coniux, nunc per prospera, nunc per aduersa nauigauit; actionis quoque, ac contemplationis vias emensa est, ac reliquos huius vitæ cursus confecit, vt ea ratione peritior euaderet maris magistra, ad naues nostras inter fluctus, inter fyrtes, & scopulos gubernandas. Vnde D. Antoninus ad illa verba, *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius,* parte 4. tit. 6. art. 1. sic ait. *Virgo Maria multas nauigationes confecit (imò omnes,) & in nulla passa fuit naufragium: fluctus verò, quos declinauit, scopulos, & fyrtes, quas vitauit, atque pericula, que fugit, ipsa enarrat deuotis suis; vt scilicet ipsa regente, & opem ferente, ea similiter declinent, ac fugiant.* Quasi dicat, ideò B. Mariæ donatum à Deo, vt huius vitæ cursus omnes quasi diuersas nauigationes sic perageret, vt nauim suam fluctus, fyrtes, & scopulos præteruectam ad portum deduceret, vt ipsi tanquam optimæ maris magistræ nostras cuncti naues gubernandas, & regendas permetteremus, pro certo habentes ipsa regente, ac gubernante, tandem aliquando saluas, & incolumes æternæ vitæ portum lecturas esse. Apposita certè sunt ad hanc sententiam D. Fulgentij verba in ferm. de laudibus Mariæ. *Venite virgines ad Virginem, concipientes ad concipientem, matres ad matrem, lactantes ad lactantem. Venite iuenculæ ad iuenculam, coniugatæ ad coniugatam, viduæ ad viduam. Ideò enim istos omnes natura cursus Virgo Maria in Domino nostro suscepit, vt omnibus ad se confugientibus subueniret, & sic restauraret omne genus feminarum.* Quid illustrius?

Quintò Maria significat *pluuiam maris.* Huius autem nominis vis tunc constabit, si Aristotelem consulamus *de hist. animalium lib. 8. cap. 18. & 19.* vbi docet, ex pluuiis, quæ in mare decidunt, pisces plurimum recreari, & iuuari. Sic enim ait. *Piscium genus maxima parte anni pluuijs bene (vt dictum est) viuunt; sic enim non modò plus cibi nanciscitur, verum etiam omnino pluuiæ humore iuuatur.* Ideò verò illis ciborum plurimum ex

imbribus prouenire affirmat Philosophus, quia algæ, & alia maris gramina, quibus pisces velci consueuerunt, aquis pluuiialibus accrescunt maximè. Ad hæc, margaritas, & ostreas omnes ex rore, ac pluuiis e cœlo defluentibus enutriti, & concrefcere communis fert antiquorum opinio. Frustrâ huc eundem Aristotelem, Plinium, & alios appellem. Oua etiam, quæ omne piscium genus parit, aquis etiam pluuiialibus fota excluduntur, & fœtus reddunt suos, vt docet Conradus in cere. Ipsas quoque marinas aquas suapte natura falsas, & crassas per pluuias solui, dilui, ac liquidiores reddi, & ad nauigationem magis idoneas effici affirmat Albertus Magnus ab eodem Conrado citatus. Mitto alia auxilia, quæ mari, ac marinis omnibus ex pluuiis, & imbribus eueniunt: atque id demùm pronuncio, meritò dici Mariam *maris pluuiam*, quia ea omnia, quæ in huius mundi nascuntur mari, eius ope, & auxilio iuuantur, & fouentur.

Augustinus ad illa verba Psalm. *Ibi reptilia, quorum non est numerus*; per oua, ex quibus pisces excluduntur, Catechumenos intelligit; per exclusos verò pisces fideles baptizatos. vtrique autem à sanctissima Deipara, tanquam à largiori quadam maris pluuiâ, mirificè iuuantur; illi quidem, vt per Baptismum tanquam noui pisces ex ouis excludantur, veteris hominis testam rumpentes; hi autem, vt in eadem fide, & charitate proficiant, & excrescant. Nam sacrosanctam Baptismi pluuiam à sanctissima Virgine descendere, ac defluere, author est Cyrillus Alexand. in homilia quadam Ephesi contra Nestorium dicta, vbi sic ait. *Salue, quæ incomprehensibilem in sancto, & virginali utero comprehendisti; per quam sanctum contigit Baptisma credentibus, & vniuersa creatura idolorum vesania deserta, ad cognitionem veritatis venit.* Per quam scilicet Baptismi salutaris imber in gentilitatis mare descendens, spirituales pisces, hoc est, Christianos fideles regenerauit, & regeneratos deinde alit, ac nutrit. Rursus si per dictum imbrem eiusdem B. Virginis auxilia, & fauores accipiamus, quos in vniuersam Ecclesiam, quasi in mare quoddam amplissimum nubis instar toridæ assiduò impluit; præstò sunt nobis margaritæ, & vniones, quæ in dicto mari non alio quàm eiusdem Virginis rore, id est, auxilio, & fauore concrefcere certum est: ipsa enim est Virgo virginum, quæ scilicet virginitatis seruandæ cunctis virginibus autrix, & dux, non solum exemplo, sed etiam meritis, & intercessione sua ab initio exitit.

Ad hæc, sicut pluuiâ in mare demissa, aquas liquidiores reddit, vt per ipsas scilicet ingentia nauigia faciliùs labi, ac perferri possint: ad eundem modum B. Virginis fatior, & gratia in laborum, & tribulationum aquas falsas, & crassas, in quibus vel sanctæ Ecclesiæ nauis, vel cuiuslibet animæ singularis rates enauigat, defluens, illas vtrique diluit, soluit, liquidiores, lentioresque facit, vt faciliùs & ocyùs easdem pertransire liceat. Vnde Bonauentura in 3. *quingena suorum hymnorum*, sic cecinit.

*Aue Virgo spes humana,
Preme ventos, fluctus plana,
Vt euectis mundi vndis
Emergamus de profundis.*

*Aue Virgo, & implora,
Vt cor meum omni hora
Preparatum, lene, pronum
Moueat se ad omne bonum.*

Sextò Maria interpretatur *iaculatrix maris*. D. Antoninus loco supra citato tit. 15. cap. 14. §. 6. ex nomine Mariæ, vt latinè enunciatur per quinque literas, M. A. R. I. A. anagramma commentus est, pro singulis literis singulas dictiones subrogans: hæc sunt, Mater, Arca, Regina, Iaculum, Aduocata. Itaque pro litera I iaculum subiicit, & inter alia sic scribit. *Ipsa est iaculum capiti serpentis infixum, de qua dictum est: Ipsa conteret caput tuum.* Id verò nominis ideò in ipsam quadrare dicit, vel quia superbiam humilitate, vel quia peccatum, & peccati fomitem innocentia sua vicit: hæc enim tria per caput serpentis notantur. Cogita ergo Leuiathan illum serpentem victum in huius mundi mari cubantem, scilicet Dæmonem; atque Mariam maris iaculatricem in ipsius caput iacula vibrantem sua. Audi Iob cap. 40. *Numquid extrahere potes Leuiathan hamo?* Et post pauca. *Numquid illudes ei quasi aui, & ligabis eum ancillis tuis?* Per Leuiatham iuxta germanum literæ sensum intelligit cetum, aut balænam: & postquam de robore illius multa seruit, sic demùm profatur. *Numquid illudes, &c.*

Solenne

Solenne est piscatoribus, postquam cetum iaculis pluribus confixerunt, exanguem, & exanimatum per funes illos, quibus iacula, & harpagones illigata sunt, ad oram trahere. Rursus septuaginta Interpretes in illa voce, *ancillis tuis*, numerum multitudinis in singularem, & genus fœmineum in masculineum verterunt: sic enim legunt, & *ligabis eum puero tuo?* Si ergo illos sequamur in mutatione numeri, & genus retineamus cum Vulgato, licebit utique sic restituere, & *ligabis eum ancilla tua?* Sensus autem sic conformandus, *An illudes ei quasi aui?* Tantumne arte, & robore valebis, ut potens sis cetum vastissimæ magnitudinis, sicut auiculam quampiam, subiecta esca in casses trahere, aut eundem harpagonibus confixum, & enectum, infirmæ cuiuspiam ancillæ manibus, & industria ad oram per funes trahere? Quasi dicat, id certè vires exuperat tuas, quia balænam prægrandem ad eum modum in mari confodere, & ad littus educere vix à multis robustissimis, ac peritissimis viris tentari solet, nedum ab ancilla, & puella quapiam imbecilli. Id ergo, quod Deus humanis viribus, & potentia denegat, suæ arrogat; & iuxta sensum allegoricum à se per Mariam factum deprædicat, per Mariam, inquam, maris iaculatricem, & Dei ancillam: hoc enim nomen sibi ipsa sumpsit, cum ait, *Ecce ancilla Domini*, &c. Et *ligabis* (inquit) *ancilla tuae*. Nam Maria est, quæ Leviatham cetum magnum, id est, Diabolum, suis confixum, & confossum iaculis, exanimatum, atque enectum ad littus traxit, & ab Ecclesiæ mari eductum, Christianis concidendum, & in frustra partiendum tradidit. Sic enim subdit, *Concident eum amici, diuident illum negotiatores*, &c. Vide Gregorium in eum locum.

Septimò Maria aliter interpretatur *stilla*, seu *gutta maris*. P. Luyfius ab Alcazar in cap. 12. *Apocal.* ad humilitatem retulit, quia nimirum Virgo, quæ reuera gratiarum quoddam immensum pelagus erat, opinione, & æstimatione sua, stilla, & gutta maris foret. Id enim de rebus valdè paruis enunciari solet Eccli 18. *Numerus dierum hominis quasi gutta aquæ maris deputati sunt*; scilicet cum æternitate Dei collati, ita enim apud te cogita, B. Virginem, ut humilitatis segetem demeteret, nequaquam se cum aliis vel Angelis, vel hominibus, cum quibus collata immensi instar maris obtinebat; sed cum Dei infinita maiestate, & natura, mente & æstimatione componere solitam sua, ut ex ea collatione tanquam guttam, aut stillam ex infinito illo diuinitatis mari desumptam meritò se ipsam reputare posset. Addit etiam id nominis referri posse ad margariti procreationem, quod ex roris cœlestis gutta in mare defluente coalescere dicitur: ita ut perinde sit maris gutta, ac margaritum valde pretiosum, concham, vel potiùs vnionem claudens: vtrumque enim in B. Virginem apprimè quadrat.

Sed ut hæc dimittam, profectò vox Hebraica מַר *mar*, quæ stillam significat, non tantùm guttam sonat, sed distillationem, quæ igni admoto ex herbis, graminibus, & quibusuis aliis rebus in sublimatorio vase depromitur. Ita obseruat Helias in *Thefbi*. Quapropter Maria in hoc sensu perinde erit ac maris distillatio. Et sanè quod vis ignis in herbis, ac graminibus, id quidem Solis calor in mari præstat; quippe qui excitatis vaporibus nubes cogit, & (liceat sic dicere) amaras ponti aquas in pluuias dulces, salubresque super terram distillat ad eam fœcundandam. Itaque omnem nubem, & pluuiam, *maris stillam*, seu *distillationem* eo sensu vocare fas est: Mariam verò nubem esse ex mari huius mundi leuatam, & prædulces in terram fundentem aquas, passim affirmant Patres. Accipe vnum Ioannem Hierosolymitanum, qui de nubecula illa Helix, quæ de mari ascendisse fertur, ita scribit. *B. Maria per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculae per humilitatem parua nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare, quæ infantulam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, tamen sine aliqua amaritudine. Et paucis intercalatis. Quamuis in alio homine natura humana instar maris sit amara, &c. Beata tamen Maria de hoc mari aliter fuit orta.*

Quòd si adhuc ipsum mare amarum, & salsum, velut in vase sublimatorio (vulgò *alquitar*) excoctum, & inde stillam, seu distillationem aliquam per quinque fusiones expressam, quam vulgus etiam vocat *quintam essentiam*, tibi proponere vis; erit utique hoc ad significandam B. Mariæ passionem, & dolorem, quem ex morte Christi concepit, aptum, natumque. Nam si magnitudinem, & intensiorem huius doloris complecti velis, omnium Martyrum cruciatus, & si placet, etiam omnium damnatorum tormenta, cunctosque omnium creaturarum dolores mente coge, ac permisce, euadetque sic immensum dolorum, atque passionum mare salsum planè, & amarum.

amarum. Puta ergo amplissimum istud mare veluti per plures distillari fusiones, & ex cunctis doloribus, & passionibus, vnum dolorem, & passionem exprimi (liceat sic dicere) tanquam quintam quandam doloris essentiam. Talis ergo, imò longè maior fuit B. Virginis dolor de passione filij susceptus. De Martyribus sic Anselmus in lib. de excellentia Virginis. *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil, comparatione passionis tuæ.* quæ verba de cruciatibus Martyrum sic capienda sunt, vt scilicet vnum in aceruum collati adeò cedant Marianis doloribus, vt cum ipsis comparati leues sint, vel potius nulli. De aliarum verò creaturarum sensu, ac doloribus, D. Bernardinus tom. 1. serm. 61. art. 3. cap. 2. *Tantus enim fuit dolor B. Virginis in morte Christi, quòd si in omnes creaturas, quæ pati possunt, diuideretur, omnes subito interirent.* Maior ergo fuit dolor Mariæ, quàm eorum omnium dolores; imò potius vnus illius dolor, & angor, quasi quædam omnium dolorum, & angorum distillatio, & expressio fuit longè acerbior, & acrior in ipsa sola, quàm in omnibus simul; vt proinde maris amari stillam, seu distillationem, vel, quod idem est, quintam essentiam compellere fas sit.

Cum hac interpretatione sanctissimi nominis Mariæ congruit octaua etymologia, scilicet *amarum mare*, seu *amaritudinis mare*. De hoc Mariæ vocabulo plura conferunt sancti Patres. D. Bonaventura lect. 3. primò Deiparam ex eo mare nuncupatam credit, quia ceu in pelagus quoddam immensum omnium gratiarum flumina influunt, vide ibi multa de hac sententia. Secundò ideò amarum mare dictam voluit, propter illos, quos in passione, & morte filij sustinuit dolores, & angores. Accinit etiam D. Bernardinus tom. 2. serm. 3. de glorioso nomine Mariæ per totum. D. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 13. §. 2. qui aliam vterius addit rationem, his verbis. *Fuit etiam B. Virgo Maria mare amarum in conuersatione amara, scilicet in perfecta sensuum mortificatione. Nulla enim pura creatura mortificauit ita sensus suos, sicut Maria; sed mare amarissimum in passione filij.* Eadem serit Albertus Magnus in *Mariali* cap. 51. & alij non pauci.

Maris ergo & Mariæ dolentis comparisonem vrgeamus. D. Bernardinus mariæ falsedinis, & amaritudinis causam naturalem obseruans, secutus Aristotelem, sic ait. *Maris amaritudo naturaliter accidit, quia per Solis calorem partes subtiliores, & dulciores separantur, & extrahuntur, in vapores, nubesque abeunt; illæ verò crassiores, quæ subtilioribus expressis remanent, adductæ circa littora conspissantur. Ac demum istæ, quæ ad eum modum adductæ sunt, assidua fluctuatione miscentur; & sic totum mare salsum, amarumque redditur.* Eisdem autem causas ad spirituales sensum translatis B. Virginis cor in mare amarissimum conuertisse sanctus Bernardinus affirmat. Perstringam ea, quæ ille fufius pertractat, & alia quædam ex alijs Patribus opportunè ingeram.

Primò B. Mariæ mare salsum, & amarum, effecit subtilioris, & dulcioris humoris separatio, hoc est, conuictus, ac commercij cum filio suo, quo nihil vel subtilius menti, vel dulcius, & iucundius voluntati esse poterat, subtractio, & ablatio per mortem effecta. quam rationem per quatuor capita illius sermonis amplificat Bernardinus, ac sic denique absoluit. *Sed constat quòd filij præsentia matri suæ fuit summè gaudiosa; ergo illius subtractio summè amara, & dolorosa extitit, ita vt dicere possit illud Ruth 1. Ne vocetis me Noemi, sed vocate me mara, hoc est, amaram, quia amaritudine repleuit me omnipotens.* Ac promere poterat illud 1. Regum 15. *Siccine separat amara mors.*

Secundò B. Virginis mare amarum effecit relictarum partium adustio; de qua sic idem Bernardinus. *Videns suum vnicum filium, atque Dei vniogenitum, tot, & tanta indignè pati, vehementi tribulationis æstu interiùs percussa est, ac per consequens multum adusta, & sic in immensum amaricata.* Et subinde quatuor affectus enumerat, qui ad augendum præfatum tribulationis æstum, & conceptam amaritudinem intendendam simul coacti conspirarunt. Ex quibus conficit, Christo Domino in crucem ascendente, ad B. Virginem verba illa *Hieremias* 6. meritò intendi posse. *Luctum vniogeniti fac tibi, planctum amarum.* Vel illa, quæ *Elisæus* 4. *Regum* 4. de Sulamite filium demortuum acerbissimè deplorante pronunciauit. *Dimitte illam, quia in amaritudine est anima eius.* id est, sine illam dolori indulgere. nam nihil est, quod ipsi angoris, ac lachrymarum causas, & motiua affatim non suppeditet ad augendum, intendendumque dolorem.

Terziò maris amaritudinem auget adustarum partium cum reliquis permixtio. Erant

Erant certè in B. Virgine quædam rationes, seu passiones ad naturalem cum Christo coniunctionem spectantes, quæ tanquam aquæ littus terrenum alluentes, & (liceat sic dicere) circa ipsam humanitatis oram versantes Mariæ cor acerbius tangebant, & veluti littorales aquæ per tribulationis æstum amariores efficiebantur. Hæ verò cum his, quæ circa altum mare erant, sublimiores, ac digniores affectiones, spiritus videlicet, atque animi, permixtæ, & confusæ totum Mariæ cor acerbissimis amaritudinibus complebant. Luculentiùs dicam, ea, quæ circa portionem animi infetiolem, & quæ circa superiorem fiebant, permixta in vnam vtrique portioni communem acerbicatem, & amaritudinem concurrebant. Quapropter de eadem Virgine enuntiari posse dicit D. Bernardinus verba illa Threnorum 3. *Repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me absynthio.* Nec non illa cap. 1. *Subuersum est cor meum in me ipsa, quoniam amaritudine plena sum.* Aliam etiam quatuor causarum ad dolorem incitantium mixtionem contemplatur inibi idem sanctus Doctor ex verbis Augustini, de familiarissimi cuiusdam amici morte ferò dolentis, quæ apud ipsum videri possunt. Cui adnectendus etiam S. Bonanentura in *lectione illa 3. speculi*, vbi probans B. Virginem amarum valdè mare in filij passione, & morte exitisse, tantam amaritudinem ex duarum causarum mixtione contigisse dicit, his verbis. *In passione filij sicut mare valde amara fuit; unde illa bene potuit dicere illud: Ne vocetis me Noëmi, sed vocate me Mara.* Subdit autem rationem. *Amara fuit Noëmi, quia duo filij eius fuerant mortui. Maria tu mater Regis, tu mater exulis, tu mater iudicis, tu mater rei; & cum mater sis vtriusque, discordiam inter filios tuos nequis sustinere. Isti ergo duo filij ambo mortui fuerant in passione, vnus corpore, & alius mente; vnus crucis acerbitate, alius mentis infidelitate: & ideo ex mixtione vtriusque causæ viscera Mariæ valde repleta sunt amaritudine.*

Alio etiam modo B. Mariam tanquam mare amarum contemplatur D. Bernardinus, quia nimirum ad illam, & in illam omnium dolorum flumina ex omnibus dolendi causis veluti manantia influebant. Sic enim ait in fine sermonis suprà laudati. *Quando igitur B. Maria hæc omnia perspexit, & apud se de omnibus istis contulit (scilicet de cunctis rationibus, & causis dolendi) nunquid non summam amaritudinem habuit; verè igitur mare amarum Maria, in quam tot fluctus, & flumina amarissima intrauerunt. Nam singularis quæcumque circumstantia passionis flumen singulare doloris est. Propterea ad illam meritò dici potest illud Threnor. 2. Magna est velut mare contritio tua. Sed quamuis omnia amaritudinis flumina intrarunt in mare, id est, in Mariam, non redundauit per impatientiam, benè tamen redundauit in nos, per mare largitatis diuinæ.* Hactenus Bernardinus, qui hanc maris, ac fluminum comparisonem aliter instituendi ansam offert in *art. 2. cap. 2. illius sermonis.* Cogita ergo per flumina, quæ à mari profluunt, & ad mare sese restitunt; iuxta illud Eccles. 1. *Ad locum, unde exeunt flumina, reuertuntur.* per flumina, inquam, aquas dulces, ac salubres afferentia, consolationes animi rectè notari, quarum permultæ per totam vitam ex conuictu, & familiari vsu filij sui à Virgine fluxerunt. Cùm igitur ad passionem deuentum est, atque omnes istæ consolationes præteritæ, & earum causæ ad animam amaritudine repletam memoria repetente recurrebant, & rufuebant; quid factum putas? Sicut aquæ fluminum dulces, ac tenues, in mare ingredientes, illius amaritudinem, & falsedinem quamprimùm trahunt: ita etiam consolationes illæ ad cor Mariæ tanquam in cor maris relabentes, quamprimùm in maximam amaritudinem vertebantur. Affligentium se passio (ait Bernardinus, cuius partim verba, partim sententiam hinc adscribo) est præteritorum recordatio, & quidquid tunc antiquæ iucunditatis memoriæ occurrit, afflictionem adauget. Vnde Augustinus de amici morte dolens, ac repetens memoriâ, ea quæ sibi ex amici conuictu pergrata acciderant, suum ex his omnibus angorem augeri affirmabat. *Erat (inquit) mihi patria exilium, paterna domus mira infelicitas, & quidquid cum illo placuerat, sine illo in cruciatum vertebatur.* Quòd si in dilectione puri hominis hoc contigit, quantò magis in dilectione Dei & hominis, & non tantum socij, sed vnigeniti filij contingere debuit? Hactenus ille.

Sed non est exhausta illius similitudinis maris, ac fluminum accommodatio. Aristoteles passim, & ex ipso alij quamplurimi causas vestigant, propter quas aquæ maris stagnantes non corrumpuntur, atque tabescunt, vt accidit in aliis aquis inertibus stagnorum. Tres autem huius incorruptionis causas afferunt. Prima est falsedo maris; hæc enim aquas illas mirificè condit, ne putrescant. Secunda est ingressus fluminum salubrium, ac dulcium, hinc & inde in mare, quia per eorum currentes,

& fluentes lymphas, marinæ undæ inertes, ac pigræ emendantur. Tertia est ventorum flatus, per quos dictæ maris aquæ assiduò mouentur, & impelluntur, & sic à corruptione seruantur, quam inertia, & pigritia illis adducere consuevit.

Ergo à plerisque Sanctis inquiri solet, quid causæ fuerit, quòd Virgo sanctissima inter tot doloris vsque adedò vehementis causas non interierit? Ego verò easdem causas subesse reor præseruationis à corruptione in mari, & præseruationis à morte in Maria. Prima incorruptelæ causa in mari est sal; hæc autem magnam sapientiam adsignificat, cui nihil magis proprium (vt docet Seneca *epist.* 30.) quàm in magnis aduersitatibus leniendi doloris rationes affatim menti suppeditare. Nulli autem vnquam sua sapientia doloris mitigandi tot ac tantas rationes tam fideliter administrauit, sicut B. Virgini sua cælitus immissa sapientia. Ioannes Gerfon *tract.* 9. super *Magnificat*, *Alphab.* 90. *lit.* X. huic sapientiæ tribuit, quòd Virgo iuxta crucem non ceciderit, sed magè steterit, vt tradit Euangelista. *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius. Stabat* (inquit) *Virgo sapiens, quia animus multis considerationibus mærorem lenientibus confirmatus, fide quoque ac spe erectus corpus stare faciebat.*

Rursus maris incorruptionem efficiunt flumina dulcia in ipsum illapsa. Id etiam de Maria cogitare fas est; nam multorum consiliorum prædulces fluuij, quæ tunc, cum maximè mœrebat, & angebatur, in ipsius animam influebant, ipsam contra mœroris, & angoris vim corruptiuam confirmabant. Vnde Abulensis in cap. 9. *Deut.* quæst. 4. *Erant ergo in Maria simul dolor, & gaudium, vtrumque magnum, sed satis vnum alteri concordabat.* Hanc concordiam gaudij, & mœroris in Virgine sic ponderat Albertus Magnus in *Mariali* cap. 123. *Sicut se habuit passio Christi ad passionem Mariæ, sic consolatio ad consolationem. Christus autem in passione summum dolorem habuit, & summam consolationem; sed passio B. Virginis simillima fuit illi passioni; ergo consolatio consolationi data sicera mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo; sed B. Virgo habuit amaritudinem passionis in summo; ergo sinceram consolationis in summo.* Deinde verò vterque enumerat plures gaudendi rationes; scilicet exaltationem nominis Dei, humani generis redemptionem, restaurationem Angelorum, ac demum quidquid boni passio Christi paritura erat mundo; atque ista omnia Mariæ vberem gaudendi materiam obtulisse dicit. Hæc igitur gaudij, & solatij ingentia flumina ex tot capitibus redundantia, & profluentia, in Mariæ cor, tanquam in mare amarum illapsa, vim mœroris corruptentem temperabant, & mitigabant, ac mortem prohibebant.

Denique mare à corruptione, & putredine defendunt, seruantque ventorum flabra ipsum impellentia: & Mariam identidem Spiritus sancti supernaturalis virtus, ipsam flatibus suis inanimans, à morte, & interitu seruauit. Vnde B. Anselmus in *lib. de excellentia B. Virginis*, citatus à S. Bernardino, sic scribit. *Pia Domina, non crediderim te vllò pacto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vite, spiritus consolationis, spiritus dulcedinis filij tui, pro quo moriente tantoperè torquebaris, te confortaret, te consolaretur, teque intus doceret: non esse mortem, sed magis triumphum omnia ei subijcientem, quod in ipso fieri coram te moribundo videbas.* Mitto alia, studiosus compendij.

Nona etymologia Mariæ est *myrrha maris*, cuius significatio conuenit cum superiori; id enim nominis propter dolorem, ac mœrorem de morte filij susceptum eidem conuenit, vt monet Bonauentura *loco citato*. Est igitur Mariæ dolor, & passio, myrrha, non quidem communis, sed prima, & electa; ea nimirum, quam ipsum arbutum sponte, & sine vulnere exudat, ac fundit: quia prædictum dolorem, & passionem non vis aliqua expressit, sed spontanea illius voluntas, quæ cum æterni Patris voluntate concors, & filium suum morti obtulit, & se ipsam doloribus, & angoribus deuouit. Fuit, inquam, passio, quam non vulnus, & plaga aliqua exterior, sed interior cruciatus causauit. De illa enim sic scripsit Gerfō de *Canticord.* tract. 2. *Filium dilectum oris sui, viscerum quoque suorum, ac votorum conserpsit crucifigi; dans utique nobis illum cum exultatione, quæ summam superabat carnis angustiam; alioquin qualiter impleisset, quod dicitur: Hilarem datorem diligit Deus?* id est, spontaneum, & voluntarium. Quomodo autem B. Virginis dolor totus internus fuerit, ipsius animum conficiens sine vulnere externo; & qualiter ob eam causam plusquam Martyr à Patribus prædicatur, fusè diximus in cap. 8. *Prouerb.* vers. 14.

Doloris istius magnitudinem pulchrè amplificauit Arnoldus Carnotensis in tract. de

de laudibus Virginis. *Tunc Christus in matre amplius, quàm in se ipso patiebatur.* quia nimirum dolor internus de matris angore, ac mœrore susceptus plus Christum afficiebat, quàm ea, quæ exterius sustinebat tormenta. Itaque myrrhea illa amaritudo, quæ Mariæ animum implebat, ad Christum illius filium tota refluebat, eiusque gustus ipsi longè acerbior erat, quàm eius myrrhæ, quam militibus offerentibus gustauit, sed bibere noluit. Imò potius fas est dicere, istum oblata sibi myrrhæ gustum, per vmbram, & imaginem significasse ipsius Mariæ, vel potius myrrhæ amaritudinem ab eodem Christo identidem tunc gustatam, & regustatam, cum *de ipso dolente dolebat*, vt ait Bonauentura. De qua licet pronunciare illa verba Euangelistæ: *Quam cum gustasset, noluit bibere.* Nam dolor ille, & passio B. Virginis ipsam primùm acerbissimè conficiebat, affligebatque; deinde excitabat in ipsa desiderium quoddam ardens, si fieri posset, Christum Dominum ab illis, quos tolerabat, cruciatibus eripiendi, ac liberandi. Et quidem hæc est ipsissima naturalis myrrhæ vis (vt tradunt plures ex interpretibus in eum locum.) nam hausta, & ebibita gustui quidem acerbata est, tormentorumque, ac cruciatuum sensum adimit his, qui torquentur. Itaque Virgo iuxta nominis sui significationem, quod myrrha interpretatur, Christum patientem passione ac dolore liberare volebat. At Christus Dominus myrrham istam gustauit, sed noluit bibere. id est, Mariæ dolorem ac passionem ita sibi per compassionem illius percipiendam, gustandamque putauit, vt cunctam illius amaritudinem sentiret, ferretque acerbius, quàm suam. Id verò quod myrrhæ ebibitæ proprium est, & quod Mariæ voluntas sponte appetebat, & contendebat, scilicet tormentorum sensum illi adimere respuit prorsus, ac recusauit.

Significat etiam myrrha virginitatem Deiparæ, de qua non perfunctoriè diximus supra *vers. 7.* in expositione Hypermystica longè à principio. Denique S. Epiphanius huius nominis vim ad hunc modum extendit in homil. de laudibus Virginis. *Maria etiam interpretatur myrrhamaris. Myrrham verò aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eo quòd paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est, in mundo: mare autem dicerem vniuersum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum.*

Decima significatio nominis Mariæ est *exaltata*, cuius vim ideo vel maximè in ipsam quadrare docet Antoninus, quia humilis fuit, iuxta illud: *& qui se humiliat, exaltabitur.* Et quidem omnibus modis, quibus altior esse potuit, exaltata est à Deo; exaltata vtique in hoc mundo super omnes mulieres, per electionem in matrem Dei, qua nobilitata fuit ante omnes; exaltata in cœlo per altiore ac sublimiorem beatitudinis gradum, quo donata fuit; exaltata denique vbique per nominis sui amplitudinem & exaltationem, qua decorata est. Atque ita exaltata est, vt, teste Bonauentura, *omnes alias creaturas immenso quodam interuallo infra se, & vnum Deum supra se videat* & D. Bernardinus *tom. 1. serm. 1.* de glorioso nomine Mariæ art. 1. cap. 2. *Quòd Maria (inquit) sit omnium creaturarum altissima, patet; quia illa creatura in dignitate est altior, quæ est in gradu bonitatis sublimior, &c.* Iam tenes argumentationis vim, quam latius persequitur S. Doctor.

Vndecimò Maria interpretatur *Dominica*; ita passim videre est apud plerosque Patres, & Interpretes, quorum plerique in etymologia prædicti nominis nihil vterius addunt, quasi tantundem *Dominam* sonet. Cæterum de dominio & imperio B. Virginis plura diximus locis supra citatis, & dicemus etiam infra *cap. 4.* ad illa verba, *veni, coronaberis*: atque ideò hî superlegendum puto.

Alij ergo duodecimam interpretationem præfati nominis ex additione *maris* conformant, qui Mariam idem esse volunt quod *Dominica maris*. Et sanè ille apud homines censetur maris dominium habere, qui portus omnes ditioni suæ subiecit: quia certum est non posse nauem aliquam ponto sese tradere, nisi liberum habeat ad portus perfrugium, vt aquam, victum, & alia navigationis emolumenta inde capere, & illuc in tempestatibus appellere possit. Est igitur in hoc sensu B. Virgo *Maria maris Dominica*, quia omnes portus suæ ditioni ac potestati ita subditos tenet, vt nomini integrum sit vel in tempestate, vel in quacumque alia spiritualis victus, potus, aut cuiuslibet alterius rei penuria portum legere, nisi ipsa indulgente, ac permitte. Huc spectant verba Alberti Magni in Mariali cap. 25. *Nemo saluatur, nisi per te; nemo portum tenet, nisi per te.* Quicquid enim tibi proposueris, quod in huius sæculi insano mari portus nomen ferre possit, id omne Mariæ potestati obnoxium re-

peries. Quatuor cardineas virtutes, temperantiam, iustitiam, fortitudinem, & prudentiam; & tres item, quas vocant Theologales, scilicet fidem, spem, & charitatem, quasi plures vnus maris portus contemplatus est Chryostomus *in homil. 20. ad Popul.* & alias quoque singulares virtutes portus nomine exornat, nempe paupertatem, castitatem, obedientiam, & alias. Denique nihil magis obuium apud Patres, quam beatitudinem ipsam nostram portus nomine censere, ad quem huius vitæ fluctibus enauigatis appellere debemus. Quis autem neget hos omnes, & si quos alios, excogitare fas est portus ita sub Mariæ dominio esse, vt nulli liceat *portum tenere nisi per ipsam.* atque adeò maris domina & regina meritò nuncupatur; integrumque est illi nomen illud tribuere, quod Ethnici Thetydi maris Deæ dederunt; scilicet *Portumna*, quia nimirum eius numini portus omnes subiacebant. Maria enim verè Portumna est maris, ac portuum domina. Quam maris dominam eo sensu appellatam non ineptè dicemus, quasi mystici maris, quod sæpè aliàs mundum esse diximus, Diuam Thetym eius fluctus suo numine regentem, ac temperantem. D. Augustinus *lib. 6. de Ciuitate cap. 22.* scribit, Deam istam duplici ornatam nomine ab antiquis dictam, scilicet *Salaciam*, atque *Veniliam*, quia enim in fluxu ac refluxu cum mare feruet, ac terras appetit, dicitur Venilia; cum verò redit ac deferuet, appellatur Salacia: quæ nomina ideò ab antiquis excogitata sunt, vt significarent Deam illam vtriusque marini motus regimen tenere, ac pro nutu suo pontum, aut leuare, aut demittere. Idem tenet Augustinus *lib. 4. cap. 8.* vbi Thetym Salaciam dictam affirmat, & à Neptuno secerni, ac distingui, quia Neptunus superiores aquas regit, Salacia inferiores ac profundas. Hæc omnia antiquitatis figmenta & ludibria sunt. Illud verum ac certum prorsus, B. Mariam maris dominam existere, & mystico ac spirituali sale Salaciam, & Veniliam simul agere, fluxum & refluxum illius temperantem, ac moderantem. Maris tumescens similitudinem Deo tribuit Iob cap. 31. *Semper enim* (ait) *quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* quæ verba de indignatione Dei accipit Gregorius, qua in extremo mundi iudicio intumescet, ac mundum vniuersum obruet. His autem verbis Iob significat se in expectatione ac metu illius extremi iudicij nunquam non manere. Itaque Dei veluti maris duos motus contemplari fas; alterum quidem illum, quem modò habet, scilicet refluxum, per quem ira illius decedit, decrescit, deferuet, ac detumescit, & misericordiæ locum facit: alterum verò illum, quem sub finem sæculi habiturus est, nempe fluxum & æstum, per quem scilicet eiusdem indignatio mirum in modum intumescens accrescet, ac mundum vniuersum obruet. Ergo vtrumque motum moderatur ac regit Maria maris domina; quæ quidem hoc tempore quod ante extremum mundi iudicium fluit, Salaciam agit, diuinæ indignationis tumores coercens, & ipsam ad refluxum adducens & compellens, vt miserationi locum demittat: sed in fine mundi erga eandem Dei indignationem Veniliam se præstabit, ipsam scilicet accrescere, & efferuescere, ac mundum totum implere & obruere sinens. Quid certius? Qualiter hoc tempore sanctissima Virgo iram Dei contineat, neu sese tanquam mare fluens in mundum longè latèque effundat. Quomodo etiam in extremo iudicio eius iræ tumores & fluctus ascendere sinet, diximus *in cap. 8. Prouerb. vers. 26.*

Rursus maris Deam Amphitritem appellari solitam, dicit D. Fulgent. *in Mytholog.* quia nimirum eius fluctus circumquaque terit, super vndas, quasi super solidam terram inambulans. An non etiam id ipsum de se Virgo prædicat sapientiæ nomine? *Ecles. 24. Profundum abyssi penetraui, & in fluctu maris ambulaui.* Hæc verba sanctissimæ Virgini tribuit S. Bernardinus *in serm. 3. de nomine glorioso Maria, art. 2. §. 3.* & de speciali patrocinio, quo Virgo sanctissima amplectitur eos, qui in purgatorio pro reliquiis peccatorum torquentur, exponens sic ait: *Pæna purgatorij dicitur fluctus, quia transitoria est: sed additur, maris, quia valde amara existit. Ab his ergo tumentibus fluctibus liberat B. Virgo maxime deuotos suos. & ideò ait, & in fluctibus maris ambulauit, scilicet visitans & subueniens necessitatibus & tormentis omnium, qui sunt in purgatorio, &c.*

Cæterum si de purgatorio quidpiam dicere oportet ad patrocinium, illud notandum appositum magis est nomen *Salacia*, quod ideò Thetydi aptari diximus nuper ex Augustino, quia inferiores, ac profundiores maris aquas suo nomine tuetur ac fouet. Salacia enim à sale dicitur. In mari autem illæ, quæ in imo iacent aquæ, crassiores, saliores, & amariores sunt. Nam subtiles magis ac tenues aquæ reliquis superferuntur, ac supernant, & amaritudinis, falsedinisque minus continent. Quapropter

per illa ad purgatorij passiones & dolores notandos aptiores sunt : ista verò ad eos, quos in hoc mundo sustinent homines, labores, & arumnas significandas magis appositæ. Quamuis ergo Virgo sanctissima tanquam maris Dea & domina vtrasque aquas regit ac fouet, sed tamen Salaciam sese præbens, profundiores illas, & amariore purgatorij aquas præsentius ac benignius tuetur. Ita enim fert Bernardini sententia, qui rationem, propter quam Deipara his, quæ in purgatorio torquetur animabus, earumque pœnis subleuandis benignius prospicit, reddit his verbis. *Qui in purgatorio existunt filij eius chariores sunt, cum sint in gratia confirmati, atque de gloria sua securi.* De hoc patrocinio Virginis erga animas purgatorij Bonaventura in *Psalterio Virginis Psalm. 15.* ad hunc modum scribit : *Ne proicias nos in tempore mortis, sed succurre anima mea cum deseruerit corpus suum, sentiat in pœnis refrigerium tuum, & da ei locum inter electos Dei.* Hæc de purgatorio.

Redeamus ad nomen illud *Amphitrita*, super vndas scilicet tanquam super solidam terram gradientis : & ad verba Ecclesiastici, *& in fluctibus maris ambulauit.* Nam qui, quæso, hæc in Virginem quadrare possunt? Sanè passio Christi Domini mare profundissimum ac turbulentissimum fuit : sic enim ipse apud Psalmographum : *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Ergo super hoc mare passionis & super eius fluctus, qui (liceat sic dicere) Christi Domini nauem transversam egerunt, atque demersam, obrutamque ad vada & fyrtes impegerunt, Virgo sanctissima velut Amphitrites ambulare & progredi potuit. Id enim sibi volunt illa verba Ioannis : *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius,* videlicet non demersa, non obruta, sed fluctus passionis ac dolores (si fas est dicere, pedibus proterens suis. Ad extremum illud etiam non iniucundum quod de Amphitritæ maris Dea ac domina finxerunt Græci, vt author est Gyraldus de Diis gentium, Syntagm. 5. in Neptuno : *Fabulantur* (inquit) *Græci Amphitritem perpetuam virginitatem Deis vouisse, sed cum postea illius nuptias Neptunus peteret, ad Athlantem primum confugit; deinde à Delphino persuasa Neptuno consensit.* An non hæc ab omni impuritate purgata, & ad spirituales sensum translata perquam aptè cadunt in B. Virginis, & Spiritus sancti nuptias, Gabrielis Archangeli veluti pronubi, seu paranymphis persuasione, & adhortatione copulatas?

Duodecima Mariæ etymologia ex Chaldaicis originibus petita est *Domina diei.* Tres utique diei significationes occurrunt, vel potius tres dies, quatum Dominam Deiparam appellare fas est. Prima est beatitudinis dies, quam sabbatum, vel sabbatissimum appellat Paulus ad Hebr. 4. & Salom. Prouerb. 4. *perfectam diem* vocat. & cum qua huius vitæ vsura collata nox diei solet. Secunda est vita ipsa mortalis, cui mors tanquam nox atra succedit. Id nominis dedit illi Christus Iesus Ioan. 11. cum ait : *Nonne duodecim sunt horæ diei, si quis ambulauerit in die, non offendet.* & cap. 12. *Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.* Tertia dies est consueta & communis quam sol oriens, occumbensque definit. Virgo igitur Deipara cuiuslibet ex tribus enumeratis diebus Domina ac Regina diei debet. In primis enim beatitudinis candidissima dies sub illius dominio est. Astrologi planetam illum regnare ac dominari per totum diem affirmant, qui cum sole oriente vicinior exoritur : & ob eam causam septem hebdomadæ dies cum septem planetis partiuntur, eosque de singulorum nomine compellant, prout quilibet in quolibet dominatur ac regnat. Verbi causa, Feriam secundam de Luna *Lunes*, tertiam de Marte *Martes*; quartam de Mercurio *Miercoles*; ac sic de cæteris. Illum verò planetam, qui diei Dominus dicitur, hanc vim habere docent Astrologi, vt ipse aspectu suo efficacius, ac fortius ea, quæ illi propria sunt, influat ac deriuat in interiora; ac rursus aliorum astrorum influxus moderetur ac regat. id ipsum ergo de Virgine Maria cogita : ipsa enim est, quæ in prædestinatorum Choro soli, id est, Christo vicinior ac proximior ad gloriam præelecta fuit? Eius enim prædestinatio Christi Domini prædestinationem insequens, aliorum iustorum electiones antecedit; quia nimirum reliqui per ipsam prædestinati, & electi fuerunt. Quapropter illius diei inclyti ac perfecti, quem beatitudo & felicitas nostra efficit; cui neque vespera, neque nox succedit, B. Virgo dominium habet, tanquam superior aliquis planeta in ipsa regnans, & imperans. Atque adeò primum ipsa aspectu suo ea omnia, quæ sibi propria sunt, in beatos deriuat, ac regit : illos scilicet sui ipsius visione & contemplatione iucundissimè pascens. Quantam verò accidentaliter gloriæ & felicitatis ex dicta contemplatione recipiant Beati, D. Bernard. tom. 1. *serm. 61. art. 3. cap. 2.* luculenter declarat; vbi postquam ostendit beatos alios ex

aliis accidentalem gloriam captare, dum charitate suadente alij de aliorum felicitate amplius gaudent, quàm de propria; ex quo subductis calculis, in quolibet beato innumeras accidentalis felicitatis gradus deprehendit, ad Virginem veniens, sic primum constituit. *Statuamus* (inquit) *ex altera parte integraliter totum amorem quem ad inuicem habent Sancti; atque ex altera amorem, quo minor beatus diligit B. Virginem; & credo quòd talis amor minimi gloriose excedat omnem alium beatorum simul sumptum, tam angelicum, quàm humanum, quo se inuicem vel alia quantumuis vehementissime diligunt.* Id verò quatuor rationibus confirmat. Prima est, quia quilibet beatus clarè cognoscit à B. Virgine plus sibi præstari ad illius salutem, quàm omnis alia creatura simul conferre potest. Secunda, *quia apertè etiam intelligit* (verba sunt Bernardini) *quòd tota rationalis natura non sustinuit, nec sustinere posset tantum dolorem ac penam pro sua redemptione, quantum sola sustinuit mater Dei.* Id verò comprobatur ex illo dogmate quod nuper dedimus, futurum scilicet, ut si dolor quo B. Virginis animus in Christi Domini passione percussus est, inter omnes creaturas, quæ dolorem perpeti possent, distribuere, omnes doloris impatientia subito interitu raperentur. Tertia ratio est: *Quia tantus est amor B. Virginis* (verba sunt Bernardini) *quòd omnis amor, quo in Regno cælorum natura angelica & humana diligit aliquem ex beatis, & omnes simul sit sicut centrum ad circumferentiã firmamenti, vel minus, respectu amoris quo ipsa Virgo minimum beatum amat.* Quapropter cum omnis amor ad redamandum compellat, sequitur istum tantum Mariæ amorem longè maiorem sui dilectionem in beatis excitare, quàm sit illa qua se inuicem, & omnia alia creata beati amplectuntur. Quarta ratio est; quia de gloria cuiuscumque beati, quantumuis minimi, sine mensura gaudet, ita ut fas sit dicere, hoc gaudium maius esse in B. Virgine, quàm omne illud simul collectum, quo beati omnes de sua inuicem felicitate congaudent. Id verò beatorum animus non tantum ad amorem exacuit, sed etiam per relationem huius officij ad similiter gaudendum illos compellit, ne ingratitude appellari & insinulari possint. Deinde circa quantitatem gloriæ sanctissimæ Deiparæ sic definit Bernardinus: *Tanta est gloria B. Virginis matris Dei, quòd tantum excedit in gloria naturam Angelicam & humanam simul iunctam, quantum circumferentia firmamenti excedit in magnitudine suum centrum.* Sed quid inde?

Profectò cum gaudium de felicitate alterius necessariò sequatur mensuram dilectionis, qua quis alterum amplectitur, & quantitatem boni de quo gaudere oportet, inde certè fit minimi cuiuscumque beati gaudium & solatium de B. Virginis felicitate & gloria, cum eo collatum, quo omnes simul beati de sua beatitudine per vices congaudent & collatantur, immerso quodam interuallo post se relinquere: quandoquidem tam ipsius minimi beati dilectio erga Virginem, ad gaudendum acuens, quàm eiusdem Virginis gloria & felicitas, gaudendi materiam suppeditans, non minori interuallo superat amorem omnium beatorum inter se, & gloriam cunctorum in vnum collectam & conflam. Ex his ergo sic concludit S. Bernardinus: *Si igitur minimus beatorum qui est in Regno cælorum, tantum à B. Virgine dilectus est, & tantum* (sicut prædictum est) *diligit eam, necessariò sequitur quòd secundum mensuram viriusque dilectionis gloria accidentalis in ea propter illos, & illis propter eam multiplicetur.* Hæc omnia Virginis aspectus ceu planetæ cuiuspiam in perfecta beatitudinis die imperantis ac dominantis, tanquam propria deriuat in beatos. quibus inducti aliqui audacter pronuntiarunt, quòd si data hypothesi, visio clara Dei esset impossibilis, Apostoli, Martyres, Doctores, & Confessores, ac demum Beati omnes propter obitos labores & tormenta, & propter alia honestatis opera rectè gesta benè secum actum, ac satis præmij collatum putarent, si ad solam B. Virginis contemplationem ac visionem in cælo admitterentur. At, inquires, opera bona iustorum ex condignitate, Dei visionem promerentur: ergo per solam Virginis contemplationem latis præmij ipsius minimè relatum foret. quia cum nobilius præmium ipsis pro dignitate respondeat, scilicet clara Dei visio, huic dignitati minor aliqua retributio exæquari non potest. Respondeo, propterea additam illam hypothesein, si visio Dei clara impossibilis esset. Nam hac conditionali posita, condignitas in meritis necessariò periret; quia cum isthæc condignitas sit relatio ad præmium, sublato præmio aufertur etiam condignitas. Adde consecrariè etiam illi impossibili concessio ipsa opera meritoria de medio tolli: quæ ex suapte natura hoc habent, ut ad tale præmium ex condignitate referantur. Hæc tamen obiectio non est idonea, quia condignitas vi-

sionis

visionis claræ Dei ex operibus est accidens, atque adeò illa per impossibile sublata, manere posset substantia bonorum operum, relata ad alia præmia, quæ Deus illis admitti posset. Hoc igitur sibi volunt prædicti Mariæ amatores. In eo casu si visio Dei clara planè impossibilis esset, atque adeò in operibus honestis meriti condignitas ad vitam æternam periret; per solam B. Virginis claram contemplationem in cælo cuncta iustorum opera sic compensari possent, vt præmium de reliquo meritis exæquaretur.

Obiicias in eo euentu prædictam B. Virginis contemplationem ne præmium quidem futuram, quandoquidem iusta opera ex natura rei ad illam, tanquam merita minimè referrentur. Respondeo, bona opera suapte natura referri ad quoduis præmium quod illis Deus retribuere potest, plus minusvè, prout maior, vel minor est quantitas meriti. Quapropter sicut in humanis per legem Principis pœnas delictis, & præmia rectè gestis benè & iustè taxantem, fit, vt tam transgressores, quàm strenui & fortes viri illud ipsum in specie præmium, vel pœnam constituta lege promereantur, quia alioqui sublata lege non mererentur in singulari, sed absolutè & vagè hoc, vel illud: ita etiam futurum dico, quòd si Deus lege ac decreto suo statueret iustos omnes propter omnia honestatis opera clara Virginis contemplatione donare, eo casu, in quo visio Dei clara impossibilis foret, primum hoc præmium iustum, & à Dei liberalitate non alienum, & ipsorum operum dignitati haud impar futurum. Deinde asserimus præfata opera ad tale præmium diuina lege sibi taxatum ita tunc referenda iri, vt ipsis planè debeatur, modo iam dicto. Vtteriùs etiam dico, illud saltem sine iniuria meritorum absolutè & sine aliqua hypothesi dici posse in tali casu per dictam Virginis contemplationem perpetuam in cælo non minus præmij Iustorum laboribus, de bonis operibus retribuendum fore, quàm peccatorum delictis ac sceleribus supplicij infligitur in inferno, si merita & demerita inter se componantur. Nam sicut apud inferos peccata, licèt citra condignitatem puniantur; tamen dignas, & cum iustitia Dei conformes pro meritis pœnas ferunt; ira etiam in eo casu dicendum foret, quòd licèt bona iustorum opera infra condignitatem præmium ferrent: magnum tamen, & à Dei liberalitate minimè alienum præmium reciperent. Ac proinde si bonorum operum nulla alia compensatio præter supra scriptæ contemplationis liberalem collationem, esset possibilis: iustè quidem & exæquatis ponderibus pro peccatis omnes illæ pœnæ infligi possent, quibus modò fontes apud inferos torquentur: quia in eo casu præminim ac pœna optimam portionem haberent. Hæc diximus iuxta seueriorem illorum doctrinam, qui ad meriti condignitatem acceptationes, & pacta Dei de medio tollunt. Si enim cum aliis dicamus, condignitatem operum ad visionem Dei, per Dei acceptationem compleri, ac consecrariè sentiamus Deum ipsum vltra dignitatem bonis iustorum operibus retribuere, longè facilius præfatum dogma contutari licebit. Nam si præmium visionis Dei supra dignitatem operum honestorum esse dicimus, certè aliud æquale considerare fas est. At quis dixerit aliud inferius præmium esse æquale? aut cui hanc æqualitatem concedere liceat? Nullum certè nobilius excogitare licet, quàm est hæc clara, & aperta Virginis contemplatio in cælo.

Ad extremum aliquid ex D. Bernardino ponderatione dignum adscribo; sic enim ait: *Omnis beatus de gloria Virginis plus quàm de propria incundatur*. Quapropter addubitare licet, an si Beati cognitis his beneficiis, quæ illos B. Virgini obstringunt, ac deuinciunt, & meritis etiam intellectis, quæ illam tanta gloria dignam effecerunt, eandem nihilominus gloria priuatam viderent, aliquid ad essentialem eorum beatitudinem pertinens, ipsis deficeret. Annuit, & acquiescit nescio quis: sed longè ego absom vt assentiar. Quamuis autem de essentiali gloria nihil propterea detrahendum putem, tamen in eo casu accidentalem gloriam tantopere extenuandam in credo, vt illud accidens quod cum beatitudine essentiali maximè coniunctum est, scilicet gaudium & delectatio propria beatitudine in eo casu maiori ex parte deficeret: quia cum hocce gaudium ex B. Virginis gloria partum magis delectet beatum, quàm quod ex sua ipsius beatitudine fluit, hoc ablato maxima & præcipua pars prædicti accidentis propriissimi ac coniunctissimi ipsi periret.

Non soium autem B. Virgo planetæ ad instar in illa beatitudinis æterna die dominium obtinentis, quæ sunt aspectus sui propria efficit, sed etiam Solis, & aliorum astrorum influxus moderatur, ac regit. Quicquid enim essentialis gloriæ ex aspectu

Dei, & accidentalis ex aspectu humanitatis Christi, tanquam Solis iustitiæ, & ex aspectu Apostolorum, tanquam duodecim cœli signorum, & ex aspectu aliorum Beatorum, stellarum in morem in cœlo micantium redundat, id totum B. Virgo tanquam domina illius dispensat ac distribuit. Nam quemadmodum sine Virginis meritis nulla gratia in viatores descendit, ita etiam sine eiusdem nulla gloria vel essentialis, vel accidentalis ad Beatos deriuatur. S. Anselmus *in tract. illo de laudibus B. Virginis*, ipsam *vita arborem* non semel vocitat, *cœli vertice tanquam in paradisi medio locatam, & cœlum amœnitate sua exhilarantem*. Succurrat igitur memoriæ id quod de ligno vitæ tradit Ambrosius. *Inter alia (inquit) ligna, lignum vitæ Deus produxit in medio paradisi, ut cætera ligna de illius viriditate florent.* quod idè ab Ambrosio dictum puto, vel quia ex radicibus illius fons ille largior erumpebat, qui totum paradysum productis in omnem partem riuulis irrigabat: vel quia sicut in palmis, ficibus, & aliis quibusdam plantis contingit, quæ nisi aliæ alias in prospectu habeant, quamprimum steriles, atque infœcundæ redduntur, vnde in ipsis sexus quosdam agricultura distinxit, mares scilicet, ac fœminas, vxores & maritos: ita etiam de arbore vitæ putandum, ipsam videlicet suo prospectu reliquis paradisi arboribus fructum, & amœnitatem impertiri; itavt si ipsa abesset, omnes continuò marcescerent, & aridæ fierent. Virgo igitur sanctissima in cœlum translata, ipsissima est vitæ arbor, quæ cunctam gloriæ amœnitatem, & virorem quo Sancti vernant in cœlo, ita prospecta, ac prospicientia sua confert, vt hac sublata omnis ille immarcescibilis viror & gloria magna ex parte deficeret. Ad hunc modum beatissima Virgo æternæ felicitatis diem tanquam Domina & Regina sub ditione sua habet. Nec longè absum, vt credam ad id significandum iuxta parentis Ecclesiæ institutum, eidem Virgini inter dies hebdomadæ *sabbatum*, quod beatitudinis ac felicitatis æternæ significationem continet, consecratum fuisse: vt quemadmodum in hoc mundo temporali sabbato præsidet, ita etiam in alio æterni sabbatismi præses sit.

Rursus B. Virgo secundi diei, qui est vita mortalis cuiuscunque hominis, Domina, & Regina existit. Quod vsque adè verum est, vt non tantum vitæ dominam, sed etiam vitam ipsam nostram dicere soleamus. *Mater misericordia, vita, dulcedo, &c.* Audi Bernardum ad hæc verba in meditat. super *Salve: Te Dominam mentis visceribus amplectamur, quia tu es vita, vita vera quæ mortem superasti, & nobis vitam impetrasti. O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita quæ cibus tuos cœlestibus alimentas.* Ego sanè cum his Theologis semper sensi, ac sentio, qui absolutè docent primum creationis donum à Dei liberalitate hominibus ita conferri, vt Christi Domini merita illud nulli hominum applicuerint, præter vnâ & solam Deiparam; cui illud etiam donum primæ conditionis merita Christi pepererunt, vt fusè docuimus in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 20.* Ex quo fit, vitam naturalem, vt sic, quoad primam productionem sub Christi Domini meritum minimè cecidisse. Sed quid de eiusdem conseruatione dicendum? Certè haud dubitare licet conseruationem istam plerisque hominibus per Christi merita adeptam, cum constet inter alia præmia, quæ iustus passim promittuntur, in Scriptura sacra nullum magis obuium esse, quàm est vita longior atque diuturnior.

Vlterius etiam dico, omnem conseruationem vitæ, quæ cum aliquo dono ex his, quæ Christus Dominus hominibus acquisiuit, connexionem habet, eiusdem meritis partam fuisse. Hoc nimirum aio, omnem conseruationem vitæ, quæ locum fecit cuilibet dono, aut gratiæ per Christum quæsitæ, scilicet conseruationem pueri vsque ad Baptismum, & cuiuslibet peccatoris vsque ad resipiscenciam, & cuiusque etiam hominis in vniuersum vsque ad executionem alicuius bonæ, & honestæ actionis. Quia cum vita ad illud vsque tempus innumeris modis excindi posset, siue à morbo ingruente, siue ab alia quapiam causa extrinseca mortem quomodolibet consciscente, beneficium est non exiguum eo vsque vitam seruari. Quandoquidem verò hoc beneficium connexionem habet cum donis per Christum partis, idè etiam illud eidem Christo acceptum referre oportet. Id verò vt plenius concipias, apud te cogita, cuiuslibet peccati dignam pœnam esse subitum eius qui admisit, intentum, quam à nonnullis re ipsa expertam fuisse nouimus. Quapropter quoties illam Deus ab aliis non exposcit, eam certè ex venia indulget. Vnde sic colligere fas est: Adamus cum primum peccauit, & cuncti illius posteri statim atque geniti, & illius peccati consortes facti sunt, iustè admodum ac pro meritis de medio tolli possent,

possent, sicut plures re ipsa sublatis sunt ante Baptisma, quorum interitus originali peccato adscribit Augustinus & alij Patres. Ergo quotquot diutius seruati sunt, ex indulgentia seruati sunt; eorumque asseruatio beneficium est non exiguum, non debitum naturæ, & causis naturalibus, nulla enim est tam constans & perpetua, quæ sine iniuria naturæ euariari non posset. Ergo in gratiam Christi, cui omne aliud donum quomodolibet naturæ indebitum adscribi debet, referendum est. Ergo conseruatio vitæ cuiuslibet hominis in vniuersum, beneficium est quod ad gratiam externæ protectionis reuocari, & in parte sufficientis auxiliij licet extrinseci poni debet; quatenus per illam fit, vt homo remedij compos fieri possit.

Quorsum hæc? Certè cum sæpè aliàs dixerim, omnia dona & beneficia quæ Christus Dominus meritis condignis hominibus obtinuit, Beatæ Virginis congruis meritis prorsus deberi, inde profectò fit, vt vitæ naturalis conseruationem eidem Virgini acceptam referre oporteat, ac proinde eius diei, qui est vita naturalis & mortalis, Dominam & Reginam meritò appellandam censemus, quæ nimirum planetæ ad instar illi diei imperantis ipsum moderatur, & naturalium causarum vitam seruantium influxus omnes nutu suo regit; itavt meritò ipsam *vitam nostram* compellare liceat, quia nobis viuendi causa & author existit, qui alioqui tunc cum primùm geniti, continuò immoreremur, ac postmodum in decursu vitæ millies interissemus; nisi nos B. Virginis indulgentia & beneficentia asseruasset. Tu ergo quisquis iudiciariam Mathematicæ partem studiosè recolis, & ex vario astrorum aspectu de vitæ longitudine & breuitate coniectare audes, vanissimas istas, & pluribus erroribus obnoxias coniecturas respue: habes iam nobilius quoddam astrum reliquis imperans, & eorum influxus arbitrio suo temperans, ex quo longè meliùs ac certius de longioribus, aut breuioribus vitæ terminis decernere possis. Mariam dico, *dici*, id est, vitæ humanæ, *Dominam*; cuius aspectum aut beneuolum, aut rigidum contemplans, certius de vita & moribus cuiusque iudicabis, quàm cuncta cœli sydera eorumque defluxum speculatus.

Denique tertia diei acceptio est pro naturali die quem Solis periodus metitur: huius autem *dici Dominam* Mariam dicere quoque fas est, itavt nulla sit dies, quæ sub illius dominium non cadat. Habent vtiq; alij Diui proprios sibi dies, in quibus (liceat sic dicere) è cœlo regnant, & tanquam astra quædam secunda, propitios, beneuolosque hominibus sese præbent: eos nimirum dies, quos Ecclesia eorum natalitiis celebrandis impendit. At B. Virgo nullo non regnat, imperatque die: omnes sub illius potestate ac ditione sunt luces. Septem vnus hebdomadæ dies numerare solemus, & vnumquemque diem sub regno ac dominio alicuius ex septem planetis cadere seriò docent Astrologi: ideò ex illis sua nomina singuli dies mutuati sunt, à Luna Lunes, à Marte Martes, &c. Audi Epiphanium in ferm. de laudibus Virg. *O virgo quæ cælum es, septem circulis constans, & capacior illis existis! O vterum septem cælis sublimiorem atque latiore!* O vterum habentem inextinguibile lumen; septem lucentis gratia. quibus verbis Epiphanium in B. Virgine septem planetarum totidem cœlestes orbis meditatur, & singulis singula Spiritus sancti dona respondere affirmat: itavt hæc in ipsa septem instar planetarum obtineant, quæ non solum illam tanquam astra quædam candidissima exornent, sed etiam mundum vniuersum influentiis suis regant. Vide quæ de hac thesi scripsimus *ad cap. 8. Prouerb. cap. 31.* Et vterius hæc adscribe, meritò Virgini omnium septem planetarum nomina tribui, qui omnibus diebus, per vices suas præsidere putantur, vt constet nullum esse diem, qui sub Mariæ dominio & imperio non sit; in quo nimirum suos influxus in animas fidelium tanquam planeta *dici Dominus*, ac cœlo imperans, affluentissimè non effundat. Ac proinde non erit à ratione alienum septem Spiritus sancti dona, quæ totidem in Virgine planetas construunt; per septem hebdomadæ dies sic partiri, vt singulis etiam diebus vnum aliquod ex septem donis ab eadem Virgine in nos deriuari ardentè postulemus, &c.

Possumus etiam quartum *dici* hîc adscribere, scilicet prosperam, & secundam fortunam: sicut enim aduersa & reflans noctis nomine censetur, ita etiam felix & prospera diei nomen circumfert. Vide Gregorium ad illa verba: *Diem hominis non desideravi, tu scis*, &c. & alibi sæpiùs. Huius verò diei dominium & regimen Mariæ tribuere non minus addecet, quàm aliorum: ipsa enim cunctam humanam prosperitatem regit, & arbitrio dispensat suo; eam nimirum, quæ vera, & non adulterina

felicitas est, quæ scilicet virtuti & probitati inseruit. Est enim planeta beneuolus planè ac fœcundus Maria, prosperitatem, delicias, & felicitatem sponte sua effundens. Vidit hoc S. Antoninus suprâ citatus *art. 4.* vbi asserit, a dnotatum, obseruatumque à pluribus, eos, qui B. Virginis studio impensius sese adlixerunt, nunquam sine voluptate vitam agere, & omnia prospera & felicia experiri; cum contra alij laboribus & afflictionibus passim vexentur. Licebit dicere illos de nocte, hos verò de die iter suum conficere. Ex his manet, nihil esse quod diei nomen meritò ferat, cuius Maria dominium non obtineat.

Tertiodecima significatio sacratissimi nominis est *Domina cribri*, quam Syriacis thematibus responderè diximus. Sed quale hoc *cribrum*, cuius Virgo Domina perhibetur? Quadruplex omninò in Scriptura sese dat cribrum. Aliud quidem *Amos 9.* vbi sic Vates: *Eccc enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus super terram.* D. Hieronymus *in eum locum*, per cribrum Dei iudicium probos à reprobis secernens ac segregans, eo loci adumbratum iactat. Luculentius dicam, prædestinationem Dei hos ad Regnum destinantis, illos ad supplicium designantis, notari autumat. Et sanè huius cribri Domina, & Regina B. Maria meritò dici queat, non solùm, quia inter præcipua prædestinationis signa vehementior erga Virginem amor & studium numerari solet; sed etiam, quia ipsa prædestinatio, seu electio efficax cuiuscunque hominis ad gloriam quemadmodum post Christi merita condigna, sic etiam per Mariæ merita congrua, omnium Theologorum conspirante sententia, perfecta fuit. De Christo est illud Pauli ad *Ephes. 1.* *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* quam doctrinam sæpe aliàs inculcat Paulus, atque ita veram esse credo cum nostro Gabriele Vazquez *2. part. disp. 84. & 85.* à quo etiam in hoc dogmate non dissentit Suarez. vterque enim ait, ante præuisionem meritorum & voluntatis Christi Domini hos potius, quàm illos eligentis, & horum potius, quàm illorum salutem efficaciter à Patre postulantis, & contendentis, nullam in Deo præcedere voluntatem efficacem hos potius, quàm illos ad salutem prædestinans ac præfiniens. Id verò non est intelligendum de prædestinatis, qui ante Christum vixerunt: in his enim quatenus prædestinatio vt sic in Christi merita referri debeat: tamen electio vnus præ alio non potuit ex voluntate Christi pendere, vt in eo loco citato conficit Vazquez. Sed de his, qui post Christum extiterunt, aliter sentire oportet, hos enim ita electos & prædestinatos per Christum dicimus, vt licèt Deus præueniens Christi Domini voluntatem, illam excitauerit, vt hos potius, quàm illos à Patre efficaciter & enixè pestularet, tamen voluntas efficax diuina hos ab illis discernens præuisionem voluntatis & orationis Christi insequuta est. Si enim hæc præiret, haud verum esset, prædestinatos in Christo & per Christum electos & discretos à reprobis iuxta principia nostræ scholæ, in qua absolute, & in vniuersum asseueramus nihil ex meritis pendere posse quod ante meritorum præuisionem efficaciter à Deo præfinitum sit. Quapropter dicendum est excitationem illam in Christo factam, seu immixtam à Deo, voluntatem eius allicientem, vt hos potius, quàm illos præferret, ex inefficaci voluntate erga salutem hominum fluxisse fateri omninò oportet, quod vel Suarez ipse *loco citato* concedere videtur: sed nescio an satis cohæreat cum his, quæ ipse de prædestinatione & electione iustorum ad gloriam ante meritorum præuisionem decernit. Lege ea, quæ diximus in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 4. & 5.* Itaque in iudicio prædestinationis Dei, quæ cribri ad instar est, vt docet Hieronymus, probos à reprobis excernentis ac secernentis, Christi voluntas & merita non ita intercesserunt sicut merita nostra respectu gloriæ per illam obtinendæ. Nos enim recta & honesta opera ex Dei auxilio gerimus; his autem præuisis ad diuinam voluntatem pertinet hos, vel illos gradus gloriæ numericè diuersos sigillatim nobis definire ac donare, quos ipsi collibitum fuerit. Sed ita præfata Christi merita ad salutem prædestinatis conduxerunt, vt electio horum præ aliis ex eiusdem Christi voluntate efficaci, hos potius, quàm illos à Patre postulantis initium, & dependentiam haberit. Obiicies fortasse illa verba Christi apud Ioannem: *Pater, omnes quos dedisti mihi, non perdiidi ex eis quenquam.* quæ innuere videntur, Christum Dominum prædestinatos & electos ad gloriam à Patre discretos & separatos accepisse, vt proinde ad ipsum

ipsum tantum pertinuerit illos seruare, quos efficax voluntas Patris illi commiserat. Hæc tamen & alia non dissimilia testimonia de excitatione congrua, qua Deus animum Christi induxit, ut hos potius, quam illos efficaci voluntate amplecteretur, exponi debent: hæc enim excitatio satis est, ut dicta electio & discretio Patri adscribatur; sicut eadem sufficit, ut nostra bona opera gratiæ potius, quam viribus nostris accepta referamus.

Hactenus de Christo; quid verò de Maria censendum? Dicam libenter. In primis illud sæpe ac sæpius dixi iuxta communem magis Patrum sententiam, ea omnia dona, gratias & beneficia, quæ Christus Dominus meritis condignis cunctis hominibus adeptus fuit, à sanctissima Deipara congruis quoque meritis obtenta. Si tamen excipias primam gratiam, qua eadem Virgo sanctissima ad eum actum charitatis excitata fuit, quo primum sanctificationem obtinuit. Quapropter cum Christus Dominus prædestinationem & electionem cunctis prædestinatis & electis condignè promeruerit, eandem à Virgine Deipara promeritam fateri oportet; id certum. Illud anceps, an etiam sicut de Christo diximus, sic eadem Virgo electionem vnus præ alio meruerit, his potius, quam aliis merita sua congrua sponte applicans. Id verò propterea mihi dubitationem ingerit, quia, ut Virgo ad eum modum applicationem illam sigillatim pro solis prædestinatis suorum meritorum efficeret, necesse erat eandem iam tunc cum merita accommodabat sua, omnes prædestinatos ac reprobos sigillatim nosse, & si placet, omnia etiam media, quibus eorum prædestinatio perficienda erat. Hoc autem sine fundamento quisquis asserat. Deinde, quia fieri non posse videtur, vnam eandemque cuiuspiam electionem à duplici voluntate libera Christi & Mariæ pendere, nisi alteri vis afferatur. Nam vel voluntas Deiparæ sequebatur voluntatem Christi, vel comitabatur, vel præibat. Negabis certè illam præiuisse, nedum Virgini multum tribuis, plurimum Christo deroges. Fuisse verò comitatam non facile asseuerabis, quia ratio ipsa postulare videtur, ut mater filij voluntatem & nutum omnibus in rebus expectaret. Deinde, quia excitatio, per quam Virgo ad postulandam efficaciter salutem huius potius, quam alterius inducta fuit, ipsi Virgini per Christi merita parta fuit: ergo voluntas Christi, per quam his potius, quam illis salutem efficaciter optauit, præcessit voluntatem Mariæ. Quomodo enim eiusdem Mariæ voluntatem, ut hos potius, quam illos saluos fieri vellet, excitaret, nisi ipse hos etiam illis voluntate sua præferret? Eam igitur insequabatur. præcedebat ergo Christi voluntas efficax circa prædestinationem huius potius, quam illius. Si ergo hac posita voluntate vterius diuina voluntas voluntatem B. Virginis præstolabatur, ut efficaciter aliquem prædestinaret, cum ex natura rei non repugnaret B. Virginis voluntatem à voluntate filij liberè ac spontè dissidere; fieri certè poterat, ut efficax Christi voluntas circa electionem alicuius eluderetur, & minimè fortiretur effectum, quod est absurdum.

His non obstantibus, audens dico B. Virginem non modò electionem omnium prædestinatorum in vniuersum congruis meritis impetrasse, sed etiam per singularem eorundem meritorum accommodationem vni potius, quam alteri ab ipsa liberè effectam, causam extitisse, ut hi potius, quam illi à Deo electi fuerint. Primò, quia valde familiare est Patribus, eorum qui prædestinati sunt, salutem in Mariæ voluntatem referre. Bernard. super *Saluè*, serm. 1. *Diuina* (inquit) *pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, dicitur aperire.* quibus verbis in voluntatem Deiparæ confert personarum, temporis, & mediorem electionem ad salutem consequendam, & his similia apud alios Patres sunt valde obuia. Deinde, quia id sanctissimæ Deiparæ gloriam extollit plurimum, atque prædestinatos omnes illi valde obstringit, & alioqui nihil est quod Christum dedecet, nihil quod repugnet: ergo Virgini prorsus dandum concedendumque videtur.

Nam primum cognitio necessaria ad eam discretionem faciendam in Maria desiderari non potest. D. Bernardinus sensit in primo suæ Conceptionis instanti omnes vnà creaturas, quibus ipsam impetrare oportebat, intuitam fuisse, scilicet cunctos homines & cunctos Angelos, &c. quia nimirum æquum erat, ut tanta Regina regni sui latè patentis vniuersitatem agnosceret. Ergo eodem iure, quia mediatrix omnium erat, omnium etiam, pro quibus mediatricem agebat, numerum intelligere debuit. Albertus Magnus in *Mariali cap. 149.* mensuram cognitionis, quam B. Virgo in via obtinuit, sic definit: *Omnium creaturarum stantium cognitionem habuit per gratiam*

& contemplationem. Stantes autem appellat creaturas futuras, ut illas à possibilibus distinguat. Cum magno Alberto sentit D. Antoninus 4. part. cit. 15. cap. 17. §. 1. quorundam sententiam non refellit P. Suarez in 3. part. tom. 2. quest. 37. disp. 19. lect. 3. Non sum autem in ea sententia, ut credam B. Virginem vniuersalem istam cognitionem omnium prædestinatorum, ac reproborum per totam vitam nunquam interruptam habuisse, sed tamen illam aliquando ex reuelatione Dei ipsi inditam puto, ac tum vel maximè illi concessam reor, cum filium suum pro totius generis humani salute obtulit: hæc enim oblatio officium mediatricis, quo fungebatur, consummauit, ut fusè docuimus in cap. 8. Prouerb. vers. 18. & in defensione immaculatæ Conceptionis cap. 22. Nam sicut Christus Dominus vnica oblatione (scilicet sui ipsius) consummauit sanctificatos (ut ait Paul. ad Hebr. 6.) redemptoris munus absoluens, & extremam illi manum imponens; ita etiam Virgo Deipara per spontaneam eiusdem filij sui oblationem mediatricis functionem perfecit. Tunc ergo omnes tam reprobos, quàm prædestinatos, ac media gratiæ, quibus vtrique iuuari poterant, ipsi obiecta & manifestata fuisse credo: id enim cum eo munere quod gerebat, maximè conforme videtur, ut scilicet illud non confusè & indiscretè, atque adeò imperfectè, sed discretè ac discretè, & quoad fieri poterat perfectissimè ageret. Confirmat hoc placitum doctrina Alberti Magni, qui in eo loco nuper citato, de vniuersitate cognitionis ac scientiæ, qua donata fuit Virgo sanctissima, verba faciens ita demum absoluit: *Nihil ignorauit eorum, quæ sibi ad beatitudinem suam, & alijs ad salutem conducere poterant.* Obserua vim extremæ clausulæ, quæ B. Virgini non solum personarum, sed etiam mediolorum, quibus prædestinati ad salutem perducendi debebant, cognitionem Mariæ tribuit.

Quòd si quæras, qualiter humana Christi voluntas, & Mariæ nutus ad deposcendam efficaciter horum potius, quàm aliorum salutem conuenerint, & conspirauerint, subiiciam libenter. Aio, igitur, sine repugnantia aliqua, & sine iniuria dignitatis Christi non vno modo fieri potuisse. Alter quidem est, ita ut Deus simul vnâque voluntatem Christi, & Mariæ congruè excitaret, ut vterque simul etiam vnâque horum potius, quàm aliorum salutem expeterent, concomitanter sese habentes. Quod non ita intelligo, ut excitatio voluntatis Marianæ ad supradictam discretionem non fuisset ex meritis Christi; id enim alienum est à vera Theologia, quæ omnem gratiam Virgini collatam per Christi merita indeptam seriò affirmat; sed ita ut dicta excitatio congrua, qua Virgo inducta fuit, non fuerit facta ex electione voluntatis humanæ in Christo, sicut alia auxilia, quæ cunctis post ipsam hominibus à Deo præparata fuerunt, sed ex electione voluntatis diuinæ, sicut illa omnia auxilia, quæ antiquis Patribus collata fuerunt, quæ nimirum Christus vel gratiarum actione, vel alio quouis modo promeruit. Sic enim fieri potuit, ut quòd ad electionem prædestinatorum attinet, vtraque voluntas Christi & Mariæ comitanter se haberent, ac proinde simul vnâque diuinam voluntatem ad hos prædestinandos, & illos reprobandos permouerint, & tamen gratia congrua, qua Virgo ad eam voluntatem habendam inducta fuit, ex meritis Christi penderet.

Quòd si id non placet, quia nimirum aliquis ægrè feret, gratiam, aut donum aliquod ex his, quæ post Incarnationem Virgini collata fuerunt ex electione voluntatis humanæ Christi non dependisse. Aliter, & longè melius, cum dignitate ipsius Christi, & cum gloria Deiparæ conformius dici potest, ut nimirum quòd ad electionem istam attinet, Deiparæ voluntas sic se habuerit cum voluntate Christi, sicut voluntas Christi cum voluntate Patris, ut nimirum sicut Pater antequam præuideret voluntatem efficacem Christi, merita sua vni potius, quàm alteri ad obtinendam illi finalem perseuerantiam, applicandi, non habuit voluntatem efficacem eligendi illum ad gloriam, sed simplicem & inefficacem: & ex hac voluntate simplici manauit efficax voluntas excitandi voluntatem Christi congrua cogitatione, ut huic potius, quàm illi merita sua liberè accommodaret. Atque inde factum est, ut prædestinatio electorum ad gloriam vtrique tribuatur; Patri quidem tanquam ei, qui voluntatem Christi congrua cogitatione excitauit; & Christo etiam, tanquam ei, qui ad eum modum congruè excitatus, illam liberè & efficaciter profecutus est. Ita etiam de Christo & Maria decernendum sit: ut nimirum Christus Dominus ex simplici voluntate hos potius, quàm illos saluos efficiendi auxilium efficax matri suæ à Deo impetrauerit; auxilium (inquam) voluntatem illius congruè excitans ad postulandam

dam & desiderandam horum potius, quàm illorum salutem. Vbi verò Christus Dominus ipsius Mariæ voluntatem & nutum efficacem præuidit, tunc certè illorum omnium salutem efficaciter à Patre postulauerit, quorum salutem à Maria efficaciter desiderari ac deprecari nouerat: ac tunc demum Pater Christi, Mariæque precibus & meritis, condignis videlicet, ac congruis inductus prædestinatorum saluationem efficaciter decreuerit. Nam decretis Dei, & voluntatibus tam Christi, quàm Mariæ liberis ad hunc modum ordinatis, & in seriem redactis, omnia ad amissum cadunt. Quem ordinem agnouit planè ac docuit Arnoldus Carnotensis in tract. 6. de verbis Domini in cruce, vbi qualiter Christus, & Maria ad salutem humani generis conspirauerint, tradit his verbis: *Cooperabatur autem plurimum secundum modum suum, ad propitiandum Deum ille matris affectus, cum tam propria, quàm matris vota charitas Christi perferret ad Patrem, cum quod mater peteret, filius approbaret, Pater donaret: unumque erat quod diuersa exhibebant officia, quod Pater bonus, quod filius pius, quod Mater sancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio; simulque se complectebantur pietas & charitas, & bonitas matre supplicante, Filio interpellente, Patre propitiante.* Loquitur autem Arnoldus de tota causa, & summa redemptionis generis humani, in qua sine exceptione aliqua prædictum ordinem seruatum vult, ac proinde sentire videtur in discretionem prædestinatorum à reprobis, sicut in aliis redemptionis operibus cum plurium voluntatum in eadem vota conuenientium & conuenientium concursus fuisse. In quo illud videre est in dicto ordine efficacium voluntatum, quas in hoc loco enumerauit doctissimus Abbas, B. Virginis votum, & desiderium efficax de redemptione nostra, præcedere, ac præire, & Christi ac Patris æterni voluntatem succedere & insequi. sic enim ait: *Quod mater peteret, filius approbaret, Pater donaret.* vt vel ex eo colligere liceat, quantum Mariæ debeamus. Cum igitur saluandorum electionem, & discretionem in Mariæ voluntatem referentes, nihil de Christi dignitate & gloria derogemus, quis non ipsi donet libenter id, quod sine iniuria aliqua Christi Domini, ipsius gloriam & decorem amplificat? Est igitur B. Virgo *cribri Domina*, id est, electionis, & discretionis prædestinatorum à reprobis, causa, & dispensatrix.

Quid plura? Secundam cribri significationem agnouit in eum locum Amos 9. D. Cyrill. Alexand. vbi perpendens illa verba, *Et concutiam in omnibus gentibus Israël sicut concutitur cribrum, & non cadet lapillus super terram*, de supplicio quodam exponit, non ad obdurationem, sed correptionem à Deo immisso. Quasi dicat: Ego quidem quatiens, vel potius percutiens filios Israël, eos quasi in cribro versabo, sed tamen nullus ex illis obduratus, & obfirmatus, ceu lapillus in terram excidat; sed omnes pœna inflicta molliet, & ad meliorem frugem transferet. Itaque cribrum in eo loco castigationem ac punitionem Dei valde vtilem adsignificat, quæ non ad obstinationem, sed ad morum correptionem, & resipiscentiam adducat. Similitudo secundum eam expositionem ducitur à cribro arctioribus & breuioribus maculis, seu foraminibus pertuso, quod versat quidem ac concutit, non tamen abiicit grana; imò & lapillos granis intermixtos continet ac cohibet, ne ad terram excidant. Quod cribrum iuxta Cyrilli mentem Dei Opt. Max. misericordiam denotat, quæ sæpius peccatores etiam obduratos perire non sinit. Huius ergo *cribri mystici Dominam* B. Virginem dicere cum primis decet. Quid enim ipsi proprium magis, quàm Dei misericordiam etiam obduratissimis peccatoribus exorare, vt ab interitu & morte æterna liberi fiant? Pleni sunt libri, plena sunt Antiquitatis monumenta eorum, quos post longam & lapideam obdurationem & obstinationem in terram abiici, & ad interitum abire sanctissima Virgo non permisit. Audi vnum Bernardum, qui Mariæ erga obstinatos etiam peccatores dulcissima viscera sic describit in serm. 1. super Salue. *In hoc conuenienter vocatur Regina misericordie quod diuina pietatis abyssum cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis, & obstinatus peccator non aperiat cui Sancta Sanctorum patrocini sui suffragia præstat. & in meditatione 2. super Salue. Quis (inquit) non sperabit in te, quæ etiam à diuinas desperatos? In te ergo speret qui desperat; qui deficit, ad te currat.*

Tertiam cribri significationem offert nobis Ecclesiasticus cap. 27. *Sicut in percussura cribri remanebit puluis, sic aperiam homines in cogitatu illius.* Pro puluere subest *non pica*, id est, quisquiliæ, aut furfures, Sensus autem sic conformari debet: sicut cribrum, aut excerniculum agitatam effluente similia, retinet furfures, quisquilias, & alia

alia reiectamenta; sic etiam mens, animusque hominis, vbi tristitia agitari, & concuti cœpit, quicquid est delectabile & consolatorium, abiicit, quicquid mœstum, & desolatorium, seruat. Sunt verò qui locum istum de motu pœnitentis, ac doloris de peccatis concepti exponere non dubitauerint: quia nimirum vbi animus ab illo agitari ac percelli incipit, omnes humanæ consolationes ipsi quamprimum excidunt, & quicquid ipsum angit ac conterit, interiùs remanet. Huius autem *cribri* spiritualis *dominam* Mariam appellare fas est. Quid enim ipsi proprium magis, quàm peccatorum corda animosque ceu cribrum ad pœnitentiam exercere, ac versare, vt cunctis humanis voluptatibus excidentibus, ea solùm, quæ secundùm Deum est, tristitia, ipsis hæreat. Ac proinde D. Bonauent. in *Psalm. 20.* Virginem affatus, sic ait: *Da peccatoribus sensum doloris, & à carnalibus desiderijs concede gratiam abstinendi.* Quasi dicat, immitte illis suorum pœnitentiam peccatorum, per quam omnem carnalem voluptatem respuentes, & excutientes, tristitiam & dolorem ad suorum delictorum emundationem introsuerunt. Possumus etiam similem quandam sententiam de mortificatione efformare, ita scilicet, vt *Virgo Domina cribri* ideò dicatur, quia eorum, quos ante alios diligit, & patrocinio suo tuetur, corda concutit, & ad respuendas carnis voluptates & illecebras, mortificationemque membrorum serio amplexandam mouet. Cui adstipulatur Pseudo Bernardus in Meditatione nuper citata: *Qui enim vult te habere, se affligit, delicias respuit, delicata quæque contemnit; & qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit.*

Quartam denique cribri significationem nobis accommodat Euangelium *Luce cap. 22.* vbi Christus Dominus ad Apostolos de dignitate singulorum altercantes, sic prafatus est: *Ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* quibus verbis, vt ad eum locum meditantur Ambrosius, Tertullianus, & Prosper, non solùm Apostolos à Dæmone tentandos, ac vexandos esse, sed etiam ex tentatione purgandos, emundandosque significat. Quasi dicat, Diabolus copiam sibi fieri cupit vos vexandi, ac tentandi, sed eius tentatio & agitatio non ad ruinam verget, sed, vt fieri solet in tritico cribato & excusso, ad purgationem, & mundationem vestram pertinebit. Itaque tentatio & vexatio illa, quæ animam perpurgat, cum cribro à Christo Domino collata est in eo loco, vt sentiunt præscripti Patres. Huius verò mystici *cribri Dominam*, iuxta sui nominis vim, Mariam appellare quoque fas est: ipsa enim tentationes quas suis familiaribus ac studiosis à Deo immitti, vel à Diabolo suggeri sinit, ita moderatur ac regit, vt non ad ruinam, sed ad purgationem animarum spectent, vt scilicet cum tentationibus non iacturas, sed prouentus faciant. Huc acciri possunt verba Bonauenturæ *Psalm. 2.* *Accedite (inquit) ad eam in tentationibus vestris, & stabiliet vos serenitas vultus eius.* id est, nequaquam tentationibus pulsati corruetis, sed amplius constabiliti & confirmati in gratia persistetis.

Quartadecima significatio nominis sacri ex Syriacis etiam radicibus petita est, *Domina mola.* Despicias fortasse nomenclationem istam, & veluti ignobilem, ac sordidam respues. Ego verò nihil ex his, quæ diuinissimo illi nomini subesse possunt, non amplectendum, ac deosculandum puto, ac Diuam Mariam non sine decore *mola Dominam* compellari existimo. Et fanè vox illa Syriaca *ἡ ἰαμ*, quæ molam adsignificat, eam notat qua frumenta conteruntur. Eam verò D. Ambrosius *serm. 29.* sic graphicè describit. *Nulli dubium est quòd molere aliter non constat, nisi duobus lapidibus apparatis & conuenientibus sibi, vt alteri ex eis magnitudo alterius imponatur, & illum quidem lapidem, qui prior solo sternitur, esse pigrum, & tardum, & penè (vt ita dixerim) otiosum, ac nisi superioris participatione lapidis ornaretur, forsitan necessarius non videretur; ita dum ille operatur, etiam iste utilis inuenitur. Ille autem, id est, superior lapis, tanta velocitate operis circumfertur, vt fallens oculos in ipsa velocitate stare credatur, & putetur immobilis esse dum currat. Stat ergo prior lapis, iacet & penè nihil prodest: ille verò alter quæ inferuntur cuncta corripit quæ veniunt, & granorum asperitate confracta ex intimis eorum occultisque visceribus similaginem, medullamque producat, vt sordium leuitate discussa in apertum proferat omne quod purum est. Et post pauca, duos istos lapides duo Testamenta esse dicit, hoc est, legem, & Euangelium; ita vt inferior mola legem referat, superior verò Euangelium adumbret. Ac rursus in decursu per easdem duas molas *naturam*, & *gratiam* accipi posse annuit; ex quibus illa tanquam inferior mola pigra & otiosa; hæc verò tanquam superior velox, acris & rapida: sed tam hæc, quàm illa, ad molendi operationem inter se ita conspirant, vt honesti operis*

similago

similago pura, & munda, excussis furfuribus (si fas est dicere) vtraque conferente & agente prodeat. Rursus idem Ambrosius in *lib. de Tobia cap. 21*. per superiorem molam Christum Dominum, per eam verò, quæ infernè iacet, hominem qui ex adiutorio gratiæ Christi benè operatur, accipiendum esse dicit. nam inter alia sic scribit: *Quis iste sit lapis supermolaris quæro? Legistis: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli? Quare super molam? quia ipse est, qui molentes adiuvat, &c.* quæ sententia à superiori de gratiæ & naturæ subordinatione, ac mutuis auxiliis parum, aut nihil abit. Quid plura? Idem Ambrosius ad verba illa *Matth. 24. Erunt duo molentes in mola, una assumetur, & alia relinquetur*. Per duas istas fœminas molitioni operam dantes duas mulieres cum primis celebres, Mariam videlicet, atque Euam accepisse videtur. cui accinunt etiam alij Patres. De materia verò sic ait: *Illæ assumitur quæ semper molit verbum Dei, ut habeat similaginem, & spiritualem faciat farinam: illæ relinquitur, quæ oppigneravit molam suam, &c.*

Maria ergo aptè interpretatur *Domina mole*, non cuiuslibet, sed superioris; siue per hanc Euangelium, siue gratiam, siue Christum ipsum concipiamus. Ipsa enim est, quæ prima ante alias cuncta Euangelij documenta supra legem circumduxit; mundissimas, & ab omni sorde purgatissimas omnium virtutum actiones tanquam similam ex vtriusque congressu proferens. Ipsa etiam gratiæ, & auxiliorum, quæ per Christum hominibus parta sunt, super molarem lapidem, supra naturæ & arbitrij humani inferiorem molam in cunctis passim hominibus contorquet, ut bonam & utilem honestarum operationum farinam reddant. Ad ipsam enim spectat gratiæ congruentis suffragia hominibus exorare, & impertiri, cuius gratiæ similitudinem refert supermolaris lapis cum inferiori, ad molendum aptè cohærens: quia nimirum ipsa est ex duabus illis fœminis molam versantibus, altera non relicta, sed assumpta, non repudiata, sed electa, non Eua, sed Maria. Non, inquam, Eua, quæ ideò reprobata & relicta fuit, quia naturam subiecit culpæ; sed Maria, quæ ideò assumpta, electa, & dilecta fuit, quia naturam gratiæ supposuit atque subiunxit. Lege Imperfect. *homil. 50. in Matth.* vbi per eam mulierem, quæ assumpta est, veram Christi Ecclesiam concipit. Nam quæ ibi Author ille Ecclesiæ tribuit, eadem Virgini aptare procliue est.

Decimaquinta significatio huius nominis *Maria*, est illa, quam nobis donauit Ambrosius in *lib. de Institut. Virg. cap. 5*. vbi sic ait: *Vnde speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo. Dicta sunt & ante Mariam multa; nam & soror Aaron Maria dicta fuit, sed illa Maria amaritudo maris vocabatur, &c.* Duas omninò res asserit Ambrosius. Prior est, Mariæ nomen interpretari *Deus ex genere meo*. Posterior est, Mariam Aaronis sororem, & alias, quæ eo nomine gauisæ sunt, non fuisse cum Deipara prorsus cognomines, quia ipsarum nomen aliud aliquid, scilicet *maris amaritudinem* sonat. Sanè vtrumque difficile, nam etymologiam illam priorem, siue ad Hebraicas, siue ad Syriacas origines referre arduum valdè, & duo item Mariarum nomina distinguere non minus difficile. Sed postquam in huiusmodi solutione vestiganda aliquod temporis posui, ita demum apud me constitui, S. Ambrosium Mariæ Virginis, & Mariæ Aaronitidis nomina sic distinxisse, ut Maria Virgo Hebraicè diceretur מריה *Mariiah*. Altera verò Maria soror Moyse appellaretur מרים *Miriam*. Hinc diuersæ vtriusque nominis etymologiæ. Nam *Miriam*, *maris amaritudinem*, & omnes alias, quas supra enumeravi significationes coercet. *Mariiah* verò, secundum Ambrosij coniecturam, nomen est compositum ex מרי *iah*, quod est nomen Dei, & ex מר *mar*. Sed quid sibi vult vox *mar*? Ambrosius certè (me iudice) vocabulum istud ad radicem מרה *harah* reuocandum putauit, quæ significat *generare*, ac *gravidam effici*; ac proinde *generationem*, *genus*, & *gravidationem* notare. Quapropter *Mariiah* perinde est, ac *genus meum*, seu *gravidatio mea Deus*. Quod sanctus Doctor sic efferendum censuit, *Deus ex genere meo*. Non solum autem Ambrosius, sed alij etiam de nomine proprio Mariæ Virginis addubitarunt; & in his Georgius Venetus in *Harmonia mundi*, expressè affirmat germanum illius nomen fuisse *Mariiah*, non verò *Miriam*. Ego verò de nomine Mariæ idem prorsus iudicium ferendum esse puto, quod nuper in Appendice superioris interpretationis de nomine Iesu decernendum putavi, scilicet *Mariiah*, & *Miriam* vnum & idem nomen apud Hebræos, quod à diuersis diuersimodè efferri soleret, cuius rei exempla alia non pauca valde similia ibidem recensui.

Manet ergo, illam D. Ambrosij etymologiam veram esse ac solidam, ac proinde Mariam propriè ac germanè interpretari *genus meum Deus*, aut *Deus ex genere meo*, atque adeò præstantissimam dignitatem Matris Dei, ad quam electa fuit, in suo ipsius nomine præferre. Omnes utique *genus sumus Dei*, quia nimirum ab ipso generationem, & originem ducimus, Paulo ad hunc modum pronunciante Act. 17. *Genus ergo cum sumus Dei, non debemus existimare auro, & argento, aut lapidi sculpturae artis & cogitationis hominis diuinum esse simile.* Ex eo enim quòd à Deo genus trahimus ac repetimus, omnem, quoad fieri possit, honorem, & auctoritatem illi comparare, & conciliare debemus, inquit Apostolus, quia nimirum omnes homines natura suadente id contendere solent, ut genus suum adaugeant, & amplificent. Quapropter ab hoc naturali voto alienum est, ita Deum abiicere, ut illum auro, argento, aut marmoribus similem esse dicamus.

Hæc Paulus de Deo. Simile aliquid de Virgine Deipara enuntiare integrum est. Deus utique ex Maria Virgine genus suum duxit; id enim sibi vult nomen *Maria, Deus, scilicet, ex genere meo.* Quis ergo credat aliquid à Deo prætermissum quod ad honorem, auctoritatem & decorem sui generis facere posset, quin illud modis omnibus auget, amplificaretque, ut vel sic iactare posset se à tam præstanti & excelsa viragine genus recensere ac repetere, ut sicut spiritualis, sic etiam temporalis originis nobilis atque excelsa esset profapia.

Decimasexta præscripti nominis etymologia occurrit nobis apud Epiphanium in tract. de laudib. Virg. ubi vult Mariam interpretari *spem*. Alienum etiam hoc videtur ab Hebraicis thematibus. Si tamen coniectari, & suspitionibus indulgere fas est, prædictam etymologiam ex radice מריא *maria* ab Epiphaniò petitam affirmare audeo. nam licet sæpius sit *timere ac metuere*, tamen apud septuaginta Interpretes aliquoties est sperare ac confidere. *Genes. 35. num. 17. Exod. 13. num. 13. & 20. 1. Regum 17. num. 13. Ioel 2. num. 2. Sophon 3. num. 17.* & alibi sæpius. Vnde trahere licet vocem מרמ *marra* & מרמ *mera*. id est, *confidentiam, & spem*, quæ Mariæ valde affines sunt. Quomodo autem B. Virgo sit spes ac confidentia nostra, nulli non liquet. In primis enim Ecclesia sic occinit. *Vita, dulcedo, spes nostra salue.* Basilius etiam Seleuciæ Episcopus Mariam *spei nostræ anchoram* appellat, ad interiora cœlestis velaminis tendentem, & ibi tenaciter adhærentem. & Pseudo Bernardus in meditatione super *Salve. Tu* (inquit) *es spes nostra. Sperent ergo in te qui nouerunt nomen tuum, quia non derelinques quærentes te Domina. Certè qui sperant in te, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquila, volabunt, & non deficient: quis non sperabit in te, quæ etiam adiuuas desperatos?* Quasi dicat, qui spem suam in te vnam contulerunt, non utique ad terrenas ac sordidas res sperandas sese abiiciunt ac deponunt, sed alas sibi Aquilarum aptantes, ad sublimia & excelsa expectanda expetendaque præ celeri volatu sese transferunt; volantes quidem, & nunquam deficientes, quia nunquam ab spe excidunt sua: quòd si quispiam etiam ab spe cadat, *Tu adiuuas desperatos.* Quia cum propria cuiuspiam demerita desperationem suadent, tua certè merita & patrociniū benè de Deo sperare iubent, ut adsit illis semper spes contra spem, id est, fiducia contra diffidentiam. Tribuuntur etiam Hieronymo illa verba, & recitantur à Bonauentura in speculo cap. 7. *Quid mirum si tam in cælo, quàm in terra, cuius plenitudo super omnem creaturam sit; de cuius plenitudine omnis natura virefcit, id est, spem, tanquam viridem colorem induit, ut ad eum locum adnotauit locuples author.* Si enim Maria & eius patrociniū, omnis continuò creaturarum viror marcesceret, omnis scilicet spes in desperationem abiret. Quid plura? B. Virgini accommodare licet id quod Hebræorum Magistri docent in Cabala. Hi enim inter alia illius secretioris Theologiæ dogmata, aiebant in archetypa illa & supramundana sphaera, quam ex rationalibus creaturis, & diuinis attributis, nominibusque conformabant, quandam esse *lineam*, aut *zonam viridem*, quæ totum vndique ambit, includitque vniuersum. & (ut author est Ioan Picus de dogmatib. Cabalistar. dogmat. penult.) hanc zonam viridem omnes totius sphaerici ordinis influentias includere, & in cunctas passim creaturas tam à dexteris, quàm à sinistris deriuare, & effundere, seriò affirmabant. Eapropter illam *Keter Elion* compellabant, id est, *coronam supremam*. Et fanè ex Rabinis non pauci per dictam lineam nomen Dei ineffabile Tetragrammum notatum voluerunt. Ego verò sanctissimam potius Dei genitricem adumbratam malle. Huic autem assertioni ad stipulantur plures Rabini, qui per hanc zonam viridem quandam inter puras creaturas supremam

supremam censerent autumant, eam nimirum, quam aliàs Cabalistsæ *Mitraton* appellant. At quis nesciat per hanc B. Mariam Virginem à plerisque acceptam & intellectam fuisse? Hæc igitur sacratissima Angelorum atque hominum Regina linea, vel zona viridis est, mundum vniuersum præcingens: est nimirum omnium creaturarum vnica spes, quæ omnes diuinæ gratiæ influxus in se continens, illos vberius in omnes latè creaturas effundit. Vnde Bernard. *in serm. 1. super Salue*, *Ipsa* (inquit) *est spes nostra, quia per ipsam speramus nos posse consequi quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri.* Ex hac linea omnes pendemus, & per viriditatem eius *utraque* vernat, ac *reuirescit natura*, vt ex Hieronymo nuper dicebam. Et sanè zonomam illam, seu lineam viridem, quam Cabalistsæ in supramundana & mystica sua sphaera commenti sunt, pro cingulo Zodiaci eidem locabant, vt scilicet vices illius teneret; viridem autem nuncupabant causaliter, vt ait Picus, quia videlicet omnibus rebus viriditatem & succum instillabat. Sicut enim ex duodecim Zodiaci signis, quæ sol annuis circuitibus ambit; plantarum, graminum, & herbarum vbertas & amœnitas effluit; ita etiam ex illo archetypo & mystico Zodiaco vtriusque naturæ lætitiâ, solatiumque pendere affirmabant. Meritò ergo D. Virgo eodem sensu viridis zona, hoc est, intelligibilis ac spiritualis Zodiacus compellari debet, per quam (redeant verba Hieronymi) *utraque natura reuirescit*, spe scilicet fiduciaque vestita.

Hæ sunt præcipuæ ac nobiliores etymologiæ ac significationes sanctissimi huius nominis *Maria*, possunt tamen ex illis aliæ & aliæ plures conformari ac deduci, quas ideo prætermitto, quia à nullo authore locuplete vsurpatas video. Ex dictis verò satis liquet præfati nominis præstantia & excellentia, quod *oleum*, siue *unguentum effusum* appellari meritò potest; quia cum eam effundit, spargitque virtutem & vim, quam germana illius significatio continet, odoris sui fragrantia totum mundum longè latèque replet. Sed præter ea, quæ hæcenus delibauimus, sunt quædam alia præmissi nominis accidentia, quæ hîc perstringere operæ pretium duxi.

Primò obseruatum à pluribus nomen hoc *Maria*, quod, vt nuper dicebam, Hebraicè duplici modo efferri solet, aut מרים *Miriam*, aut מריה *Mariah*, esse tetragrammum, aut quadrilaterum, quadratum scilicet. Sed quid inde? Georgius Veneus *in Harmonia mundi lib. 3. cant. 2. tom. 3.* per nomen quadratum sanctissimæ Virginis, quadratam, hoc est, perfectam, & numeris omnibus absolutam gratiam notari voluit. Quomodo autem Virginis gratia tetragonam, seu quadratam figuram imitatione quadam expresserit, haud perfuntorie dixi in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 30.* Rursus Galatinus non semel huius cum ineffabili Dei nomine conuenientiam in literarum numero contempletus est, quatenus vtrumque est quadrilaterum. Ioannes Picus obseruat in quatuor prædictis literis quatuor elementa adumbrari, ex quibus corpus compingitur, quod ex B. Virgine filius Dei sibi agglutinavit. Alij etiam Hebraizantes deterioris notæ animaduertunt, quod veluti in nomine יהוה *Iehouah* duplex ה. ita in nomine illo מרים *Miriam* coit duplex מ. Hæc autem litera, vt docet Augustinus, Cassiodorus & Interlinearis, *aluum*, seu *viscera* significat. Ambrosius verò sic efferendam putat, *mem*, id est, *ex intimis*, seu *ex visceribus*. Sicut ergo (inquiunt supradicti authores) litera *He*, quæ in dicto nomine ideò secundam Trinitatis personam significat, quia *He vitam* sonat, (vt communis fert Hebræorum sententia,) ideò bis reperitur, quia illam personam secundam, nempe filium Dei, duplicem filiationem habere oportebat, alteram æternam, & aliam temporalem; ita etiam *mem*, quod in Mariæ nomine iterum, atque iterum ponitur, eandem matrem Dei ac matrem hominis fuisse, veluti duplam ex vno partu maternitatem adeptam non obscure adumbrat. Quapropter quatuor literarum significationes, vt in dicto nomine iacent, suo ordine constituentes ad hunc modum scribunt. *Mem* ex visceribus, *Res* caput, *Iod* principium sonat. Si ergo pro singulis literis illius significata subiiciantur, talis euadit sententia, *Ex visceribus caput, principium ex visceribus*, quæ Christi Dei atque hominis generationem ex intemeratis Mariæ visceribus factam verbis valde propriis demonstrat. Nam Christus Dominus quatenus homo erat, caput aliorum hominum existeret, accinente Paulo, *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, ad Ephes. 1. Nomen quoque *principij* ipse sibi conscivit apud Ioannem, propter diuinitatem, *Principium, qui & loquor vobis*, &c. Licet etiam in duplici *mem* alio sensu duplicem B. Virginis maternitatem, aliam spiritua-

lem, aliam naturalem meditari; aliam scilicet, qua Christum genuit, & alteram, qua cunctum genus humanum regenerauit, iuxta illud, *Homo & homo natus est in ea.* Vel si id etiam non displicet, respectu vnus Christi duplicem maternitatem comminisci integrum est: alteram quidem mentis, & aliam corporis, de qua sic Leo Magnus in serm. 2. de Natiuit. *Diuinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore.* Ac demum illud obseruatione dignum, nomen מרים à mem inchoare, & in mem desinere, vt inde innotescat maternitatem Dei non solum vltimam & maximam Virginis dignitatem extitisse, sed etiam primam, à qua nimirum exorta est: nam à suæ Conceptionis primo momento Mater Dei censerī cœpit, & illius dignitatis iura capefferē. Vnde est illud Chrylogogi in serm. 2. de Annunciat. *Aut genitrix quando non? qua seculorum genuit authorem.* Huiusce verò generis alia plura ex dictarum litterarum ordine ac serie tute tibi confingere poteris.

His etiam quæ hæcenus dixi, vltcrius adscribere libet duo anagrammata sanctissimi nominis Mariæ, quæ D. Antoninus adinuenit in 4. part. sum. alterum quidem tit. 15. cap. 14. qui ex quinque literis, quibus in Latina descriptione constat sanctissimum Mariæ nomen, quinque alia nomina ab illis inchoata aucupatur, totidem Virginis præconia exhibentia, M. Mater, A. Arca, R. Regina, I. Iaculum, A. Aduocata. Hæc verò quinque nomina sic contextit: *Mater vniuersorum, Arca thesaurorum, Regina cælorum, Iaculum inimicorum, Aduocata peccatorum.* De his autem Mariæ titulis non pauca ibidem ferit. Alterum verò anagramma ex literis Hebraicis constringit, in quo quinque etiam literas Hebræas totidem Latinis respondentes colligit, cum nomen Mariæ, vt supra adnotavi, reuera tetragrammum, seu quadrilaterum sit. Et quidem 'e prima litera, quæ est mem, sic scribit: *Est autem differentia apud Hebræos inter מ m. 1. & מ mem, quia hoc est apertum superius, & clausum inferius; illud verò est clausum superius & apertum inferius. Habuit ergo B. Virgo in suo nomine secundum mem, per quam subtilissimè Spiritus sanctus significauit Virginem Mariam incognitam futuram viro, prole tamen fecundam de cælo, & sic apertam Deo, clausam viro, quod nulli alteri foret adscribendum, cum nullum aliud nomen cum מ mem litera tale sumat initium.* Hæcenus Antoninus, qui ex imperitia sanctæ linguæ hæc pronuntiauit. Constat enim nomen hoc Maria, Hebraicè מרים, vt in dicta lingua passim iacet, vtrumque mem ram initiale, quàm finale, tam clausum, quàm apertum includere. Rursus non est verum, prædictum nomen à מ mem clauso initium ducere, nusquam enim ita scriptum reperitur in Codicibus Hebraicis; sed, vt reor, S. Antoninus nomini Mariæ accommodauit id, quod aliàs ad illa verba Isaïæ, *Multiplicabitur imperium eius, &c.* ad dictionem ירדו obseruari solet, vbi in mem clauso, quod in sola ista dictione medium reperitur, de B. Mariæ virginitate Rabini aliquid ludere solent. Quapropter accommodatius est id quod statim subtexit; *Interpretatur (inquit) mem secundum Ambrosium super Beati immaculati viscera, in quo tam dignitas, quàm charitas Maria præmonstratur. Dignitas quidem, quoniam in visceribus eius fuit realis habitatio Christi, vt in templo & sacrario Spiritus sancti. Charitas verò actiue & passiue actiue, quia charitatis viscera gerit ad singulos, pro omnibus intercedens; passiue quia fuit ab omnibus desiderata, & amata.* Vide, an duas istas acceptiones charitatis in duobus mem, initiali, ac finali prædicti nominis aptius contemplari liceat.

Secunda litera sacri nominis est A. (inquit Antoninus) quæ ab Hebræis dicitur Aleph, & interpretatur doctrina, in quo Maria utilitas denotatur. Est enim omnium sub dio rationabiliter viventium doctrina salutaris, & speculum directionis totius humanæ vitæ. Sed tamen id etiam ex imperitia sanctæ Linguæ excidit, nam, vt constat ex dictis, in nomine Mariæ, vt ab Hebræis describitur, nullum occurrit Aleph.

Tertia litera est R, & ab Hebræis dicitur Res, & interpretatur caput, in quo denotatur ipsius capacitatis immensitas gloriosa. Caput enim est quodammodo nostra salutis, quæ caput nutriens salutare, caput serpentis contriuit, capitque omnes spiritus intelligentiæ, quia mater est sapientiæ, capit omnes gradus gloriæ, quia Regina est gratiæ, capit omnes modos indulgentiæ, quia caput est misericordiæ. Hæcenus Antoninus, qui de quarta litera sic attextit.

Quartum elementum est litera I. quæ est minima figura apud Hebræos, & dicitur Iod, interpretaturque confessio: ubi coloratur Virginis humilitas profunda, quæ nihil sibi attribuit, sed omnia confitebatur se à Domino accepisse.

Quinto loco constituit aliud A. seu Aleph, quia nimirum censuit sanctissimus Pa-
ter

ter nomen Mariæ perinde ab Hebræis exarari; sicut à Latinis conscribitur, quod longè aliter se habet.

Ad hæc non pauci ex Hebræis præfati nominis arcana mysteria disquirentes, numeros obseruant, quos singulæ literæ reddunt iuxta morem Hebræis ac Græcis familiarem, qui rationum notas in literis ponunt. Et, vt alia missa faciam, Georgius Venetus in Harmonia mundi *Cant. 1. ton. 5. cap. 2.* vt probaret per illam nobilissimam creaturam, quam Hebræi *mitrator sar apanim*, id est, facierum Principem nominant, Mariam adumbratam fuisse, subducens numeros quos continent ac significant voces illæ מִטְרָטוֹר שַׂר אַפָּנִים / *sar apanim*, affirmat vtramque dictionem conficere 290. atque eundem prorsus numerum reddere quatuor literas nominis מִרְיָם *miriam*. nam *res* dat 200. plus *mem* 80. *iod* decem, quæ ad summam redacta efficiunt numerum ducentessimum nonagesimum. Hæc autem numerorum concordia, facile (inquit) demonstrat, Mariam esse *facierum Principem* nobilissimam, scilicet omnium creaturarum quæ cunctos homines ad diuinae faciei visionem & intuitionem admitteret, vel quæ facies plures, suam videlicet vnicuique conuenientem, exhiberet. adde etiam, omnium sibi supplicantium facies exciperet. Rursus idem Georgius *Cant. 2. ton. 6. cap. 7.* probans Christum Dominum Deum ex Deo, & hominem ex Maria progenitum esse, ad numeros confugit. Ex quibus sic ratiocinatur: nominis ineffabilis quatuor literæ efficiunt numerum 26. & nominis item Mariæ quatuor elementa reddunt numerum 290. quæ summæ coniunctæ constituunt 316. eundem autem numerum conficiunt literæ nominis ישו Iesu, sic enim Venetus extulit sanctum hoc nomen, nam *ש* 300. *י* 10. & *ו* 6. constituit. Quid plura? D. Antoninus *loco nuper citato*, aliter supputat, nam colligens summas tam Latinorum, quam Hebræorum characterum, affirmat in nomine *Maria* ex vtrisque surgere numerum duorum millium & centum; additque per summam istam notari totidem annos, qui, à benedictione illa Abrahamo facta, *In semine tuo benedicentur omnes gentes: & multiplicabo semen tuum,* &c. ad vsque Mariæ Virginis natiuitatem fluxerunt. Sed tamen hæc leuiora sunt. Hactenus de sanctissimo nomine Mariæ, cuius effusio totum latè mundum odore suo recreat dum delitescens in ipso vis, & potestas arcanaque mysteria propalantur.

Sed redeo ad verba Canticorum, *Oleum effusum nomen tuum*, &c. quæ reliqui Patres de Christi nomine exponunt: in his verò Virgini sanctissimæ pauci aliter & aliter adaptant. D. Ambrosius *lib. 3. de Virginibus*, ad hunc modum scribit; *Eruclauit* (inquit) *cor Patris verbum bonum, flagrauit Filius, Spiritus sanctus exhalauit, atque se per omnium corda diffudit. Hoc vnguento vncta est Maria, & Virgo concepit, Virgo peperit bonum odorem Dei filium.* Certè per vnguentum effusum intelligit Ambrosius spiritualem gratiam, quam Trinitas tota veluti suauissimum oleum eruclat, flagrat, exhalat: atque hoc diuinæ gratiæ oleo delibutam Mariam, virginitate incolumi, Christum tanquam bonum odorem concepisse ac peperisse dicit. Huius rei rationem obtulit sancta Brigitta in *lib. 1. Reuelat. cap. 46. Tuus odor Virgo ascendit ad Deitatem*, (nimirum odor ille gratiæ quo imbuta fueras,) *& deduxit eam in corpus tuum, & hic idem odor tuus traxit corpus tuum & animam in Deitatem.* quod perinde est ac si dicat, cum gratia Dei perfusa, non vnguentata solum, sed ipsissimum vnguentum esses, Deitatem odore grato allecltam ad te admisisti; & tu etiã vnguenti ad instar in suauissimos vapores soluta & exhalata ad Deitatem ascendisti. Cui sententiæ inseruit translatio illa *LXX. Propterea adolescentula dilexerunt te, traxerunt te.* De quantitate verò istius vnguenti quod Deus Virgini instillauit, concipi possunt verba Origenis *homil. 1. in Cant.* vbi expendens illorum verborum sonum, *Oleum effusum nomen tuum, idèò adolescentula dilexerunt te,* &c. sic ait: *Sola sponsa plenitudinem vnguenti capere potuit pro eo quod videtur iudicare, quia vnguentum exinanitum non sibi, sed adolescentulis dilectionis causam dederit.* Sensus autem verborum est. Cum sponsa, id est, Virgo sanctissima, dicat exinanito vnguento alias adolescentulas ad amandum illecltas, non obscure declarat se totam vnguenti plenitudinem hausisse, vt proinde sola inter alias *gratia plena* dici queat. Sed de hac plenitudine vide plura supra in expositione nostra de Deipara. Libet etiam hîc adscribere alia verba Ambrosij in *lib. de Institut. Virgin. cap. 13. Descendat* (inquit) *vnguentum hoc effusum in anima præcordia, viscerumque secreta, quo non deliciarum odores sancta Maria, sed diuinæ gratiæ spiramenta redolebat, vt proinde meritò diuinitatem ad se pellexerit.*

De Maria etiam interpretatus est locum istum Honorius Augustudunensis in suo *Salaazar in Cantic. Tom. I.*


figillo. vbi per oleum quod ex Mariæ nomine defluit, auxilia intelligit quæ ex illius inuocatione eueniunt. De quibus ad hunc modum subscribit: *Oleum effusum*, &c. *Oleum alijs liquoribus suffusum supernatat*: qui ergo in tribulatione Mariæ nomen & auxilium inuocant super omnia aduersa tanquam oleum supernatant. id est, experiuntur in se ipsis auxilia, quibus fulti, ac velut oleo imbuti, vel potius in oleum conuersi, omnes aduersitatum, & tribulationum aquas sibi substernunt, ac super illas feruntur. Attextit; *Oleum infirmos sanat*: qui ergo peccatis infirmi in ea confidunt, per oleum eius citò salutem recipiunt. Subiicit statim exemplum Theophili, qui oblarum Diabolo suæ damnationis chirographum, Virgine interueniente recuperauit. Et Mariæ Magdalenæ peccatricis, quam asserit per Virginem Mariam cognominem suam non solum veniam peccatorum obtinuisse, sed etiam hoc adeptam, vt sanctitate ac miraculis inclaresceret. & alterius etiam, qui quotidie ante Altare, *Aue Maria* recitabat. & huius officij gratia à dæmonibus illum iam iam obsidentibus, & ab barathrum pertrahere conantibus ereptus est.

Aliter Rupertus, qui docet, illis verbis significari, qualiter sese Deus cum Beata Virgine gesserit. Nam qui in diabolum superbum fluminis instar rapidi sese habuit, vt illum ad barathrum raperet, in Beatam Virginem humilem tanquam oleum lenissimum sese instillauit; sic enim ait: *Quid verbo Dei fortius, & quid oleo suauius. Ergo ne verbum à sua natura est immutatum? Non, sed vitio ac virtuti creaturarum sese accommodat: Diabolus superbus, tu Virgo humilis; quapropter vnum, idemque verbum illi vt flumen, tibi vt oleum sese exhibuit.* Addit vltèrius Verbum ad Dei filium, qui suapte natura, vt à Patre iam olim processerat, fortitudinem, seueritatem, ac, si licet dicere, immitem rigorem præ se ferebat, ex Mariæ visceribus tanquam oleum lene, ac mite temporaliter prognatum fuisse. Atque inde, hoc est, ex Mariæ visceribus oleo quouis mitioribus ac lenioribus eam lenitatem & mititatem ad miserescendum traxit, quam postea habuit.

Ideò adolescentula dilexerunt te. Honorius; *ideò Virgines aliæ à Regina virginum inuitata Christum sectantur.* Alanus sic scribit: *Respectu Virginis matris, aliæ virgines adolescentula dicuntur, quia hæc mater, hæc filia, hæc Regina, hæc famula; hæc patrona, hæc adolescentula; hæc magistra, hæc discipula.* Rupertus. *Quæ te tanquam mitem, facilem, ac lenem olei ad instar exhibes, ea propter infirmiores animæ ad tui dilectionem aspirant ô Virgo. Carthusian. Ideò animæ innocentes & simplices, seu recenter regenerata te impensè aditant, te ô Maria tanquam cooperatricem redemptionis humanæ, cui regnum misericordiæ est commissum.*

Vers. 3. Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.

INTERPRETATIO PROPHETICA de Ecclesia.

 **T**R A H E me: post te, &c. Referamus memoriam ad ea, quæ suprâ diximus de significatione prophetica gynæcei ex doctrina Patrum, qui seridò affirmant, eam quæ sub lege Moysis Ecclesia olim agebat vitam, ipsi pro gynæceo fuisse, in quo ad futuras incarnati Christi nuptias sese adornabat atque expoliebat; cui nimirum sacerdotale vnguentum, & thymiamata legalia erant pro vnguentis & pigmentis: sacrificia verò & libationes lautiorum epularum locum gerebant: quam cōditionem Ecclesiæ sub lege & legalibus, Paulus ad Galas. 3. graphicè expressit, his verbis: *Prius autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi meam fidem, quæ reuelanda erat.* Hæc erat gynæcei propria viuendi ratio, arctior scilicet clausura, & custodia libertatis expers. Similis autem omninò vita Synagogæ sub lege: nam præceptorum & mandatorum multitudo ac seueritas eam vndique cingebant, & concludebant. Igitur ex hac tam arctâ & seuera legis custodia se trahi, aut extrahi postulat Ecclesia, his verbis, *Trahe me*, vt ad nuptias & libertatem Euangelij transeat. Quasi dicat, olim ex paterna domo, id est, ex naturali lege ad gynæceum legis scriptæ traducta fui, vt ibi multis præceptis vndique conclusa, sacerdotali vnguento thymiamatis, ac sacrificiis exculta formam curarem. Cùm igitur

xur hanc curam expleuerim, & absoluerim, *Trabe me*, id est, fac me ex hac custodia legis in Euangelij libertatem transferri, vt iam inde me vxoris ac sponsæ legitimæ loco habeas sub Euangelio: id enim est Euangelij proprium. Hanc expositionem confirmant omnia quæ suprâ *vers. 1. huius capituli*, & in *Isagoge cap. 5.* de gynæceo Ecclesiæ præfatus sum, quæ in hunc locum transferri debent: adstipulaturque auctoritas Origenis, & aliorum Patrum, quorum testimonia ibi recensui.

Si autem illis verbis *Trabe me*, eam vim inesse dicamus, quam suprâ in allegoriæ sono expressi, vt scilicet sponsa iuxta Hebræorum morem non educi solùm ex gynæceo, sed per vim arripi & abduci se postulet. Hæc certè expositio venustè admodum aptabitur prophetiæ. Adi ergo antiqua monumenta, ac contemplare Ecclesiam illam primam, tunc cùm à legis custodia ad Euangelij libertatem traducebatur, ipsimet legi tenaciùs adhærentem; itavt inter fideles quamplures essent, qui novos Christianos, etiam eos, qui ex gentibus fidei mysteriis initiabantur, ad legem Moysis vniuersam seruandam obstrictos esse dicerent. Sic enim habes Actorum 5. *Surrexerunt quidam de hæresi Phariseorum, qui crediderunt, dicentes; quia oportet circumcidi eos, & præcipere quoque seruare legem Moysi.* Quod Iudæi passim contendebant, & firmabant exemplo Pauli, qui Timotheum nuper conuersum circumcidere non dubitauerat, & aliorum Apostolorum, qui plura legis antiquæ præcepta & seruabant ipsi, & fidelibus seruanda tradebant. Quapropter cùm Ecclesia eo tempore legi veteri & legalibus mandatis tanto studio adhæresceret, non ineptè dicemus eam ab ista legis custodia, quasi per vim raptam ab sponso suo Christo; sicut puellam aliquam virginem in gynæceo degentem, atque inde pudoris gratia auelli se ægrè ferentem. Perpende illius Ecclesiæ primitiæ gloriam, summamque pietatem & obedientiam, quæ tantum abest, vt libertatem & licentiam affectaret, vt ea etiam, quæ Christus iam laxauerat præcepta & onera, sponte sua retinere vellet, & quod ad ipsam spectabat, Euangelium cum lege copulare non detrectaret. Sicut sponsa quæ paternis laribus, & seueriori custodiæ assueta, cùm ad nuptiarum libertatem transit, priorem viuendi rationem repetit, & eam quam maritus licentiam indulget, non satis acceptat. O quantum hæc prioris Ecclesiæ austerior disciplina & conuersatio à nostri sæculi laxissima ac licentiosissima vita differt, quæ tota ad exlegem quandam libertatem propendet.

Possimus etiam aliter exponere illud, *Trabe*, seu *extrahe me*; ita nimirum, vt Ecclesia primitiua postulet se à Iudæa, in qua olim legis Mosaicæ fines continebantur, ad gentes traduci, & transferri. quod tunc factum, cùm Apostoli Iudæam deserentes ad prædicandum denuntiandumque gentibus Euangelium dispersi sunt. Et quidem nomine *gynæcei* Iudæam notari posse, quam veri Dei notitia & fides solam earenus imbuerat, iuxta illud, *Notus in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius*, suprâ etiam in *Isagoge loco citato* animaduerti. Inde ergo se educi, imò illata quodammodo virapi postulat Ecclesia sponsa Christi, vt ad Regiam & palatium Christi, id est, ad gentes transeat. Hæc autem sponsæ vota tunc certè expleta sunt, cùm Deus Apostolos & discipulos, quibus primitiua illa Ecclesia continebatur, ad gentes non sine vi transmisit. Nam prima persecutio contra fideles à Iudæis excitata, & Stephani martyrium discipulos dispersit, & ad gentes transtulit. Sic enim habes Actor. 11. *Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione qua facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœniciam & Cyprum & Antiochiam, &c.* Rursus in secunda persecutione cùm occisus fuit Iacobus Apostolus, & captus Petrus, Apostoli per totum latè orbem ire compulsi sunt ad prædicandum Euangelium, vt docent Chrysostomus, Hieronymus, & alij passim Patres; vt proinde affirmare possimus, Ecclesiam illam priorem Christi sponsam (liceat sic dicere) ex Iudæa gynæceo persecutionum ac tribulationum iniuriis quasi per vim raptam, & ad gentes adductam, quas Palatium ac Regiam Christi eius sponsi meritò appellamus. Nam cùm Regnum Christi ex Iudæis ad gentes migrasse certum ac constans sit, Regiam quoque ac Palatium illius ad easdem translatum fateri oportet. Atque hunc sensum (me iudice) exhibent verba Dauidis Psalm. 44. *Adducetur ad Regem: virgines post eam adducentur in letitia, & exultatione adducentur in Palatium Regis.* Locum istum ex Hebraicis originibus expressum sic extulit Hieronymus. Concinit etiam Chrysostomus, qui cùm legat, *in templum Regis*, sic addit, *Templum Regis hic vocat regiam, thalamum & cubile.* quem locum de plurium Ecclesiarum ex gentibus ad vnam vniuersalem Ecclesiam

collectione, & aggregatione, exponunt Augustinus, Beda, D. Thomas, & alij; atque hunc sensum reddit: sponsa, id est, vniuersalis Ecclesia ex lege ad Euangelium, vel ex Iudæa ad gentes tanquam ex gynæceo, ad Regiam & Palatium Regis ab sponso suo Christo transferetur, atque omnes priuatæ ac singulares Ecclesiæ ceu virgines pedissequæ ipsam insequentur, illi parentes & obsequentes.

Non est alia sententia illorum verborum, *post te curremus*, quæ ab eisdem pedissequis dictata nuper statuimus: quas pedissequas, seu ancillas sponsæ tam hîc, quàm in hoc Cantico singulares Ecclesias vnius Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ vestigia affectantes & prementes, notari fusè diximus suprâ *vers. 2.* in expositione prophetica ad illa verba, *Ideò adolescentula dilexerunt te nimis.* Hæc igitur sic aiunt, *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, sic scilicet, vbi primùm, ô Ecclesia vniuersalis, tanquam vxor & sponsa Christi legitima ad illius Palatium assumpta, imò abstracta, raptaque fueris, nusquam mora, è vestigio te insequemur; tuam scilicet fidem, instituta, conuersationem, ac mores obseruantes, & amplectentes, *curremus*, inquam, non cunctantes. (ad spontaneum motum referunt Patres,) quasi dicant, non coactè, sed sponte ibimus. Sed quid causæ quòd Ecclesia tanquam inuita & coacta abstrahi, ac rapi dicitur; virgines autem pedissequæ, id est, singulares Ecclesiæ non tantùm sponte ire, sed currere dicuntur? An, quia ad Ecclesiam vniuersalem spectat de rebus fidei, moribus, ac institutis Christianis consultare, deliberare ac decernere; in deliberatione autem cunctatio ac mora: particularium verò Ecclesiarum non est deliberare & consilia versare, sed traditam sibi ab vniuersali Ecclesia fidem & mores quamprimum amplecti, ideò absque mora & cunctatione aliqua post illam incitato cursu ferri dicuntur. Hæc autem obseruatio mihi persuadet, ideò sponsam, id est, Ecclesiam vniuersalem ad nuptias raptam dici, cum à lege ad Euangelium translata fuit; quia dum ad noua eiusdem Euangelij dogmata credenda vocata est in cognitione illorum, tunc cum ratio reluctari, & reniti videbatur; quia noua non satis assequebatur mysteria, ad eorum assensum à fide veluti rapta, & captiua abducta est: id enim proprium fidei munus, iuxta Pauli doctrinam, *Captiuantes intellectum in obsequium fidei.*

Addit Salomon, *in odore*, aut *in odorem vnguentorum tuorum* (vtraque enim lectio in vsu Patrum.) Si ergo legas *in odore*, sensus erit, nos certè singulares Ecclesiæ, ceu puellæ pedissequæ, vniuersalem tanquam sponsam sponte insequemur: quia nimirum sicut dictæ pedissequæ eisdem vnguentis, & pigmentis, quibus sponsa excolebatur, excultæ non verentur palàm prodire, & virorum oculos subire; ita etiam & nos eorundem vnguentorum, quibus Ecclesia vniuersalis imbuta dicitur, participes effectæ, hæc sunt, sacerdotium, regnum, & doctrina fidei (quæ nomine vnguenti, aut olei notari iam inde suprâ docui in expositione prophetica superioris versus, *Oleum effusum nomen tuum*, &c.) haud verebimur foras prodire, ac fidem, conuersationemque nostram publicè in omnium oculis profiteri. Quod si cum aliis legas: *in odorem vnguentorum tuorum*, sensus erit ex altera corticis expositione petitus. Itaque Ecclesiæ priuatæ vnam Ecclesiam vniuersalem tanquam sodales puellæ vnicam sponsam ad nuptias eductam & raptam se insequenturas dicunt, vt ab illa aberrare non possint, quia vnguentorum illius odorem carpentes, continuò post illam ibunt. Sed quinam isti odores suaues, quos vnius Ecclesiæ veræ & catholicæ vnguenta exhilant? Non sunt alij profectò, nisi signa, & notæ veræ Ecclesiæ, quæ illam minimè latere sinunt. De eiusmodi signis plura nostri sæculi Doctores, qui contra Nouatorum errores isthæc signa vsque ad eò certa, & vulgo comperta esse dicunt, vt veram Ecclesiam cuilibet agnoscere volenti manifestissimè denuntient. Lege Bellarminum tom. 1. Valentiam in 1. 2. D. Thomæ, Salmeronem in *Prolegomenis ad Epistolas Pauli*, & Thomam Borium, qui de eiusmodi certissimis Ecclesiæ signis & vestigiis duo volumina compleuit.

Appendix superioris expositionis ex sanctis Patribus.

PRæter eam, quam de Ecclesia texuimus prophetica interpretationem, aliæ & aliæ expositiones occurrunt in Patribus, quas hîc adscribam Translatio septuaginta Interpretum sensum à vulgata diuersum reddit, quem nuper in allegoriæ sono dedimus, *Ideò adolescentulæ dilexerunt te; attraxerunt te.* Sic plures. quæ verba de
fociis

fociis in eodem gynæceo agentibus, & formam ad nuptias futuras curantibus, capienda esse ibi dicebam: hæc autem sic acceptæ plures Synagogas denotant Christi aduentum expectantes, & illum ad se venire votis omnibus poscentes. Nam istæ preces & vota illum traxerunt è cælo ad terras, vt Ecclesiam vnã ex omnibus Synagogis eligeret, atque illam sibi legitimo coniugio adiungeret. Vbi notanda est virtus illius verbi *attraxerunt*, cui subest *ἐλκυσαν*, quod, vt supra dicebam, reddi potest *accelerauerunt me*. hanc enim vim habuerunt preces ac vota antiquorum Patrum ac Synagogarum sub lege Moyse, quæ non Incarnationem Christi, sed celebriorem illius aduentum impetrare, & exorare valuerunt, vt verior Thologorum sententia fert.

Quod si legas cum aliis, *Ideo adolescentula dilexerunt te, attraxerunt me*; atque adeò de pedissequis puellis, seu ancillis ab sponso missis intelligas, vt sponsam ad assensum nuptiarum inuitent, & alliciant; prædicta verba de priuatis Ecclesiis vnã vniuersalem sequentibus exponi debent. Sed quonam modo plures Ecclesiæ ad nuptias Christi & amplectenda dogmata Euangelij vnã Ecclesiam vniuersalem permouere feruntur? Dicam libentius. Salomon certè fingit, sponsam cum pedissequis suis de nuptiis conferentem, ac deliberantem, dictasque pedissequas illi, quamprimum innubere persuadentes, & alia ad nuptias spectantia cum eadem pertractantes, & sponsam denique illis assentientem, & quæ ipsis placuerunt, volentem. Id verò mihi vniuersalis Ecclesiæ autoritatem, & nutum repræsentat: constans enim est Patrum ac Theologorum omnium doctrina, & sententia, vniuersalem Ecclesiam in his, quæ ad fidem ac mores spectant, falli & aberrare non posse. Rursus illud etiam cunctis Theologis exploratum, in his rebus eum censeri vniuersalis Ecclesiæ sensum, quem longè maior Ecclesiarum priuatarum pars tenet ac præfert, siue in Synodis, siue extra Synodos. Legantur Bellarminus *de Ecclesia*, & Valent. in 1. 2. D. Thomæ *disp. 1. quæst. 1. de objecto fidei, punct. 8. 9. & 10.* qui assertiones istas aliorum Patrum & Doctorum testimoniis fulciunt. Sed quid inde? Iam vides quàm appositè sponsa, id est, Ecclesia vniuersalis à puellis suis pedissequis, id est, à singularibus ac priuatis Ecclesiis se inductam, & ad consensum nuptiarum illectam affirmat, significans in amplectenda fide & religione, & reliquis ad religionem & fidem spectantibus suum sensum & nutum (quatenus vna, vera, & vniuersalis Ecclesia est) ex plurium priuatarum Ecclesiarum sensu doctrinâque metiendum, ac pensandum esse. Nam longè plures Ecclesiæ fideles & capiti suo coherentes falli non possunt.

Sed circa lectionem LXX. alia ad Ecclesiam attinentia conferunt Patres. Origenes *homil. 1.* legit, *Ideo adolescentula dilexerunt te, traxerunt te.* & sic addit: *Si quidem de Ecclesiis accipiatur, quæ vna quidem est dum perfecta est; multæ verò dum instruuntur, & proficiunt. Istæ quidem trahunt ad se Christum per fidem, quia vbi viderit congregatos duos, vel tres in fide sui nominis, vadit illuc, & est in medio eorum.* Vim & virtutem congregationum ac coetuum in eandem fidem & charitatem conspirantium exaggerat Origenes. Pende emphasim horum verborum, *dilexerunt te, traxerunt te.* ex quibus illud extremum *traxerunt te*, fidei tradit Origenes: nam per amorem & dilectionem voluntatis qui amat, ad rem amatam sese transfert; per fidem verò, quæ ad intellectum spectat, qui credit, rem credendam ad se ipsum adducit: hoc enim est proprium modi operandi intellectus, sicut illud voluntatis. Reliqui Patres Græci tam præfatam lectionem, quàm alias, quas recipit rranslatio Septuaginta, de anima exponunt.

Paraphrastes Chaldaicus hæc verba Synagogæ perperam tradit, sic enim conuertit: *Quando egressi fuerunt populus Israël de Ægypto, maiestas dominatoris sæculi erat dux eorum in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Dixerunt ergo iusti illius generationis: Dominator totius sæculi trahet nos post te, & curremus post viam bonitatis tuæ.* Hanc tamen expositionem eatenus tantùm recipere licebit, si ea, quæ Chaldaeus de veteri Synagoga enuntiat, per allegoriam ad Ecclesiam transferantur ita nimirum, vt traductio filiorum Israël ex Ægypto in solitudinem, & inde ad terram promissam, significet Ecclesiæ vocationem ex infidelitate ad Euangelium.

Ex Latinis Patribus D. Gregorius *homil. 29. in Euangelia*, Augustinus *in Psalm. 90.* Anselmus, D. Thom. Honor. Isidor. priora verba ab Ecclesia ad Christum in cælos ascendentem dictata volunt, *Trahet me post te, vt ascendentem in cælos sequar*, ait Isidorus. Anselmus verò *Vox*, inquit, *Ecclesiæ, nam videntes contemporanei Christi quasi*

iam imminere illius ascensionem, & absentiam consolationis illius rogant eum, ut trahat eos post se, id est, ut imitatores sui faciat, & proprie dicit, trahere, quasi quadam violentia; videtur enim fieri violentia ubi corpus natum in peccatis liberatur. Aliqui extrema verba sic castigant, ubi corpus in peccatis natum leuatur. Itaque ait, Ecclesiam tunc cum Christum Dominum cœlos scandentem contemplantur, id exposcere, ut Christus per sui imitationem ipsam à peccatis, quibus olim premebatur, eductam ad cœlum transferat. In eo enim violentia afferri videtur, quod corpus in peccatis natum, atque adeò sponte sua ad peccata propensum, & Christum imitetur, & eundem ad cœlum sequatur.

Ad hanc sententiam aduocare, & aptare licet ea omnia, quæ suprâ de raptu sponsæ ex gynæceo, aut ex domo paterna, in sono allegoriæ præfati sumus; itavt sponsa, id est, Ecclesia, aut quælibet anima cœlestium nuptiarum percupida, ex hac vita, in qua tanquam in gynæceo corpore inclusa degit, omni virtutum genere formam excolens, ad cœlestis Regis Palatium non sine vi rapi, & abduci se postulet. Referrî autem possunt hæc verba potissimum ad diem extremum iudicij, in quo traductio Ecclesiæ ex hoc mundo in cœlum, quidam sponsæ raptus futurus est. Cui sententiæ adstipulatur illud Pauli 1. ad Thessal. 4. *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Ait ergo Ecclesia, *Trahere me*, id est, *arripe me ex hoc mundo.* Subiiciunt autem singulares animæ iustæ ac probæ, *Post te curremus*, sine mora, sine cunctatione. An non est hæc sententia illius decantatissimæ parabolæ, *Simile est regnum cœlorum decem virginibus quæ exierunt obuiam sponso, & sponse*, tunc scilicet, cum Christus sponsus Ecclesiam suam sponsam rapiebat in cœlum in fine sæculi: ex his autem virginibus illæ certè *currerunt*, quæ oleum habentes in vasis suis continuò abeuntes cum sponso ac sponsa ingressæ sunt ad nuptias: illæ verò morosæ ac cunctabundæ, quæ dum in comparando oleo destinabantur excedente sponso, & ianuam claudente foras relictæ fuerunt? Ita profectò.

Honorius de imitatione Christi intelligit hoc modo: *Ecclesia Christum ad cœlum per eandem viam sequi volens, nec valens, clamat, Trahere me post te, quod est dicere, da vires, ut possim tua vestigia per hanc viam sequi, per quam ad gloriam processisti.* Deinde viam istam assignans viam crucis affirmat, de qua sic attexit: *Per hanc viam sequentibus se ire præcipit, dicens: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me, id est, imitetur me. Per hanc autem viam nemo graditur nisi trahatur, sicut scriptum est; nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Pende emphasim huius extremæ clausulæ. Certè traductio nuptialis sponsæ, ut suprâ monebam ad sonum allegoriæ, fiebat ab ædibus parentum ipsius ad ædes parentum sponsi. Ita planè sonant illa verba Iudic. 12. *Post hunc iudicavit Israel Absan de Bethleem, qui habebat triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filijs suis accepit uxores, introducens illam in domum suam.* Septuag. habent, *& triginta uxores adduxit filijs suis de foris.* Ex quibus verbis colligi ulterius videtur adductionem sponsæ patre sponsi interueniente fieri solitam, cuius erat virginem à parentibus suis accipere & filio donare. Ac proinde appositè ad morem istum illis verbis sponsæ, *Trahere me*, accommodavit Honorius testimonium Ioannis, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* hoc scilicet tribuens Patri quod ipsius proprium erat, scilicet filio suo Christo uxorem legitimam, id est, Ecclesiam ex mundo adducere, & ipsi adiungere. Christus enim ut probi, & obsequentis Patri suo filij munus expleret, non sibi elegit sponsam, sed oblatam à Patre accepit ac tenuit.

Quid plura? D. Gregorius, cui accinunt Aponius, D. Thomas, Beda, Angelomus, & alij, de attractione Ecclesiæ per gratiam explicat hæc verba, itavt sponsa, id est, Ecclesia, infirmitatis suæ conscia, per auxilia gratiæ ad Christum, & post Christum se trahi postulet. Sed, quia hæc expositio conuenit cum ea, quam alij Patres tradunt de anima singulari, in sequentis expositionis Appendice eam enucleabo.

Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Vox Ecclesiarum priuararum, vnam, sanctam & vniuersalem insequentium. De his sic Honorius: *Adolescentula, id est, Ecclesia eius filia curremus* (inquit) *& nos fide & dilectione in odore unguentorum tuorum, id est, in consideratione miraculorum tuorum, vel in fama operum tuorum, vel in fide æternorum honorum.* & infrâ. *Unguenta Ecclesiæ sunt dona Spiritus sancti, & odor unguentorum*

quentorum fama bonorum operum. Origenes etiam aliquid de pluribus Ecclesiis ferit. Quæ verò alij tradunt, ad mysticam expositionem de anima referuntur; atque adeò in sequenti Appendice subtexam.

E X P O S I T I O M Y S T I C A
de Anima.

TRABE ME. Suprà ad primum versum huius capituli vnum & alterum animæ gynæceum contemplati sumus, in quibus ad charitatis & amoris nuptias sese excolit eadem pia, & sancta anima, scilicet pœnitentiam peccatorum, & timorem Dei. Atque adeò mystica expositio cum allegoriæ sono maximè conformis, erit etiam duplex. Sponsa igitur, quæ priùs à parentum suorum domo in gynæceum, seu triclinium fœminarum traducta fingitur, vt suam ibi formam excoleret, iam nunc legitimarum nuptiarum desiderio incensa à gynæceo, & triclinio fœminarum ad Regis Palatium & cubiculum transferri se postulat, illis verbis, *Trabe me*, nec transferri solum, sed *rapi & abduci*, vt nuper dicebamus. Si ergo per gynæceum pœnitentis ac doloris de peccatis suscepti sensum accipias, dicemus certè hæc vota & desideria sponsæ, seu piæ animæ eò intendi, vt ex illo pœnitentis, & mœstitiæ statu, deletis peccatis, peccatorumque reliquiis, ad gratiæ & charitatis nuptias & delicias ab sponso suo Christo quamprimum traducatur. In anima enim Christo Regi per amorem & charitatem nubenti, sicut in sponsa, quæ ad regias nuptias assumebatur, duplex traductio excogitari potest: alia quidem à Diaboli potestate, quem peccatores loco Patris habent, iuxta illud, *vos ex Patre Diabolo estis*, ad statum pœnitentis, & timoris Dei. (statum verò pœnitentiæ appello eum, in quo anima suarum culparum dolore primùm atteri, deinde conteri incepit, & earum odio concepto in se ipsam per mortificationem, & voluntariam membrorum castigationem conuertitur. Huius enim status cum gynæceo similitudinem diximus loco citato.) Secunda verò translatio eiusdem animæ fit ab hoc statu pœnitentis & timoris Dei ad nuptias charitatis. Succedant iterum memoriæ illa verba Esther 2. *Et vt eis placuerat composita de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum transibant*, scilicet à Rege ipso euocata & traducta. Quæ Eckius ad sensum mysticum sic traduxit: *Quia cum anima placuit peccata sua per motum pœnitentiæ delere, tunc composita & ornata Spiritus sancti donis ab statu mœroris ad thalamum & coniunctionem cum Christo, quæ per charitatem fit, gratia beneficio transit.* Hæc autem animæ traductio à mœrore pœnitentiæ culpas & culparum reliquias abludente ad amoris & charitatis gaudia iure optimo raptus vocatur, qualis ab sponso vxorem ducente fieri solebat, vt suprà monui, ne scilicet videretur noua nupta ad matrimonium sponte ire. Ait ergo prædicta anima in statu pœnitentiæ posita, *Trabe me*, seu *arripe me*. Contemplare in hac sponsa duos valde contrarios affectus; ad nuptias quidem *trahi & rapi* se poscit: quæ verba volentis simul ac nolentis esse videntur; volentis scilicet, quia postulat: nolentis, quia rapi & trahi se petit: quæ autem trahitur & rapitur, inuita fertur. Profectò si de nuptiis humanis & temporalibus sermo fieret, facilis esset huiusmodi solutio, quia in his puellis, quæ ad nuptias rapiebantur, esse poterat voluntas, & desiderium nubendi certum ac verum: nolitio verò, & detrectatio nuptiarum simulata & ficta, vt ea simulatione pudori consulerent suo. Cæterùm in nuptiis spiritualibus animæ & Christi vtrumque verè, ac minimè fictè concurrat velle simul ac nolle. Ita contemplatus est D. Bernardus sermone 1. ad hæc verba, *Trahi vult* (inquit) *quæ hoc rogat; non autem rogaret trahi, si sequi per se ipsam dilectum vellet omnino ac valeret. Sed quomodo vult, & non vult? quomodo libens & inuita simul existit? Quia nimirum spiritus promptus est, caro infirma*, inquit Bernardus. Spiritus enim sponte vult & acquiescit honestati & iustitiæ; caro verò non vult, & inuita reluctatur. Cum Bernardo concinit Angelomus in hæc verba, qui huic sententiæ adaptat locum Pauli ad Rom. 7. *Mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati.* Habes ergo in hoc loco animam quandam suorum peccatorum dolore ac pœnitentia tactam, & vitam ac mores pristinos deserere volentem quidem, ac nolentem; volentem spiritu, nolentem carne; atque adeò hæc ad sponsum verba intendentem, *Trabe me*, vel aliter, *arripe me*. Nam quatenus id posco, ani-

mi præparationem ad te insequendum, & virtutem amplectendam facile declaro. Quatenus verò trahi & arripi abs te peto, carnis obfistentis pondus ostendo, quæ non aliter, nisi per vim rapta ad virtutem mouetur.

Aliter etiam sensum istum instituere licet de raptu animæ à timore Dei ad charitatem: hæc enim foras emittit timorem, & quandam valde amicam & coniugalem gratiam & licentiam inter Deum & animam adducit. Hunc verò motum animæ à timore ad amorem *raptum* appellauit Ioan. Gerson *in suo canticordo*, vbi multis docet quendam esse raptum atque ecstasin, quæ integris sensibus accidit tunc, cum anima per contemplationem & amorem ad Deum, & diuina transfertur; vt quamuis nullam à sensibus externis ab alienationem patiat, sic tamen agit ac viuit, ac si omnino à sensibus aliena, & à carnalibus affectionibus libera, tota Deo inhaereret. Et de hoc raptu, à Dionysio Areopagita dictum existimat vulgare illud, *Est autem ecstasin faciens diuinus amor*. Aliquid huic sententiæ ad simile tradit S. Thomas 2. 2. *quest.* 175. *ar.* 1. & 2. vbi rationem affert, propter quam hæc vitæ ratio per contemplationem & amorem animam ad Deum transferens raptus dicatur; quia nimirum non sine vi, & coactione aliqua efficitur. *Raptus enim est* (verba sunt D. Thomæ) *præter propriam inclinationem eius, qui rapitur*. Vnde colligit, raptum ex amore quidem remotè & consequenter; ex contemplatione verò proximè & formaliter euenire. Quia, cum quis iam per amorem mouetur, iuxta inclinationem suam mouetur; amor enim quædam est nostræ voluntatis propensio ad bonum; atque adeò eius contemplationis, quæ amorem præcedit, proprium est, rapere animum. Itaque de raptu isto spirituali ac mystico hæc est mens D. Thomæ, animum quidem per auxilium gratiæ, hoc est, cogitationem sanctam & congruam, quæ est actus mentis, siue Deum, siue bonum aliud contemplantis, à sensibilibus & terrenis rebus abstrahi, & arripi. Hæc enim cogitatio eundem animum ad opposita pronum & procliuem contra inclinationem & propensionem suam proximè arripit, & ad bonum traducit: ideo raptus ritè appellatur. Nam cum idem animus gratia Dei excitatus prædictum bonum sponte amare & prosequi incepit, iam non rapitur, sed sponte fertur. Raptum istum animæ piæ ad Deum eleganter describit Dionysius Carthusianus in hunc locum. *Trabe* (inquit) *me, id est, da mihi lucem & gratiam contemplationis tam altæ, vt cuncta creata transcendam, & tibi soli inhaeream; sicque abstractus absolutusque ab omnibus, tam vehementer tibi intentus sim, vt ceterorum obliuiscar, & neque me ipsum, nec proprias actiones aduertam*. Quapropter iuxta hunc sensum, cum sponsa, id est, anima iusta & sancta trahi ac rapi se poscit, gratiam vtique excitantem & vocantem flagitat à Deo, qua ipsum ardentius diligere queat, à timore, scilicet ad amorem rapta.

Non solum autem contemplatio ecstasin & raptum facit modo supradicto, sed etiam timor; hic enim cum vehementer animam concutit, ipsam ad ecstasin compellit, seu attonitam ecstasticamque facit. Sic docet S. Thomas *loco citato*, vbi citat Glossam *in Psalm.* 30. ad illa verba, *In te Domine speravi, &c.* in hunc modum: *Ecstasis Græcè, Latine dicitur excessus, aut raptus mentis, qui fit duobus modis, vel pauore terrenorum, vel mente rapta ad superna, & inferiorum oblita*. Et eadem ratio est de timore Dei; hic enim similem ad modum, cum aliquem hominem vehementius afficit, illum quodammodo extra se facit, & stupentibus sensibus attonitum reddit. Rursus alia verba non dissimilia producit Angelicus Doctor ex eadem Glossa super *Psalm.* 115. ad illud, *Ego dixi in excessu meo, &c.* *Dicitur ecstasis, aut raptus, cum mens pauore alienatur, vel aliqua inspiratione reuelationis sursum assumitur*. Ergo ad rem nostram, duplicem traductionem, aut raptum sponsæ supra tradidimus; alium quidem à domo parentum in gynæceum, alium ex gynæceo in cubiculum sponsi: vtrumque in anima contemplari fas est, cum per resipiscentiam ad Deum conuertitur; nam à peccatis, quæ illam sub patria Diaboli potestate, Dei prorsus immemorem tenebant, ad timorem ipsius Dei per primum raptum transfertur modo dicto. Deinde à timore ad amorem per secundum raptum traducitur. Huic expositioni & sententiæ ad stipulatur Patrum doctrina; quatenus locum istum de attractione animæ ad bonos mores, honestamque viuendi rationem per auxilia gratiæ & vocationes, inspirationesque sanctas, explicant; quorum testimonia in Appendice dabo.

Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Adolescentulæ, seu pedissequæ sponfam insequentes, in hoc loco iuxta expositionem mysticam sunt aliæ animæ, quas

quas exemplum sponsæ ad sui imitationem prouocat, aut exhortatione verbi impellit: ita Bernardus, & Honorius, cuius hæc sunt germana verba: *Sponsa sponsi lateri iuncta ingreditur, & post eam famula ingrediuntur; quia perfecti exemplis ac verbo præcedunt, alij imitando sequuntur.* Hæc autem aiunt, *Post te curremus.* Nota exempli maximam vim, quod in hoc loco gratiæ interiùs inspiranti præferri quodammodo videtur. Nam de hac gratia dicitur, *Trabe me.* quibus verbis ipsius gratiæ potestas innuitur, cuius est animam alioqui inuitam, & reluctantem ad probitatem rapere ac compellere. Exempli verò virtus continetur illis verbis, *Post te curremus, &c.* id est, exemplo tuo conciliatæ & allectæ (verba sunt animarum, quas sponsa ad sui imitationem induxit) non inuitæ, aut reluctantes, sed voluntariæ & spontaneæ ibimus post te; nec ibimus tantùm, sed impetu maximo curremus. Quasi dicat, gratiæ resistit, & aduersatur prauitas naturæ in diuersum prona & procliuis; exemplis verò non ita, quia exempla, ipsa etiam natura suadente, & gratiæ obsequente, ad honestatem mouent. Quod non ideo dico, quia exempla sine motu internæ gratiæ ad bonum inducere possint; absit: sed quia huic gratiæ cum exemplis coniunctæ sponte obsequitur naturæ impetus. Sicut naturæ insita est pronitas ad malum, ita etiam eidem naturæ quædam inest ad exempla eorum, quibus cum viuimus & conuersamur, imitanda, procliuitas. Hæc autem pronitatem ad malum facile superans, efficit ne gratiæ interiùs mouentis impulsus, ad honestatem retardet. *In odorem unguentorum tuorum,* id est, famæ atque morum suaueolentia attractæ. Vel *in odore,* id est, eisdem moribus quasi unguentis imbutæ, post te incitato cursu feremur.

Rursus ista plurium animarum, quæ vnâ aliquam animam verbo & sermone ipsius inductæ insequuntur cum pedissequis puellis sponsam sectantibus, comparatio valde idonea est. Quia dictæ puellæ nihil magis curabant, quàm sponsæ placere, & ipsius non solùm vestigia sequi, sed etiam verbis ac nutibus parere & acquiescere. De his enim loqui videtur David Psalm. 122. *Sicut oculi ancilla in manibus dominae suæ,* id est, sicut ancilla aliqua ex his, quæ sponsæ ab sponso traduntur, eius manibus, id est, potestati se tota permittit, ab illa pendens, & nutus illius voluntatemque nunquam non obseruans. Hoc igitur modo anima quælibet erga illam, cuius verbo & doctrina ad virtutem & honestatem inducta est, sese habere debet; ipsam scilicet tanquam dominam colere ac suspicere, ab ipsa pendere, ipsique se totum ancillari quodam obsequio regendam tradere, ac permittere tenetur. *Sicut oculi ancilla in manibus dominae suæ.* Hanc enim, & non minorem potestatem tradit Doctori sermo & doctrina in eos, quos ad probitatem informat.

Appendix superioris expositionis.

Translationem Septuag. & eius expositionem ad mysticum sensum vocare licet, hoc modo, *Ideo adolescentulæ dilexerunt te, traxerunt te.* Adolescentulæ vocantur iuxta hanc lectionem, & sonum allegoriæ, sociæ sponsæ in eodem gynæceo formam colentes, & nuptias cum illa expectantes; & in sensu mystico hoc nomine non aliæ censentur, nisi plures recentes animæ eiusdem instituti ac vitæ sociæ; puta plures alicuius religionis, aut congregationis, & sodalitiij comites. quorum vim & potentiam ad conciliandum adducendumque Deum, significat illud *traxerunt te,* id est, quasi per vim impulerunt, Græcè *ἔλκυσαν,* id est, *deflexerunt,* quod de statera propriè dicitur (vt suprâ notabam) cum lances illius ab æquilibrio dimouentur. Quasi dicat, seueritatem & rigorem iustitiæ tuæ deflexerunt. hanc enim virtutem habet multarum animarum aliquid à Deo obsecrantium conspirans nixus, &c.

Quòd si cum aliis legas, *Ideo adolescentulæ dilexerunt te, traxerunt me,* erit vtique sermo iuxta corticem allegoriæ de aliis adolescentulis pedissequis sponsæ ab sponso traditis, quæ, vt nuper dicebam, significant plures animas, quas Deus sponsus vni alicui iustæ animæ sponsæ suæ, puta Doctori ac superiori, verbo & exemplo institundas, informandasque committit. de quibus prædicta anima sic ait, *dilexerunt te, traxerunt me,* scilicet ad te. Succedat memoriæ harum puellarum munus in nuptiis; hoc enim, vt in sono allegoriæ diximus, erat sponsæ voluntatem quamuis reluctan-tem, ad nuptiarum consensum persuasionem, & obsequio permouere. Hoc igitur persuasum sit Doctoribus ac superioribus, quibus Deus plures animas ad probitatem & docendas tradidit, has scilicet sibi tanquam adolescentulas sponsæ oblatas, vt ipsas

doctrina, & exemplo suo informantes, & ad Deum perducentes, ipsi vicissim ab illis ad Deum afferantur, atque trahantur. Ait enim sponsa, *traxerunt me*. Et sanè hæc esse solet maximè propria doctrinæ utilitas in Doctorem redundans: quia dum auditores ad honestatem traducit, ipsum Doctorem fortiùs ac vehementiùs trahit. Accedit etiam ipsum docendi meritum, cui hoc Deus meritò retribuit, vt Doctorem ex doctrina sua primus proficiat. Eapropter sponsa dicit, *traxerunt me*, id est, animæ mihi creditæ, vt ipsas ad Deum adducerem, ipsæ quoque vicissim ad eundem me pertraxerunt. de hac thesi videndus Diuus Gregorius in *exordio tractat. de Pastoralis cura*.

Eandem lectionem Septuag. non vno modo sancti PP. ad sensum mysticum vocarunt. Origenes sic legit: *Traxerunt te post se*. Atque hæc verba sic commentatur: *Quæcumque anima fuerit erudita primò in moralibus, deinde in naturalibus exercita per illa omnia, quæ in his disciplinis edoceri supra ostendimus, ipsa morum emendatio & eruditio rerum, ac probitas disciplina trahit ad se verbum Dei, & libens quoque trahitur. Gratissimè enim ad eruditas animas venit, & trahi se indulgenter sinit, benignèque concedit.* quæ verba concinunt cum his, quæ supra *vers. 1.* in expositione mystica recensuimus, vbi gynæceum animæ piæ, in quo ad nuptias perfectæ charitatis & iustitiæ sese comparat, exercitationem in naturalibus ac moralibus disciplinis esse affirmavit, quia his exculca ad dilectionem Dei excipiendam, sese adornat. Sed huius doctrinæ, quæ videtur aliquod initium, & præparationem ad gratiam adipiscendam naturæ tribuere, castigationem dedimus loco citato, affirmantes aut Origenem lapsum fuisse, aut de correctione morum ex auxilio gratiæ per Christum, naturali quidem secundum substantiam, supernaturali verò quo ad modum esse interpretandum. Et secundum hanc interpretationem non est inepta gynæcei accommodatio, cui cerè adaptari potest illa duplex translatio, aut traductio sponsæ supra adscripta, videlicet à domo parentum ad gynæceum, & gynæceo ad nuptias: itavt ea, quæ ex vitis ad morum correctionem per gratiam fit migratio, priori translationi respondeat, is verò, qui ex dicta morum emendatione ad charitatem fit transitus, cum posteriori translatione conformis sit. Attegit Salomon, *in odorem unguentorum tuorum curremus*. quæ verba Origenes de cursu proficientium vsque ad statum perfectorum intelligere videtur, in quo animæ post motum quiescunt, & quodammodo immobiles manent. *Quòd si ad hoc aliquando currentes pervenerint,* (verba sunt Origenis) *iam non ambulant, neque currunt, sed vinculis charitatis adstrictæ adherent ei, ne ultra mobilitatis ullus resideat locus, sed sint cum eo vnus spiritus, &c.* Rursus, qua ratione solo odoratu unguentorum Dei attractæ currant illæ animæ, quæ in prædicto statu proficientium sunt; & quomodo item cum ad statum perfectorum deventuræ, eiusdem Dei visum, tactum, gustum & auditum spiritualem indeptæ gaudeant, & delectentur, consuetariè ad dicta ostendit Origenes.

Theodoretus translationem Septuag. aliter extulit, qui sic habet: *Ideo adolescentule dilexerunt te, traxerunt te post se, in odorem unguentorum tuorum currentes*. Adolescentulis pedissequis hæc donat verba, & de illis prout animas in virtute strenuas, & laborem delitiis antepontes, denotant, sic addit: *Amore tuo incensa ad se ipsas redamandas pertrahunt sponsum, aut consequuntur illum insequentes, ac post eum currentes, de quo cursu loquutus est Paulus; Sequor, inquit, si quo modo comprehendam. & alibi: Sic currite, vt comprehendatis. & alio in loco: Bonum certamen certavi, cursum consummaui. Ipsum verò ideo insequuntur, quia odor unguentorum sponsi illos inuitat.* Hæc Theodoretus: quæ Nyssenus, consuetam lectionem retinens, luculentiùs insinuat. Nam postquam eiusmodi adolescentulas descripsit, eas animas in his intelligens, quæ virili robore præditæ infantiam iam excefferunt, & necdum attigerunt senectam, sic de his scribit: *Hæ adolescentule, quæ creuerunt in virtutibus, diligunt sponsi pulchritudinem, & per dilectionem eum ad se conuertunt: talis enim est sponsus, qui amantibus vicissim reddat amorem, ita dicens in persona Sapientiæ: Ego diligentes me diligo.* Hoc sibi vult illud, *dilexerunt te, traxerunt te*. Amor enim noster non tam Deum inuitat, quàm trahit necessitate quadam libera deuinctum vt redamet. Subiiciunt ipsæmet adolescentulæ, *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus, quæ scilicet retro sunt oblita, & ad interiora extensa curremus ad te ipsum, quem nobis ostenderit odor unguentorum.* Hic autem odor nihil aliud est, nisi notitia, & cognitio Dei, quàm illa, quæ Deus in suis creaturis patrauit, & assiduè patrat miracula, veluti spirant & exhalant:

vt paulo antè docuerat idem Nyssenus. Hunc enim odorem carpere, & haurire non quarumlibet, sed vegetiorum ac robustiorum est animarum. Quæ autè sit mens Philonis Carpathij circa prius hemistichium, habes in Appendice superioris versus ad mysticam interpretationem. Illud verò, *Post te curremus in odorem*, &c. sic edisserit: *Cum enim reliquias Martyrum, cum exempla Sanctorum videre, & imitari contendimus, tunc in odorem Christi Iesu currimus, &c.* Hactenus Græci Patres.

D. Ambrosius in hoc loco à translatione Septuag. discessit, & ad vulgatam propiùs accessit, sic enim extulit: *Attrahere nos post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* qui hæc verba à sponsa simul & adolescentulis eius pedissequis dictata voluit, quarum nomine ita inquit: *Attrahere igitur nos ut possimus currere, & odore unguentorum tuorum accipiamus virtutem sequendi. Et quia sponsus velocissimè fertur, de quo dicitur, exultauit ut gigas ad currendam viam; ne fortè derelinquatur in suo cursu sponsa, videns se imparem tantæ velocitati, dicit, Attrahere nos.* Et plura comminiscitur in eandem sententiam, quibus ostendit, sponsam id postulare, vt tunc etiam cum ipsa ac sodales eius quantum in ipsis est, currunt velociter, ab sponso suo Christo diuinorum auxiliorum ope trahantur, quasi aliàs post illum longiùs mansuræ, & cursum illius minimè exæquaturæ sint. quibus verbis ostendit necessitatem diuinæ gratiæ, sine qua natura quantumuis adnitatur, & aspiret, nihil assequitur.

Reliqui Patres Latini locum istum, de hac necessitate gratiæ exponunt. D. Gregor. Papa, *Non currit*, inquit, *qui non trahitur, quia quem diuina gratia non adiuuat, molestia sua corruptionis grauat. Ille autem, qui trahitur, currit; quia vinculum amoris libenter sequens gratiæ roboratus amore sine grauedine obstacula omnia transit.* Itaque ait Gregorius tamdiu animam opus habere vt trahatur, id est, vt quasi illata vi per gratiæ adiutorium adducatur, quoad vsque amare incipiat. Nam vbi amor ipsam tenuit, iam inde ipsa sponte currit. quæ concinunt cum his, quæ ex D. Thoma supra præfati sumus, qui propterea *raptum* animæ sanctæ cogitationi & diuinæ vocationi tradit, non amor; quia cum anima diligit, sponte prosequitur id quod diligit. Rursus in eo, quod Salomon ibi dixit, *Trahere me post te*, & de singulari statim ad numerum multitudinis transit, *curremus in odorem*, &c. sic meditatus est Gregorius. *A singulari ad pluralem transit, quia in dilectione Dei etiam præceptum quod de proximi dilectione nos admonet, inuenit sponsam.* Quia nimirum vbi se à Dei gratia tractam anima sentit, confortes huius beneficii alias animas quærit, quæ simul etiam attractæ ad Deum confluant. Denique diuinorum unguentorum olfactum spirituali discretionis tribuit Gregorius; hanc enim naribus odores carpentibus ac discernentibus similem esse dicit. Cum Gregorio concordat Apponius, qui illa verba similem ad modum de gratia excitante accipit, & per quandam minimè insulsam discipuli ac magistri comparisonem, omnes modos, quibus Deus animas ad se trahit, aperit, ac recenset. Apponio adhæret etiam Angelomus, qui naturæ imbecillitatem sine motu gratiæ exponit his verbis; *Sed quæ dicit, Trahere me, habet aliquid quod vult, habet aliquid quod non valet: natura humana sequi Dominum vult, sed infirmitate superata sicut debet sequi non proualet; videt ergo aliud in se esse quod tendit, aliud in se esse quod non valet, & ideo dicit, Trahere me quasi volentem, nec valentem, sicut Paulus, qui aiebat, Mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati.* Qui non ita intelligendus, quasi natura vires habeat ad volendum, desiderandumque bonum. Absit: sed quia tunc etiam, cum anima ex gratia Dei vult & desiderat bonum, vltèriùs indiget subsequenti gratia, vt illud perficiat. Hæc autem gratia subsequens ideo tractio ritè appellatur, quia omnibus difficultatibus tam internis, quàm externis superatis ad exercitium virtutis pertrahit.

De D. Bernardo aliquid supra dedimus, sed ex pluribus, quæ in hunc locum conuicunt, flores decerpam. Hic ergo *serm. 20.* hæc verba animæ cuiuspiam quamprimum mori, & cum Christo esse desideranti tribuit his verbis: *Quia non potest sequi sponsum liberè quocumque ierit, hinc vox illa lachrymosa gementis: Infelix ego homo, quis me liberabit, &c.* Hinc supplex precatio: *Educ de carcere animam meam, hinc illa etiam sponsæ dolentis vox: Trahere me post te, cupiens dissolui & esse cum Christo.* Sed quodnam huic dissolutioni aptum, natumque tempus sponsa iudicauit? Subdit Bernardus: *Cum videt eas animas, propter quas manere in carne necessarium videbatur, benè proficientes amare iam sponsum, & stare in tuto charitatis, si quidem vbi præmiserat, Propterea adolescentula dilexerunt te, quasi nulla sibi iam subesset causa vltèriùs in vita commorandi, subdit, Trahere me.* Et sanè huic expositioni non insulsè accommodari possunt ea, quæ

de raptu sponsæ ex domo paterna in sono allegoriæ adnotauimus ad hæc verba, ita ver-
 anima non utcunque expectatis naturæ ipsius terminis à corpore quasi sponte reddi-
 tam accipi se postulet, sed ocyus quasi per vim abstrahi & arripi se deposcat. Sed
 illud, *post te*, cum illis Christi Domini verbis confert Bernardus, *Ecce nos reliquimus
 omnia, & sequuti sumus te*, & de sponsa sic inquit, *Sic itaque dilecta tua relictis omnibus
 propter te, concupiscit semper ire post te. Ideo verò precatur se trahi, quia non potest suis
 viribus*. Huic etiam sententiæ accommodari potest raptus sponsæ: nam hæc animi à
 fortunarum & diuitiarum amore & cupiditate separatio, & abstractio meritò raptus
 eiusdem vocari potest. Et infra sic serit: *Trabe me. Et quid mirum si indiget trahi quæ
 post gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum, qui salit in montibus, transilit colles.*
 & iterum: *Trabe me post te; quia satius est mihi ut me trahas, ut scilicet vim qualem-
 cunque mihi aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quàm ut parcens in meo
 me torpore male securam relinquant.* Et appositè ad hæc rationem offert, propter quam
 cum verbo vitur *trahendi*, se solam inducit, *Trabe me*; cum verò verbum vsurpat *cur-
 rendi*, de se simul atque aliis adolescentulis subinfert in plurali, *post te curremus*. *Chari-
 tas*, inquit, *ita postulat; trahimur enim cum tentationibus & tribulationibus exercemur;
 currimus, cum internis consolationibus & inspirationibus visitati tanquam in suaue olenti-
 bus unguentis respiramus. Ergo quod austerum & durum videtur, retineo mihi, ait sponsa,
 & ideo singulariter, Trabe me: quod suauis ac dulce, alijs desidero: video adolescentulas
 delicatas & teneras esse, & propterea mecum volo ut currant, non ut mecum trahantur:
 volo habere socias consolationis, non autem & laboris.*

Quid plura? Si præcitati sermonis initia spectes, facile agnosces, Bernardum, cui
 hæret etiam Honorius *in hunc locum*, per sponsam quæ se trahi postulat, Superioris,
 aut Prælati animam, per ancillas pedissequas, quæ subinde se cursuras pollicentur,
 animas subditorum accepisse. Sed quid inde? Certè sponsa in gynæceo manens tunc
 cum ipsam ad splendidissimas potentissimi Regis nuptias, atque adeò ad Regnum
 transire oportebat, quasi reluctans & resistens ait, *Trabe me*, vel *Arripe me*, id est, per
 vim & raptum ad Regiam tuam transfer; aliter enim in meo persistam loco. Hanc
 igitur sponsam æmulari debent Superiores, Prælati, ac Principes, ut scilicet ad ho-
 nores, magistratus & præfecturas non nisi rapti & coacti assumerentur. Quem ani-
 mum planè ostenderit Christus Dominus, de quo Ioan. Euangel. cap. 5. *Sciens Iesus,
 quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse
 solus*. Ad eum autem, qui hoc modo non nisi coactus & compulsus ad præfecturam
 accedit, obsequentissimæ subditorum animæ aiunt: *Post te curremus in odorem un-
 guentorum tuorum*; id est, non solum tuis parebimus præceptis, cum de tua volun-
 tate certi erimus, sed etiam cum lauerit eam, notis ac indiciis quibuscunque illam
 subodorabimur.

Igitur ad hæc extrema verba, *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus*, ali-
 quid vltèrius ex sanctis PP. adscribere necessum est. De ancillis pedissequis sermo est
 iuxta sonum allegoriæ. Hæ autem inter alià ipsas quoque exteriores corporis facul-
 tates, scilicet quinque sensus adsignificant, ut docet Guilielmus, quæ veluti ancillæ
 & pedissequæ mentem & rationem insequi debent, illi ad nutum obseruentes.
 Cum hac expositione concinit planè explicatio Grauxi *in 1. lib. Reg.* qui nuptias Abi-
 gail cum Dauid allegoricè expendens, ad illa verba; *& festinabat Abigail, & quin-
 que puella ierunt cum ea*, per eiusmodi puellas pedissequas, quas ad nuptias assumpse-
 rat noua nupta, quinque sensus rationi ac menti famulantes intelligit.

Ad hæc Bernardus *in serm. citato*, per dictas ancillas sponsam insequentes omnes
 creaturas intelligere videtur, quæ tunc cum anima, recuperata similitudine Dei,
 quam prius amiserat, ad eiusdem Dei obsequium transit, omnes, liceat sic dicere,
 post ipsam currere, & ipsi ad salutem capeffendam ancillari incipiunt. *Cum anima
 sibi indignum ducit (verba sunt Bernardi) huic labenti saculo conformari, sed reformari
 magis satagit, iuxta Pauli doctrinam, in nouitate sensus sui in eam similitudinem, in qua
 se conditam nouit, tunc certè cogit seculum istud quod propter se factum fuit, versa vice
 mirum in modum conformari sibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tanquam in
 propria naturali forma recognoscentia Dominum suum, cui ad seruiendum creata fuerunt.*
*Unde arbitror illum sermonem, quem dixit de se Unigenitus Dei, videlicet si exaltaretur
 à terra, omnia traheret ad se ipsum, cunctis eius fratribus posse esse communem, quos
 Pater præsciuit, ac prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Quapropter & ego (anda-*
 eter

Hec dico) si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Est autem sensus: vbi ego attractus fuero à Deo, & à terrenis affectionibus ad eius amicitiam & gratiam euectus, reliquas omnes creaturas post me traham, vt ancillari quodam obsequio mihi ad salutem obseruiant.

Angelomus in hæc verba qualiter animæ sponsum sequentes cursum suum explicare debeant, ac quid sit ambulare, quid currere, & quid fortiter currere, prius exponit, & deinde expendens vocem illam *post te*, sic addit; *Vnde benè cum diceretur, curremus, præmissum est, post te: post Deum enim illi currunt, qui Dei voluntatem suæ præferunt. Hinc Propheta voluntatem Dei considerans, & sequens, ait; Adhæsit anima mea post te. Hinc Petro consilium danti, dicitur, Redi post me Sathanas, non enim sapias ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* qui vterius ibi per odorem unguentorum cognitionem ac spem beatitudinis cælestium gaudiorum, quæ animas ad cursum virtutis incitat, intelligere videtur. Bernard. vsque de eiusmodi unguentis integrum sermonem compleuit, quatuor nimirum Christi Domini unguenta commemorans, hæc sunt, *iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio.*

Ambrosius in sermone de his, qui mysteriis initiantur, per odorem unguentorum tuorum, seu vestimentorum (sic enim legit in eo loco) odorem, id est, spem de resurrectione carnis conceptam intelligit: quia nimirum sicut unguenta ad incorruptionem cadauera hominum condire solent, ita etiam gloriæ dotes in resurrectione acceptæ beatorum corpora immortalitate & incorruptione donabunt.

Augustinus lib. 9. Confes. cap. 7. per odorem unguentorum Christi cognitionem miraculorum, quæ virtute ipsius fiunt, concipit. Rupertus odorem unguentorum Dei beneficia ab ipso in homines profecta, esse affirmat. Accinit Basilius in cap. 3. *Isaiæ*, vbi hæc attexit verba: *In Cantico iuencule odoratu percipientes cælestem fragrantiam, nempe misericordiam Verbi Dei, in odorem, inquirunt, unguentorum tuorum curremus.* Adi præterea Hugonem Victorinum, qui de his unguentis longum sermonem contexit eruditionis Theolog. *Miscell. 2. lib. 2. tit. 61.* Lege etiam aliquid minimè insulsum apud Carthusianum in hunc locum.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de B. Virgine.

His quæ diximus suprâ in expositione hypermystica primi versus, planum est B. Virginis Mariæ gynæceum, in quo ad Incarnationis nuptias omnium virtutum unguentis ac pigmentis sese excoluit, non aliud fuisse, nisi eius vitam & conuersationem in templo, vnde ad matrimonium cum Ioseph copulandum, & ad filium Dei suscipiendum, assumpta fuit. Hæc igitur sanctissima Domina & Christi sponsa, in dicto templo quasi in gynæceo iam iam exculta & ornata ad consensum earum nuptiarum, quas cum Christo per Incarnationem copulauit ab Angelo inuitata, verba ista promere putanda est, *Trabe me.* In mentem redeant ea, quæ de raptu sponsæ in sono allegoriæ præfati sumus, vbi illud ex Optato Mileuitano adnotauimus, ideo ritum illum nuptialem sponsas à domo paterna, aut à gynæceo in domum sponsi per vim abducendi in vsu fuisse apud veteres, vt *noua nupta inuita virginitatem amittere videretur* (verba sunt Mileuitani.) Rursus contemplari Mariam Gabrieli ad Incarnationem diuini Verbi, consensum ipsius poscenti sic respondentem. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Et planè agnosces quantum B. Virgo pudori ac virginitati prospexerit suæ, vt proinde fas sit dicere ipsam ad prædictas Christi nuptias, quas virginitatis studio & amore recusare quodammodo visa est, veluti abductam & arreptam fuisse. Aiebat enim Virgo sanctissima, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Horum autem verborum quis sensus sit, tene. *Audi puræ Virginis vocem* (verba sunt Nysseni in Orat. de Christi Natiuitate) *Angelus partum denuntiat, & illa virginitati inheret, & virginitatem angelicæ demonstrationi anteponendam esse iudicat. Interdixi mihi viri consuetudinem, vt virum cognoscere fieri non potest: quo pacto hoc mihi continget? Licet Angelus sis, licet è cælo veneris, licet id quod ostenditur, naturam superet humanam, me tamen virum cognoscere nefas est.* Iam vides quantum in Virgine fuerit virginitatis seruandæ studium: quod non ita dictum

putare debes, quasi Maria de promissione Angelica addubitauerit, vel non crederit; sed, vt communis Patrum sententia tenet, verba illa virginittatis amor expressit. Hinc Bernard. *Homil. 4. super Missus est*, appositè admodum in persona Virginis hæc scribit: *Quomodo fiet istud*, &c. Quasi dicat, *Cum sciat Dominus meus, testis conscientia mea, votum esse ancilla sua non cognoscere virum: qua lege, quo ordine, placebit ei vt fiat istud: si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito: fiat tamen voluntas eius.* En qua ratione Maria se ipsam, quamuis ex amore virginittatis (liceat sic dicere) reluctantem, tamen diuinæ voluntati abducendam rapiendamque permittit ad nuptias Christi, quas per conceptionem eius in utero copulare oportebat. Quapropter aptè dicit, *Trabe me.* Accinit Petrus Damianus in *serm. de Annunciat.* vbi inter alia hæc serit: *Denique Archangelus ait: Gratia plena, quia à Deo electam & præelectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus.* id est, in sponsam suam abducturus.

Alio etiam sensu hic raptus sponsæ Virgini aptari potest, si videlicet humilitatem illius spectemus, quæ nimirum dignitate matris Dei & sponsæ Christi, ac mundi Reginæ se planè indignam putans illam recusare visa est. Ad hunc sensum vocauit Laurentius Iustinianus in *serm. de Annunciat.* illam Virginis turbationem, de qua Lucas ait: *Qua cum audisset, turbata est*, &c. *Turbata, inquit, est, non ex Angelico conspectu, sed ob excellentiam diuini presagij, quod propria illius merita præcellere videbatur. Consuevit enim humilitas sicut semper stare sub se, ita difficile fidem accommodare his, quæ supra eam esse censentur. Reuoluebat ergo Virgo animo singula nuncij cælestis verba, seque metiebatur in se, paruitatem suam, Dei altitudinem, profusamque bonitatem matris consideratione pensabat, nihilque tanti oraculi dignum in se cernens, illud alienum à se putabat.* Et infra: *Prius quanto nuncio turbata fuerat, metuens præ humilitate ambulare in magnis, aut mirabilibus super se.* Hactenus Iustinianus, qui B. Virginem tantum humilitati tribuisse subinde dicit, vt dignitatem Matris Dei non nisi eiusdem omnipotentis Dei obedientia coactam acceptasse affirmet. Et sanè Mariæ vota ac desideria non fuerant eatenus in Dei parentem eligi: id enim ne desiderare quidem per animi demissionem audebat: sed hoc tantum impensè optabat, vt scilicet, eius, quam Deus Matrem suam futuram prænouerat, famula & pedissequa fieret, vti supra *vers. 1.* in expositione hypermystica diximus, vbi, vt alia omittam, ex Ioanne Pico Benedictino hæc dedimus verba: *Vnigeniti filij Dei genitrici ancillari desiderio, non ipsum à me procreari volo.* Cui accinit etiam B. Amadæus *suarum Reuelationum cap. 9. §. 30.* qui B. Virginem, cum in templo degeret, hæc apud se passim voluere ac promere solitam, Gabriele sibi dictante refert: *Vtinam viderem illam felicissimam matrem, utinam ancilla ancillarum suarum esse possem.* Cumque aliqua ex sodalibus eius ex aliarum consilio sic ipsam aliquando affata esset: *Beata Maria, omnes Sacerdotes, & puella sancta, quæ hic in templo manent, & quæ cognouerunt gratiam quæ data est tibi, dicunt te futuram esse matrem Messia.* Sic illam respondisse, ex Archangelo didicit Amadæus: *Cupere tantum donum cuilibet puella præsumptio est, habere illud dignitas summa est; nulla est digna, ego equaliter ex me indigna; ipse solus sibi dignam matrem facere potest, sed utinam dignaretur ex minimis ancillis genitricis suæ alteram me facere.* Ad hunc modum B. Virgo de se ipsa sentiebat, cuius tanta erat deiectio animi, vt mater fieri non modò non cuperet; sed quodammodo etiam ex humilitate detrectaret: hoc enim sonant illa verba, *Non ipsum à me procreari volo.* Quapropter merito ad præfatam dignitatem abductam, & quasi per vim raptam se fuisse dicit illis verbis, *Trabe me*, seu *arripe me*; eiusque assumptionem in matrem & sponsam Christi siue propter amorem virginittatis, siue propter eximiam humilitatem, valdè appositè raptum appellare licebit. Atque adeò iisdem verbis, quibus Salomon iuuenem affatur *Proverb. 4.* illi suadens, vt sapientiæ nuptias ambiat, Dei quoque filium alloqui fas erit: *Arripe illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus.* id est, Mariam puellam sanctissimam virginittatis & humilitatis amore quodammodo reluctantem in matrem ac sponsam tuam præcipuam ex natura ipsius gremio rape, ac tibi adiunge: si enim ipsam duxeris, magnam gloriam, & nominis tui exaltationem inde referes, &c.

Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Verba sunt ancillarum & pedissequarum. Honorius ergo in *Sigillo B. Mariæ*, Hailgrin. Guilielm. Alanus, & Dionysius per dictas B. Mariæ ancillas omnes animas Christianorum capiendas putat, quot

quot ipsius Virginis vitam & mores imitantur. Ioannes Picus per dictas ancillas solas intelligit virgines : vtraque expositio idonea est. Si ergo præmissa verba omnibus in vniuersum fidelium animabus accommodentur, sensus erit, *Post te curremus*, id est, te vnam ad nuptias Regis pro meritis assumptam ceu pedissequæ & ancillæ insequemur, vitam & mores tuos sectantes. *In odorem vnguentorum tuorum*, id est, tuarum virtutum fragrantia allectæ, vel (vt alij Codices habent) *in odore vnguentorum tuorum*, id est, eisdem virtutum vnguentis delibutæ, quibus tu vsa es, & quæ nobis propter te vnam donata sunt. Succedat memoriæ id quod supra in sono allegoriæ præfati sumus; eas nimirum puellas, quæ sponis tradebantur, vt illis obseruirent, atque ipsas stiparent, iisdem vnguentis & pigmentis formam suam excolere solitas, quibus sponsa suam curabat; quæ vnguenta & pigmenta ipsis vnus sponsæ gratia donabantur, vt nimirum cultæ & ornata ipsammet sponsam cum decore comitarentur, & suo famulatu honestarent; vt colligitur ex libro Esther cap. 2. Sic igitur apud te statue, omnes omnium fidelium animas B. Mariæ ancillas & pedissequas esse: quapropter vt huius officij ac muneris partes expleant, omnium virtutum vnguenta & pigmenta, quibus illa animam suam excoluit, ipsæ sibi adhibere debent. Si quæ autem hisce vnguentis & pigmentis vsæ sunt, hæc vtique sibi non sua tantum, sed B. Virginis gratia concessa fuisse existiment; hoc est, ipsius Virginis meritis ac precibus impetrata omninò credant. Rursus id sibi persuadeant, non alia ex causa tot Sanctorum ac iustorum animas copiosa gratia, donis pluribus, ac numerosis virtutibus exornari & expoliri à Deo, nisi vt Mariæ sponsæ suæ vnicè dilectæ decentem comitatum exhibeant.

Præterea illud, *post te curremus*, ad diuinam prædestinationem referri potest: constat enim ipsam primam ante omnes alios prædestinatos electam, ac prædestinatam fuisse, vt in nostra defensione immaculatæ Conceptionis non perfunctoriè probauimus cap. 2. & 3. & 24. Quia cum omnes alij, quos Deus præsciuit, & prædestinauit per ipsam, id est, meritis illius congruis electi fuerint, debuit certè ipsa prius eligi ac prædestinari. hanc enim vim habent consequentia verba; *in odorem vnguentorum tuorum*, ideo nimirum post te ad salutem prædestinatæ, ad eam similiter obrinendam contendemus; quia ea, quæ ex te refluunt ac redundant vnguenta, id est, merita & beneficia, nos ad illam perducent. Ad hunc sensum traduximus eo loci verba illa Psalm. 44. *Adducetur Regi, virgines post eam, proxima eius afferentur tibi.* quæ cum his cohærere videntur.

Illud præterea subiicere libet, sanctissimam Deiparam nihilo diffidere ab illa pulcherrima & prudentissima matrona Abigail, quæ cum duceretur ad nuptias David, quinque puellas pedissequas post se attulisse, fertur 1. Regum cap. 12. Sic enim ibi legis: *& festinabat Abigail, & quinque puella ierunt cum ea.* Nam similem ad modum Maria cum ad nuptias Christi prior veniret, totidem puellas post se adduxit, hoc est, quinque illas prudentes virgines, quæ ornauerunt lampades suas, & cum sponso & sponsa introierunt ad nuptias. In quibus sancti Patres omnium prædestinatorum vniuersitatem contemplari consueuerunt. Lege plura loco citato.

Quòd si per has pedissequas adolescentulas, quæ post Sulamitem se cursuras promittunt, virgines tantum intelligas pudicitiam colentes, accommodata erit expositio Ioannis Pici, cuius hæc sunt germana verba: *Quidnam præterdit isthac orationis instantia, vt post sponsum trahi peroptes, cum ais, Trahe me? Quid demum te currentem currentibus inseris, quæ præcurrentis brauium prædicaris apprehendisse, cum dicunt, post te curremus? Certè paupertatem sine consilio, virginitatem sine exemplo, Euangelica obedientie sublimitatem sine præcepto ante Euangelium, Christo nondum illapso, exhibuisti; vt proinde in his ducem te potius mirari debeamus, quàm comitem aliorum.* Missa facio quæ de paupertate & obedientia intermiscet Picus, in quibus B. Virgo omnibus aliis paupertatem & obedientiam Euangelicam profitentibus se ducem obtulit: quarum etiam, si credimus aliis bonæ notæ Authoribus, in templo degens votum nuncupauit, promittens scilicet paupertatem Deo, & obedientiam Pontifici, ac Sacerdotibus, qui per ordinem vicis suæ templo inseruirent.

Ad virginitatem contendo, quia longè certius est B. Virginem hanc nuncupato voto primam sponondisse, & omnes alias quotquot virginitatem deinceps aut seruauerunt, aut promiserunt, ipsius exemplo inductas fuisse. Ait ergo Virgo sanctissima, *Trahe me.* Verbum istud necessitatem & coactionem adsignificat, non aliam certè,

nisi illam, quam per votum & promissionem sibi ipsi Maria imposuit. De voto isto virginitatis, quod Virgo in templo degens, prima deprompsit, frustra hic multis; illud certè adstruunt Bernard. *homil. 4. super Missus est*, Augustin. *in lib. de sancta virginit. Beda in cap. 1. Luca*, Albert. Magnus *in Mariali cap. 82*. Bonavent. *lib. 1. Pharetra cap. 5*. Antonin. *4. part. sum. tit. 15. cap. 20*. Rupert. *in 3. Cant. vt alios dimittam*, quorum censum agere esset valde longum. Vnius Amadæi testimonium subscribam, qui in præcitato suarum Reuelationum loco, Gabriele Archangelo dictante, affirmat, B. Virginem in ipso templi aditu cum primùm ante Sacerdotem comparuit, hæc ante alia verba expressisse: *Voneo perpetuam Deo, coram te Pater tot testibus hic adstantibus, virginitatem; vt eam enim voueam, ipse inspirauit me* (prima enim solemnitatem huius voti edocuisse videtur.) Id verò planè significat vim maximam, qua Spiritus Dei ipsam penitus egebat, impellebatque ad votum istud emittendum: vt proinde non solum *tracta*, sed etiam *rapta* ab Spiritu sancto dici possit. Raptus enim non tantùm vim, sed etiam anticipationem temporis notare solet. Sapien. *4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, id est, ocyus, & ante tempus sublati de medio. & cap. *14. Cui sibi rapti filij fecit imaginem*. & *Iob 27. de hypocrita diuturnam vitam sibi pollicente, Rapiet*, inquit, *eum de loco suo*. Eodem sensu Virgo ad virginitatem rapta est, non solum propter necessitatem quam sibi ipsa voto concepto imposuit, sed etiam propter celeritatem, quia nimirum in templi aditu, cum triennis adhuc esset, virginitati se mancipauit. Taceo aliorum sententiam, qui has trium annorum moras ægrè ferunt; atque adeò votum istud à B. Virgine in suæ conceptionis priori momento emissum, & in templo deinde non quidem conceptum, aut nuncupatum, sed manifestatum volunt. Ea nimirum inducti ratione; quia sicut puritas animi per confirmationem in gratia, ita etiam puritas corporis per votum virginitatis in eo instanti constabili debuit.

Vterius eo sensu Mariam ad virginitatem tractam & raptam dici posse affirmat Picus, quia prima, & sine exemplo votum illius Deo nuncupauit. Ita Bernardus *homil. 4. super Missus est. Virgo, non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habebas, nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus tibi prius factus est magister, quam filius*. & D. Bonavent. *lib. 1. Pharetra cap. 5*. sic scribit: *B. Bartholomæus, vt habetur in Legenda, hæc dixit: Prima inter feminas constituit in corde suo, vt diceret Deo: Domine, offero tibi virginitatem meam, cum hoc à nullo homine didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata fuisset*. Quia ergo prima & sine exemplo ad virginitatem ascita est, ideo *rapta* dicitur Maria. Rapiebatur certè sponsa ritu veteri ex matris suæ gremio, aut ex domo, vt in sono allegoriæ obseruauimus: atqui fœminarum omnium communis mater alia non est, nisi natura ipsa, quæ cum sponte ad sui conseruationem nunquam non intendat, generationem semper appetit, atque adeò filias suas fœminas omnes nuptui libenter dat, vt per filiorum procreationem seipsam tueatur. Huic ergo naturæ & communi matri Maria per votum virginitatis meritò erepta dicitur, non solum, quia contra impetum, & propensionem naturæ generatio inhibita est, sed etiam, quia prima & sine exemplo ad virginitatem profitendam ascita fuit; atque adeò eius assumptio ad hunc statum naturam quasi improuidam, & de hac re minimè cogitantem oppressit, utpote quæ huius rei nullum antiquius exemplum, aut documentum tot retro sæculis obseruarat. Eapropter dicit, *Trahe me, seu arripe me*. Subiiciunt autem aliæ virgines eius pedissequæ: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum*, id est, tuorum exemplorum sua uolentia incitata, haud cunctabundæ te insequemur. Sanè omnes alias virgines vnus Mariæ exemplo ac meritis ad virginitatem seruandam incitatas, communis fert sanctorum Patrum doctrina. Ad hunc sensum transfert Nicetas Nazianz. Scholiastes *in Orat. de Natiuitate*, illa perquam similia *Psal. 44. verba: Adducentur Regi virgines post eam*. quibus ita subtexit: *Christus ex virgine, mulieres virginitatem colite, vt Christi matres esse possitis*. De hoc primatu virginitatis B. Mariæ, & qualiter ipsa reliquis virginibus pudoris seruandi autrix & causa extiterit, videndus Canisius *lib. 2. cap. 14*. & Suarez *3. part. tom. 2. disp. 6. sect. 3*. & alij passim. Illud proprium huius loci quod ait, *post te curremus*, aliqui ad copiam & multitudinem referunt; quasi dicant, densis, conferisque agminibus ad te veniemus. Plures ad voluntariam virginitatis sponsonem, vt sit sensus, exemplo tuo inuitatæ & inductæ; haud erit opus nos trahi, aut compelli; quinimo libentissimè voluntate nostra nos impellente curremus. Sed cur, inquires,

inquies, Maria ad virginitatem rapi, vel trahi, aliæ verò virgines currere dicuntur? Certè Maria nihil vnquam in se habuit quod virginitati obsisteret, non fomitem peccati, non aliquos appetitionis inordinatos motus; reliquæ autem virgines plura peccati incitamenta, carnis stimulos, ac membrorum inordinatas leges assiduò circumferunt, quæ virginitati repugnant. Cur ergo non potius istæ quasi coactæ trahi, & Virgo sponte currere dicta est? Quantum valuerit ad alias virgines prouocandas B. Mariæ exemplum, id ipsum (me iudice) facile declarat. Tantum enim apud illas potuit huiusce exempli vis, vt illius stimulos & incitamenta sentientes, ipsos carnis stimulos & peccati incitamenta ne senserint quidem: Maria verò cum exemplo caruerit, hoc certè non potuit non illam tantisper retardare, donec diuinæ voluntatis nutum manifestissimè agnosceret: ideo Maria trahi, reliquæ virgines sponte post illam currere feruntur. Attegit Salomon,

In odorem vnguentorum tuorum. Horum exemplorum notitia vnguentorum odor dicitur. Redeant illa verba Bernardi, *Nec consilium, nec exemplum habebas, nisi quòd vnctio docebat te de omnibus.* Huius ergo vnctionis odorem carpentes aliæ virgines post illam ocyùs contenderunt: vel iuxta illam translationem, *in odore vnguentorum tuorum*, eodem scilicet vnguento imbutæ, (luculentius dixerim) eadem qua tu virginitate conditæ; hæc enim meritò vnguentum appellatur, quia carnem nostram mortalem à corruptelis vendicat, & incorruptione perpetua donat.

Libet etiam hîc aliquid ex naturæ ipsius penu desumptum adscribere, quod tradunt Cornelius Medicus *lib. 8.* Auicenna *in tract. de nocumentis*, & alij Medicorum principes, ac experientia etiam ipsa suadet, scilicet fœminas puerperas bonis odoribus nunquam iuari, sæpiùs tamen lædi; itavt nonnumquam ad defectionem animi, aliquando ad abortum boni odoris vehementia illas adducat: contra verò virgines eisdem bonis odoribus semper roborari, & vegetiores reddi. Rationem huius experimenti Medicis relinquo. Appositè igitur ad naturam ipsam in virginum persona Salomon ait, *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, id est, virgines cum fimus, & immaculati pudoris studiosæ tuorum vnguentorum fragrantiam captaturæ, velociùs te insequemur, vt ex illis proficiamus, iuuemur, ac roboremur. Vel *curremus in odorem vnguentorum tuorum*, id est, mora virginum tuorum aromatum odore confortatæ & vegetiores factæ, sine fatigatione te insequemur, siue per aromata ista odorifera eiusdem Virginis exempla & mores, siue alias, quæ ab illa assiduò spirantur, gratias intelligas.

Appendix superioris expositionis.

IN hac interpretatione hypermystica de Deipara locum etiam habet translatio Septuaginta, *Ideo adolescentula dilexerunt te, traxerunt te.* siue, vt alij Codices habent, *dilexerunt te, traxerunt me.* Probabiliori Theologorum opinione celebratur illa doctrina quæ docet, Incarnationi, atque aduentui Christi Domini si substantiam illius spectemus, ex communi peccato occasionem oblatam; accelerationem verò eiusdem Incarnationis sanctorum Patrum meritis ac precibus exoratam. Itaque seriò ac verè affirmare licet, Christum ab hominibus adductum & tractum in hunc modum, quia nimirum eorum peccata tanquam occasio substantiam aduentus eius; merita verò & preces accelerationem & maturationem ipsius causerunt. De Virginis autem creatione & productione paria sentienda esse fusè admodum docuimus in nostra defensione immaculatæ Conceptionis à *cap. 20. vsque ad 25.* vbi seriò affirmavimus, Beatam Virginem similem ad modum occasione peccati, & in remedium illius conditam, itavt si hoc abesset, non aliter intra possibilem creaturarum numerum maneret, quàm ipsa humanitas Christi. Vtèrius etiam consuetudinè diximus, antiquos Patres & ipsius B. Virginis parentes non quidem eiu s substantialè existentiam, sed accelerationem illius, & quod ex ipsis procrearetur, precibus ac meritis suis obtinuisse. Ergo per adolescentulas illas antiquorum Patrum animas intellige, atque ipsam Virginem hæc ferentem audi, *Ideo adolescentula dilexerunt te, traxerunt te*, id est, propterea animæ illæ veterum Patrum te è cœlo ad terras aduocauerunt & compulerunt, quia scilicet per sua peccata tuæ Incarnationi & aduentui occasionem dederunt, & per merita item sua accelerationem eius causerunt. Vel aliter, *dilexerunt te, traxerunt me*, eodem sensu, peccatis videlicet, ac meritis procreationi & conditioni

ditioni meæ, & eiusdem accelerationi occasionem & causam offerentes. Quantum verò hoc ad gloriam & excellentiam Virginis faciat, quatenus hoc solo iure à peccato originali, & à debito illius immunis fiat, & nostræ redemptionis cum Christo, causa ex congruitate meritoria fuit, & aliis etiam nobilissimis prærogatiuis gaudet, vberrius diximus loco citato. Vltèrius addo illud, *traxerunt me*, non solum cum respectu ad prædestinationem Dei exponi posse modo iam dicto, sed etiam cum ordine ad voluntatem ipsius Mariæ. Nam cum Deus ad Incarnationem filij sui Marianæ voluntatis nutum spectauerit (vt communis tenet Patrum consensus, ad illa verba Luc. 1. *Fiat mihi secundum verbum tuum*,) nihil fortius ad eum consensum Mariæ voluntatem attraxit, quàm amor impensus, & desiderium vehemens salutis totius generis humani, quo animus illius ardebat. Huic autem expositioni perbellè aptatur significatio germana verbi *είλκυσάν με*, quod hîc subest in translatione LXX. & sonat, *deflexerunt me*, & de statera propriè dicitur, cum in alteram partem detorqueatur. Cogita ergo Mariæ voluntatem tanquam stateram exactam, quam nimirum amor pudoris humilitatis pondus, & suæ indignitatis cognitio in eam persuasionem flectebat, vt dignitatem matris Dei, & præstantissimas Spiritus sancti nuptias quomodo recusaret. Hanc igitur voluntatem in eam partem libræ ad instar propensam, pondus amoris erga genus humanum, & desiderium salutis nostræ in oppositum detorsit, & illa verba vt promeret coëgit, *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Hanc vim habet illud, *Adolescentule traxerunt me*, vel *deflexerunt me*, id est, amor & miseratio illarum in consensum meæ exaltationis compulit. Et quia puellarum pedissequarum alterum munus in nuptiis erat sponsam ad nuptiarum consensum adducere, vt in sono allegoriæ præfati sumus, ne id quidem desiderabis in Maria. De hac thesi feliciter Bernardus in homil. 4. super *Missus est*, vbi inter alia prædictas *adolescentulas*, id est, antiquorum Patrum animas, sanctam Virginem ad hunc consensum inuitantes producit, his verbis: *Expectamus (inquit) nos verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis: & ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur si consentis. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso; hoc Abraham, hoc David: hoc ceteri flagitant sancti Patres: hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Neq; immeritò, quando de ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam, & totius generis tui. Denique vt amor pudoris, & humilitas quæ suo pondere Mariæ voluntatem in oppositam flectebat partem, huic amori ac studio salutis humanæ cederet, post pauca subdit Bernardus: *Quid tardas? Crede, & confitere, & suscipe; sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. In hac sola re ne timeas Virgo prudens presumptionem, quia etsi gratia in silentio humilitas & verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria.* Hactenus Bernardus.*

Rupertus locum istum de Maria intelligit, Elisabetham consobrinam suam inuisente: qui tam illa verba, *Trabe me post te*, quàm illa, *curremus in odorem*, &c. à Virgine dicta sentit. Sic enim scribit: *Pretiosum erat unguentum, magnum erat beneficium quod Dominus dederat sterili ad conceptum tanti viri, tanti ac talis unguenti odorem perceperat, cum talis ac tanti beneficij famam, siue nuncium ab Angelo acceperat. Trahebatur ergo post Dominum femina desideriorum: trahebatur & currebat in odorem unguentorum talium; & ipsum currere, id est, in montana cum festinatione abire, erat dicere: *Trabe me post te; nam qui veraciter diligit, vt trahitur, & trahi cupit.* Sed hæc è longinquo ascita videtur, quia nihil nuptiale sapiunt.*

Aliter Honorius Augustudunensis; qui locum istum sic versat: *Virgo dicit ad filium: *Trabe me*, scilicet ad exercitium virtutum. Maria enim non didicit à filio suo cælos creare, sed humilitate & mansuetudine radiare.* Et sanè non insulsè huic expositioni inferuit verbum illud, *Trabe me*, si sentias cum D. Thoma, & aliis sapientissimis Theologis, qui vt defendant, confirmationem in gratia qua Virgo vel ab Incarnatione Verbi, vel ab instanti Conceptionis donata fuit, affirmare non dubitant eidem à Deo aliquam virtutis prosequendæ necessitatem impositam, ne scilicet voluntas eius ad opposita vitia aut propendisse vnquam, aut nutasse dicatur. Et licèt ab his dissensias, & cum illis potius conspires, qui nihil necessitatis ad prosequendam virtutem Marianæ voluntati impositum volunt, sed confirmationem eiusdem in gratia, in diuinam protectionem, & in auxilia gratiæ referunt, quibus assiduò præuenta ad virtutem amplectendam, & peccata vitanda per singula momenta congruè excitabatur,

tur, & in cōtinuum & nunquam intermissum exercitium amoris Dei non ineptè accommodabitur illud, *Trahe me*, vel, quod idem est, *rape me*. Tanta enim & tam continua excitatio Dei ad bonum, & tam perpetuum exercitium amoris Dei meritò raptus quidam dici potest, quatenus illius animam ad superna auocatam & abstractam, ad terrena adiuci atque demitti nunquam sinebat. Nam, vt aliàs ex D. Dionysio obseruauit, *est utique raptum & ecstasim faciens diuinus amor*.

Rursus idem Honorius, Cardinal. Hailgrinus, Alanus, Guilielmus, quibus hæret etiam Carthusianus, præfatum locum de Assumptione B. Mariæ in cœlos, capiendum esse affirmant. Ex quibus alij alia illius accidentia cum lepore expendunt. Guilielmus coniungit illa verba, *Trahe me post te*, & expendens illud *post te*; *Non inquit, ait, Trahe me tecum, sed, Trahe me post te, quo charitatem suam erga genus humanum manifestissimè demonstrat. Non enim petit simul cum filio cœlum ascendere, quia licet multo tadio se in terris afficiendam sciret absente filio, sua tamen Ecclesia commodis postponerebat, & uolebat adhuc rudi deesse sermonibus suis, de mysterio Incarnationis plenius confirmandæ, & exemplis ad spirituales profectum excitandæ.* Sic Guilielmus. Alanus verò *trahendi* verbum non minus falsè exponerat. *Norat (inquit) desiderium sui, quod Ioanni sibi commissio, quod Apostolis reliquit, quod toti Ecclesia erat morte sua relictura. Iam animo motus illos misericordiam piamater sentiebat, qui velut brachijs erant retenturi. Vellet utique esse cum filio, & nollet à filij membris auelli: cunctabatur nimis, & quid eligeret ignorabat. Nam & esse cum filio sibi multo melius, & permanere in carne adhuc necessarium videbatur, propter filios. Ideo id definire nolens, ac totam se filio permittens, aiebat: Trahe me. Quasi dicat: Dum tibi placuerit, ô Iesu fili mi, ex hac mortalitate ad immortalitatem transire me iube: sed tamen scias velim, quòd quodocunque id iusseris, transitus meus erit tractio, ac violenta quædam auulsio, raptusque ab his, quos impensè diligo, & quibus peramanter adhæreo. Dionysius Carthusianus ad ardorem, siue æstum animi, quo Virgo Beata ad cœlum assumi gestiebat, refert verbum *trahendi*; & inter alia sic serit: *Instante verò sua assumptione, diutius separationem non ferens, affectuosissimè proferebat hæc verba, Trahe me. Ideo tunc per Angelum denuntiavit ei filius quòd statim assumeretur.* Iuxta quem, *trahendi* verbum magnam quandam præcisam moris omnibus, celeritatem assumptionis notare videtur: sicut de verbo *rapiendi* suprâ dicebamus. Non nemo etiam in hoc verbo eam diuersitatem contemplatur, quæ inter filij ascensionem, & matris assumptionem intercessit: quia nimirum filius propria virtute cœlos inscendit; mater verò aliena. *Ideo enim (inquit) trahi se poscit, quia per se ascendere non valebat.**

Rursus idem Carthusianus illis verbis, *Trahe me*, id postulare dicit, vt auxiliis Dei fulta per gradus virtutum ad maiorem profectum ascendat. Quasi dicat: *Trahe me post te*, id est, *Tu Deus & fili ac sponse meus præcordia anima mea indefinenter allice, & applica tibi cum maiori profectu, cum calidiore affectu, & cum contemplatione sublimiori.* Sic Carthusianus, qui illa etiam verba, *curremus in odorem*, &c. eidem Virgini cum Ruperto tribuit. Illius verò sententia sic illustrari potest. Id certè B. Virgini cum aliis iustis commune, quòd charitatis, contemplationis, & aliarum virtutum exercitio, indies proficiebat: illud verò ipsi proprium, quòd cum alij per suos gradus à primo & deinceps ad perfectionem contendant; illa fanè in suæ Conceptionis primo instanti, singulari Dei beneficio ad tam excelsam perfectionis gradum assumpta est; ad quem nulla antè, aut deinceps creatura per totum vitæ decursum pertingere potuit. Ergo cum relatione ad hunc gradum appositè admodum illius nomine Salomon dicit, *Trahe me*, vel, quod tantundem valet, *rape me*. Ille enim propriè & germanè raptus dicitur, qui spatium quod pertransit, non sinitur pedibus metiri: sicut de Philippo scribit Lucas Act. 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum.* & Paulus de se ipso, *Raptus est in paradysum*. Hoc igitur sensu B. Virgo dicitur *tracta*, vel *rapta*, quia subito non quidem emensis, sed superatis inferioribus gradibus ad sublimem valdè perfectionis mensuram per infusam gratiam assumpta fuit. Eadem verò cum relatione ad alios gradus virtutis ac perfectionis, quos exercitio virtutum sibi peperit, statim addit: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, &c. *Constat enim (verba sunt Carthusiani) Beatissimam hanc præ vniuersis cursu profecisse celerrimo, & spiritualium odore charismatum allectam indefessè ad totius beatitudinis fontem aspirasse, ac festinasse.*

De verbis istis extremis, *curremus*, &c. plura diximus suprâ in expositione nostra: aliqua in hac Appendice interseruimus. Illud hætenus indictum, quòd Guilielmus hæc

hæc verba de Apostolis per totum latè mundum excurrentibus ad Christi prædicationem, & notitiam spargendam, videtur exposuisse. Nam cum Virgo Maria non cum filio, sed post filium trahi postulasset, ut ipsi Apostolos Incarnationis mysteria edocere integrum esset: iidem certè Apostoli à Maria edocti, & informati statim subiiciunt: *Curremus in odorem, siue in odore unguentorum*, id est, eius vinctio- nis, qua te Spiritus sanctus de omnibus erudit (iuxta illud, *sed vinctio docebit vos de omnibus, &c.*) participes effecti, totius mundi percurreremus ac peruolabimus spatia.

Alanus hæc verba Virgini tribuit, quæ nimirum se cursuram affirmet, captans incarnati Verbi odorem. Sed qualis odor iste? Ille fortasse, quem Virgo ipsa ad Bearam Brigittam *Reuelat. lib. 1. cap. 10.* Angeli annuntiationem sibi factam describens, renuntiavit his verbis: *Cum hoc miror, vidi tua mirabilia; vidi namque sydus, sed non quale fulget in cælo: vidi lumen, sed non quale illud, quod luset in hoc mundo: sensi odorem, sed non qualis herbarum, vel aliquid tale, sed suauissimum, & ineffabilem, quo tota replebar, & præ gaudio exultabam. Et statim apparuit ante me Angelus, dicens: Ave gratia plena, &c.* Sed huiusce unguenti expressiorem notitiam nobis exhibet Damascenus *Orat. 2. de Natiuit.* ubi sic scribit: *Nares Mariæ unguentorum sponsi odore delinuntur, quod quidem diuinum unguentum est sponte exhaustum, atque humanitatem suam augens. Mitto alia leuiora.*

Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

EXPOSITIO PROPHETICA de Ecclesia.



V I V S loci propheticus sensus petendus est tum ex his, quæ diximus supra *vers. 1.* tum etiam ex illis, quæ præfati sumus in *Isagoge cap. 5. §. 1. 2. 3. & 4. & cap. 7.* Pergam per singula eodem ordine, quem in sono allegoriæ seruavi, *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Si ergo sonum verborum sequamur, & verbum illud, *Introduxit me*, ad tempus præteritum referentes de prima translatione sponsæ in gynæceum intelligamus. Quodnam fuerit olim gynæceum Ecclesiæ diximus copiosè *ad vers. 1.* in prophetica expositione illorum verborum, *Quia meliora sunt vbera tua vino, &c. & in cap. illo §. 1.* ibi enim fusè probauimus gynæceum Ecclesiæ fuisse legem Moysis & legalium obseruationum vsum, atque adeò nihil hîc vltèrius addendum cenfeo.

Si autem illud verbum *introduxit*, pro *introducat*, vel *introduc*, à Salomone subiectum dicamus iuxta triplicem sensum nuper in allegoriæ sonitu oblatum; triplex quoque interpretatio prophetica aucupari solet. Si enim per cellaria penum, & thesaurorum supellectiliumque apothecas accipiamus; atque adeò sponsa, cum ait, *introduxit*, seu potius *introducat me*, earum claues sibi quamprimum tradi postulet, ut in possessionem, & communionem rerum, aut copiarum mariti sui illarum traditione mittatur, sensus certè propheticus non alius erit, nisi ille, quem Ambrosius & Philo nobis obtulerunt verbis supra citatis; quæ nunc denuò expendenda sunt. *In cubiculum autem Christi induceta est Ecclesia, non iam quasi tantummodo desponsata, sed etiam quasi nupta; nec solum thalamum ingressa, sed etiam legitima clauis copula consecuta.* qui paulo post eiusmodi claues de scientia & cognitione diuinorum interpretatur, per quam Ecclesia omnia Sacramenta & mysteria fidei referat. Sic enim scribit: *Introduxit eam Rex in omnia mysteria, & dedit ei claues, ut aperiret sibi thesauros scientia Sacramentorum.* Verba Ambrosij Lucam redolent *cap. 11.* ubi ex persona Christi ad Scribas hæc dicat: *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, & ipsi non introiistis; & eos, qui introibant, prohibuistis.* quem locum idem Ambrosius sic extulit: *Qui abscondistis clauem scientiæ.* Lucam verò interpretatur Matthæus *cap. 22.* *Væ autem vobis scriba, quia clauditis regnum cælorum ante homines: ipsi enim non intratis, & introeuntes non finitis intrare.* quibus verbis iuxta communem expositionem Christus Dominus scribas & Doctores legis ideo insectatur, quia de his, quæ ad salutem necessaria erant, plebem minimè informabant, neque ipsi etiam eadem opere comple

complebant : atque adeò ipsis ad salutem minimè intrantibus , reliquis etiam introcundi copiam adimebant.

Sed , vt de huius loci germano sensu edoceri queas , velim animaduertas , Doctores Hebræorum , quos illi Rabinos vocitant , olim in sua initiatione annulo donari solitos , sicut etiam hodie vsu venit in renuntiatione Doctorum Theologorum , & Iurisperitorum apud plerasque Academies , vt docent Cassanæus *in Catalog. gloria mundi, part. 10. consid. 36.* Lucas de Penna *in l. vnica, C. de Præf. Lorin. in cap. 1. Epist. S. Iacobi.* Et sanè Hebræorum magistros in sua inauguratione annulum accipere solitos , tradit Serarius *in lib. qui inscribitur, Rabini duo, cap. 21.* ex Epiphano contra hæreses *lib. 1.* & Origene *homil. 24. in Mattheum* , vbi colligens ornamenta , quibus insigniti incedebant Rabini , sic ait : *Itaque ex phylacterijs & sibrjs ad ostentationem eorum , qui vanas glorias concupiscunt , & ex iactationibus propter pompam , & ex vestimentis , & annulis , & calceamentis manifesti sunt , qui volunt vocari ab hominibus Rabbi.* Simile quidpiam habet Epiphanius . Cùm igitur olim , vt in sono allegoriæ monebam , annulus esset pro clauē , valde mihi probabile est , Christum Dominum ad prædictum annulum , quem in notam suæ dignitatis præferebant Rabini , adluisse , cùm ait : *Va vobis Iurisperiti , quia tulistis clauem scientiæ , &c.* Infortunati vos , ô magistri legis ; quia cùm annulum digito insertum gestetis , significantem vobis traditam esse clauem scientiæ , eam certè nec ad referenda aliis veræ sapientiæ mysteria adhibetis , nec vtimini illa , vt ad salutem vos ipsi ingrediamini . quibus verbis (nisi fallor) Christus Dominus Phariseus inculcat : quia cùm possent ipsi per eruditionem Scripturarum , & prophetiarum lectionem atque notitiam , tanquam legis Doctores ad Christi cognitionem venire , & aliis ipsum Christum notum facere ; nihilominus tamen *claudebant regnum cælorum ante homines , & ipsi non intrabant , nec introeuntes sinebant intrare.* id est , ipsi Christum quasi data opera nesciebant , & alios ipsum agnoscere , & recipere volentes , ab hoc instituto deterrebant .

Itaque annulus , seu (quod idem est) clauis erat Rabinorum insigne inter Hebræos , & , nisi fallor , de hoc annulo exponendus est S. Ioannes Euangelista *cap. 6.* vbi Christum sic se auditoribus suis commendantem inducit : *Operamini non cibum qui perit , sed qui permanet , in vitam æternam , quem filius hominis dabit vobis : hunc enim Pater signauit Deus.* Nam per cibum istum ipsam Christi doctrinam esse capiendam communis Patrum consensus tenet . Illi autem verbo *signauit* , subest in Græcis originibus *σφραγισεν* , cuius germana significatio est , signaculo , seu annulo signatorio donauit , aut insigniuit . Itaque sensus est , doctrinam vobis à filio hominis traditam non solum auribus excipere , sed etiam moribus exprimere debetis ; quia hunc Pater annulo decorauit , hoc est , Doctorem & magistrum præfecit , id est , per ipsam diuinitatem , quam à Patre accepit , Doctor est initiatus . De hoc etiam annulo Doctorum capiendus est , me iudice , D. Iacobus in Canonica : *Cùm autem introierit in Conuentum vestrum vir aureum habens annulum in veste candida.* Nam candidam vestem esse notam Doctorum , dicam infra *cap. 4.* ad illa verba , *Dilectus meus candidus* , &c. & idem censendum est de annulo .

Quòd si inquiras , quid olim significaret annulus Doctori donatus ? Respondeo , significationem illius posse desumi ex forma verborum , qua vtitur Cancellarius , cùm illum recenti donat magistro , quam producit Lorinus loco citato : *Accipe annulum subarrhationis ; nam sicut per eum contrahitur matrimonium inter virum & uxorem , ita inter scientiam & doctorem.* Et , nisi mea me deludit coniectura , inde lucem accipit Salomon *Proverb. 7.* vbi iuniorem ad sapientiam perdiscendam seriò inuitans , inter alia sic ferit : *Liga eam in digitis tuis , & describe in tabulis cordis tui . Dic sapientiæ : Soror mea es , & prudentiam voca amicam tuam.* Consule ea , quæ in eum locum contulimus , vbi similitudinem istam à re nuptiali petitam , atque illa verba , *Liga eam in digitis tuis* , sic edisserenda esse duximus : eam annulo incisam gestato , id est , ad eum modum , quo solent mariti dilectissimarum vxorum nomina , aut formas in annulis incisas portare ; sic tu quoque cum sapientia agere debes , eam in annulo ferendo , & vxoris amantissimæ loco habendo , id est , sic tu quoque satagere , ac contendere debes , vt annulum magisterij indipiscaris , qui est sapientiæ insignis nota , vt te cum eadem sapientia nuptias iunxisse eo argumento constet .

Ergo iuxta præscripta , cùm dicimus sponsam illis verbis , *Introducat me Rex in cellaria sua* , id poscere , vt sibi clauē , vel , quod idem est , annulus ab sponso donentur in

legitimarum nuptiarum argumentum. Satis appositè cum Ambrosio affirmauimus, dictam sponsam eam quam præfati sumus scientiæ clauem, id est, summam quandam sapientiam ad referenda Dei mysteria, & arcana, & Scripturas sacras aperiendas sibi deprecari, vt scilicet sit ipsi sacrarum rerum notitia communis cum sponso. Quam denique adepta est, dicente Christo: *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Luculentius dicam: Præmissis verbis Ecclesia sponsa Christi plures Doctores & Magistros sibi postulat, qui clauem scientiæ tenentes fidei mysteria velut reclusis foribus patefacere possint: quia nimirum in his Doctoribus sponsalium annulum, & abditissimarum apothecarum, in quibus sunt thesauri scientiæ & scientiæ Dei, clauem se accepturam sperabat.

Sed quamuis hæc idonea sint, tamen apposita magis videtur mihi expositio Philonis, qui hæc verba *de potestate clauium*, quam ab sponso suo Christo adepta est Ecclesia, interpretatur his verbis: *Introducat me Rex in cellaria sua, de quibus cellarijs sancta Ecclesia in B. Petro clauem accepit.* quæ verba cautè accipienda, ne in Caluini impium dogma relabamur, qui putauit clauem Ecclesiæ non Petro specialiter delatas, sed toti Ecclesiæ, cuius umbram Petrus gerebat. Hoc enim longè abest à Philonis mente, qui idcirco sanctam Ecclesiam cælorum clauem in Petro accepisse dicit, siue quia illas tanquam Ecclesiæ caput Petrus obtinuit, siue etiam, quia omnem potestatem & iurisdictionem Petrus, eiusque successores immediatè & proximè à Christo Domino acceperunt; illi autem in alios deriuant, siue per consecrationem, siue per demandationem iuris, de hac enim re non valde curo. Et sanè cum Pontifici summo & Episcopis in consecratione annulus donari soleat, non dubito illum ab initio quasi pro clauem datum, ad significandam istam, quam diximus, clauium potestatem, cuius summam à Christo Domino accepit tunc, cum Saluator ad Petrum dixit: *Et dabo tibi clauem regni cælorum.* Id verò facilè persuadetur ex formula verborum, sub qua summus Pontifex annulum accipit; quæ sic habent: *Accipe annulum fidei signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custoditus.* Cum ergo hic pontificalis annulus nuptialis annuli imitatio ac symbolum sit, atque iste annulus nuptialis clauis locum, & vices teneat, vel potius ipsissima clauis sit, ac nouæ nuptiæ pro clauem dari olim occæperit, vt in possessionem ac communionem rerum & copiarum mariti exciperetur, vt ex dictis supra in sono allegoriæ constat. Inde certè liquidum fit etiam eum, qui Pontifici & aliis Episcopis donatur, annulum clauis ad instar obtinere, ad significandam istam, quam diximus, clauium potestatem, per quam Ecclesia hoc munere inarrhata Christi Domini sponsi sui bona lucratur, & eorum cum illo communionem & vsum accipit: quatenus sibi penum & apothecas sponsi sui adire liceat, & quæ inibi clauduntur cibi copiarum, & thesauri, ad suum & familiæ suæ vsum conuertat.

Et quidem Bernardus penum Christi Domini ex septem Sacramentis instruit, quia in his panis, vinum, aqua & oleum, quæ sunt præcipua victualia, quæ in penu condi consueuerunt. Origines verò Christi apothecas, primùm ex omnibus gratiis tanquam ex varia suppellectile adornari, & ex thesauris scientiæ, & scientiæ Dei, id est, mysteriorum fidei, & ex diuitiis misericordiæ diuinæ, atque ex sanguinis Christi infinito pretio impleri affirmat. Igitur earum rerum vsum & dispensationem per clauium traditionem, seu, quod idem est, per annuli collationem iure nuptiarum acceptura sponsa meritò dicit, *Introducat me Rex in cellaria sua, &c.*

Quod si per cellaria isthæc triclinium, aut cœnationem accipiamus, in quam ad nuptiale conuiuium celebrandum ocyus induci sponsa desiderabat, vt inibi ab sponso suo (vti sperabat) delicatissimè ac lautissimè tractaretur, certè propheticus sensus erit de Eucharistiæ conuiuium, cuius desiderio iam olim ante Incarnationem Christi, Ecclesia inflâmabatur: vt constat ex his, quæ Prophetæ in suis voluminibus passim inclamant, cœlestes illas epulas non prænuntiantes solùm, sed etiam votis omnibus deprecantes, & (si licet dicere) eas iam vel tunc per desiderium hoc, spiritaliter gustantes ac comedentes: vt supra in Isagoge cap. 17. non perfunctoriè docuimus. Et sanè cum in eadem Isagoge cap. 5. & 6. fusè probauerim, nuptiarum, quas Ecclesia copulat cum Christo, consummationem, quæ ultra vnionem spirituum ex charitate, vnitatem quoque carnis includit, in Eucharistiæ vsum ac receptionem, perfici: iure optimo sponsa, id est, Ecclesia, quæ ad copulandas legitimas, insolubiles, ac perfectas cum Christo nuptias tam ardenti desiderio ferebatur, *in cellaria*, hoc est,

in triclinium & cœnationem se induci ab sponso tanta contentione postulabat; quia inibi per cœlestis cibi esum optatam consummationem, atque extremam perfectionem nuptiarum acceptum erat. Huic expositioni inseruit sententia D. Ambrosij in *lib. 5. de Sacrament. cap. 2.* vbi post illa verba, *Accessisti ad altare, vocat te Dominus Iesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam,* sic demum inquit: *Iam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Christi & Ecclesiae, vel Christi & animae, & addit: Introduxit me Rex in cubiculum suum. Græcus, in promptuarium suum, habet: vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella suauia, vbi fructus diuersi, vbi epule variae, vt plurimis epulis tuum prandium condiatur.* quibus verbis ostendit, sponsam Christi Ecclesiam prandium Christi, id est, sanctam Eucharistiam tanto studio deprecari, quia in ea erat nuptiarum eius cum Christo, consummatio & perfectio.

Sed quia in allegoriæ sono diximus iuxta hanc expositionem non insulsè dici posse, sponsum ideo Regem appellari in hoc loco, quia ritu veteri hoc munus Regis ac symposiarchæ acturus erat in conuiuio nuptiali: id demum aio, nomen istud Regis in Christum Ecclesiae sponsum, sui corporis & sanguinis splendidissimum nuptiale conuiuium illi exhibentem, aptissimè quadrare. Nam, vt ibidem notauimus, huius Regis epularis partes erant ferculorum ordinem describere, cyathorum exhauriendorum numerum & mensuram definire, compotores suos propinando ad bibendum inuitare, ac laceffere, sermonum qui inter epulas inferebantur, modum, & rationem dictare. Ac demum illi honoris gratia aliquid corrogabant conuiuæ, & in muneris rectè gesti præmium coronam eidem imponebant. Hæc omnia, tum ex *cap. 32. Ecclesiastici*, tum ex illo conuiuio in Cana Galilææ celebrato, tum demum ex Plutarcho *lib. 7. Symposi. problem. 4.* vbi de Rege, seu Magistro conuiuij, eiusque functionibus quàm plura ferit. Christus ergo in permagnifico Eucharistiæ conuiuio Regem & modiperatorem egit: primò, quia etsi vno tantùm ex ferculo conuiuium instruxit suum, in ipso tamen plurium ac valde dissimilium epularum varietatem copulauit; & suis conuiujs nunc has, nunc illas ordinatissimè dispensat. Hic est enim cibus omne delectamentum in se habens. Luculentius dicam. Christus Dominus in pectus dignè communicantis ingressus symposiarcham agit, & modò hos, modò illos animæ iustæ sui ipsius gustus & sapes offert, quos pro loco & tempore magis idoneos atque opportunos fore cognouit. Rursus sicut in vno cibo tot clauduntur epulæ, ita etiam in vno sacratissimi illius meri haustu plura valde generosa vina, & in vno calice plures calices contemplari fas est, quos similem ad modum Christus tanquam conuiuij Rex opportunissimè suis compotoribus propinat. Atqui vinorum valde diuersa genera, & escarum plurimam diuersitatem colligere facile est. Vinum est cognitio diuinitatis, Origenes *1. Periarchon cap. 3.* pro vino sunt Spiritus sancti dona. Hieronymus *in cap. 27. Isaiæ.* Vinum est meditatio passionis Christi. Rupertus *in Cant. 27.* pro vino est lætitia spiritualis. Gregorius *1. Regum 10.* Vinum est obliuio præteritorum malorum. Clemens Alexandrinus *2. Pedagog. cap. 2.* Vinum est castimonia & puritas vitæ. Hieronymus *in cap. 61. Isaiæ.* Vinum est charitas, vinum patientia, vinum martyrium, Ambrosius *serm. 72.* & alia his similia generosissima vina ex sanctorum Patrum promptuarijs depromere licet. Rursus cibus est diligens impletio voluntatis Dei, Ioan. 4. cibus est Scriptura sacra, Hilarus *in Psalm. 64.* cibi varij sunt consilia Euangelij, Hieronymus *in cap. 36. Iob.* pro cibo est meditatio diuinorum, Ricardus de S. Victore *de securitate conscientie.* Cibus optimus est conscientia bona, *Prouerb. 15.* Cibus eleemosyna est, Hesychius *in Leuiticum cap. 12.* Cibus pœnitentia, Ambrosius *Epist. 20.* & alias eiusdem generis delicatissimas ac suauissimas escas ex sanctis Patribus producere fas est. Sed quid inde? Certè in vna cœlestis panis buccella omnes quos hætenus recensuimus, & longè plures cibi contenti latent; & in vno cœlestis poculi haustu omnia quæ nuper contulimus, & multo plura vina inclusa manent. Quapropter Christus Dominus tanquam conuiuij Rector ac princeps dignè communicantis animam ingressus, omnes illius vires ac potentias splendidissimo conuiuio excipiens, illis dictam ciborum varietatem ac vinorum dissimilitudinem ordinatissimè & opportunissimè dilargitur, prout cuiuscunque necessitas & vsus postulat, dispositioni, loco, & tempori obseruiens. Et ad eum modum cibum, potumque istum diuinissimum fidelibus dimetiens vniuersam Ecclesiam regit ac temperat. Audiendus est Plutarchus loco citato, vbi de munere Regis epularis inter alia sic scribit: *Debet conuiuij magister quàm maximè peritus esse, quàm unicuique conuiuiarum mutationem, vinum atque epulas affe-*

rant; & ad quod affectionis genus sit procliuior, & quomodo merum ferat. Quapropter huic magistro cognitum esse debet, ab eoque obseruari, ut musici in morem aliorum animos potando & edendo contentiores, aliorum abstinendo remissiores reddens, diuersitate æquabilitatem, atque consonantiam efficiat. Igitur ad eundem modum Christus Dominus conuiuij princeps per cœlestem sui corporis & sanguinis cibum potumque siue multas intra vnum hominem potentias, siue plures intra eandem Ecclesiam status, & conditiones hominum, siue plures intra eandem conditionem personas ad contentum & concordiam cogit, dum aliis largiùs, aliis parciùs ex vino ac pane cœlesti imperit, prout cuiusque affectio vel postulat, vel pati ac recipere potest: vt proinde Ecclesia dicere queat similia his verba ex cap. 2. vers. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem*, id est, disposuit, & in ordinem, harmoniamque coëgit.

Secundò ad conuiuij modiperatorem pertinet loca conuiuii assignare, ac præscribere: id etiam muneris sibi arrogat Christus in sui corporis & sanguinis diuinissimi conuiuii, in quo gradus Ecclesiæ distinguit, & iuxta ordinem Hierarchicum suum cuique locum accommodat; vt scilicet sit summus aliquis Pontifex Ecclesiæ caput, sub hoc plures Episcopi & Patriarchæ, sub his Sacerdotes, & his obnoxij Diaconi, Subdiaconi, populi & gentes: & reliquos etiam Ecclesiæ status alios sub aliis ponit. Vnde sanctus Dionysius *de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3.* Synaxim, siue Eucharistiam, *primum Hierarchie sacramentum*, & infra, *Hierarchica dispositionis impletionem* vocat; atque omnes Ecclesiæ fideles sicut plures conuiuias alios post alios vni mensæ accumbere dicit; in eo nimirum ordine ac loco, quem Christus Dominus conuiuij Rector ac magister vnicuique disposuit, ac dispensauit. Et sanè plures Ecclesiæ gradus huius Sacramenti ministratio distinguit: reliquos verò eiuldem vsus & participatio disponit. Quomodo autem hoc conuiuij regnum in locorum distributione exerceat Christus Dominus, luculenter exposuit Lucas cap. 14. *Cum inuitatus* (inquit) *fueris, ne discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens qui te & illum inuitauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade & recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius; tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Itaque Saluator symposiarchæ vices agens in locorum partitione eam à se rationem seruandam esse dicit, vt illum, qui in nouissimo desederit loco, ad supremum euocet; & qui supremum occuparit, ad infimum descendere cogat, suadens nimirum eo symbolo ac parabola humilitatem, & demissionem animi ad Eucharistiæ participationem afferri oportere. Et sanè optimam dispositionem ad hoc Sacramentum eam esse voluit Christus, per quam homo *non ad mediocre, non ad penultimum, sed ad vltimum ac nouissimum locum sese deponit*, ait Bernard. *sermone 37. in Cant.* Reddit autem rationem, quia ille, qui ad eum modum per humilitatem vltimum locum captat, non amittit eam sedem quæ sibi pro dignitate debita est, & alioqui contra superbiam sese manit. Comprobant hoc Lucæ verba, ex quibus constat, illum qui sponte sua nouissimo loco decubuit, necdum inibi confedisse, cum statim ad maximè sublimem sedem assumptus dicitur. Atqui humilitatem ideo fortasse vereris, quia locus inferior obscuritatem tibi parit? Imò potius, si mihi credis, claritatem maximam affert. Audi Plutarchum *in conuiuii septem Sapientum*, Alexidemum, qui se humiliori loco à symposiarcha donatum grauitertulerat, sic perstringentem: *Itane verò metuis ne quemadmodum Ægyptij stellas aiunt viribus pro loci, in quem attolluntur, aut demittuntur, conditione augeri, minuiue, ita tibi quoque locum claritatem, obscuritatemve asserre putes?* Quasi dicat, falsa omnino est hæc persuasio Ægyptiorum: nam vera & certa sententia fert, inter stellas eas, quæ in depressiori loco sunt, & maiores, & clariores apparere, etiamsi minores sint; vt in Luna videre est, quæ cum inter alios planetas minor sit, maior & illustrior spectatur. Non aliter hi, quorum dignitas minor existit, si inferiorem, ac dignitate sua deteriorem locum capebant, digniores atque clariores apud homines fiunt. Huc spectat illud: *& erit tibi gloria & claritas coram simul discumbentibus.* Quorsum hæc? Certè id volo, quod nuper dicebam, eos qui ad Eucharistiam sumendam accedunt, plurimam humilitatem non tantum penitus in animo, sed etiam exterius in omni sua conuersatione præferre oportere. & similiter si velint clari ac splendidissimi fieri, nouissimum locum appetere debere. Nam sicut Christi corpus in sacramento Eucharistiæ

charistia ex his, in quibus esse poterat, minorem locum delegit; quippe quòd in quolibet indiuisibili hostia puncto se totum, gloriamque suam & maiestatem conclusit: ita etiam vult eos, qui eiusdem participes futuri sunt, ad depressiorem locum sponte demitti, id sibi persuadentes quòd sicut Christus ex minore loco non fit minor, sed tantus, quantus est in cœlo, in minima Eucharistia particula, aut puncto tantus existit; sic etiam ipsi ex inferiori loco haud minores effici, sed inibi potius dignitatem suam retinere, &c.

Quid plura? ad Regem conuiuij spectabat, sermones, qui inter epulas, & sub epulis miscebantur, moderari, & nunc silentium indicere, nunc etiam loquendi copiam facere. Christus etiam tanquam diuini conuiuij symposiarcha, suo quoque iure hoc præstat. Quid enim huius Regis proprium magis est, quàm eorum, quos sui corporis & sanguinis conuiuius excepit, sermones temperare, ac regere; ne scilicet ex illo ore aliquid impurum, turpe, aut malum excidat, per quod tam puræ ac sanctæ epulæ ad animam penetrarunt? Lege quæ scripsimus in cap. 23. *Proverb.* ad illa verba: *Quando sederis ut comedas cum Principe, statue cultrum in gutture tuo.* ac vide, an inibi nomine *Principis*, vel, ut alij conuertunt, *Ducis*, hunc quem asserimus conuiuij Regem ac modiperatorem concipere liceat; ita ut Salomon in eo loco conuiuiam edoceat quomodo erga eiusmodi Regem sese habere debeat in symposio, tacens, scilicet, ac nihil dicens, nisi ex illius venia. Huc etiam accersenda sunt ea, quæ statim insequuntur verba: *Ne comedas cum homine inuido, &c. Comede, & bibe, dicit tibi, & mens eius non est tecum: cibos quos comederas, euomes, ac perdes pulchros sermones tuos.* hoc enim quod ait, *Ne comedas cum inuido*, non ita cupiendum, quasi prohibeat cum eiusmodi homine quomodolibet cibos capere: sed ita, ut moneat talem hominem liuidum non esse præficiendum conuiuius, nec illi epularum regnum committendum esse: quia cum ad ipsum spectet ciborum ordinem, condimentum & quantitatem præscribere, & conuiuiales sermones moderari, per inuidiam hoc faciet; ut qui apud ipsum cœnant, dum cibos inconditos & insalubres perturbato ordine proponit, illos certè euomere cogantur: & cum orationes & colloquia perperam moderetur, suos etiam pulchros & præmeditados sermones perdat conuiuia. Quapropter quisquis prudens ac cordatus est, apud Christum comedat, & in eo conuiuius assideat, in quo ipse Rex & symposiarcha est: ac non modò gratum & amicum conuiuatore, cibos conditissimos ac saluberrimos sibi offerentem experietur, sed etiam optimum, ac peritum sermonis moderatorem nanciscetur: atque adeò ipso sermones temperante, neque aliquid turpe, aut deforme dicenti excidet, neque aliquid pulchrum & honestum indictum manebit.

Erat etiam conuiuialis Regis aliud munus suis compotoribus propinare, & eos ad bibendum laceffere. Sed de hoc propinationis officio plura dicemus infra cap. 2. *vers. 4.* ad illa verba, *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Ad extremum ut symposiarchæ functiones omnes perstringam, libet utique expendere verba illa Ecclesiastici 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, &c.* qui rationem illam sic demum absoluit, *ut lateris propter illos, & ornamentum gratia accipias, coronam, & dignitatem consequaris corrogationis.* Ac primum quidem non assentior illis, qui docent coronas conuiuatorum Regibus pro munere suo rectè gesto præmij loco donatas: nam constat potius ipsam electionem & demandationem conuiuialis Regni per donationem coronæ fieri solitam, ut notauit Vrsinus, Ciaconius, Stukius & alij conuiuiorum scriptores. Rursus non acquiesco illis, qui volunt eodem modo in præmium conuiuij ritè moderati collationes & corrogationes donorum Rectori cœnarum fieri solitas. Nihil enim eiusmodi alibi lego, neque sacrum, neque profanum. Quapropter censeo hæc verba per *ὑπερον ἄριστον* à Salomone dictata fuisse, ea scilicet, quæ primo loco fieri solebant in extremo loco adscripta. Atque adeò superiorum verborum sententiam sic instituendam esse reor: Cum renuntiatus fueris Rector ac Præpositus conuiuij, in id incumbere, ut munus hoc rectè administres (supprimo illa, quæ de hac recta administratione erit,) *& omni tua cura explicita recumbe,* capiens scilicet supremum triclinij locum; (hic enim Rectori debetur) *ut lateris propter illos, & ornamentum gratia accipias coronam, &c.* Hæc verba non ita neçtenda sunt quasi pro munere rectè gesto id consecuturus dicatur, sed ita, ut significant dignitatis adeptæ gloriam & splendorem. Quasi dicat: Tuo in loco ad mensam accumbe, & cum tuis compotoribus lætare & gesti, quia accepisti coronam conuiuia-

lem tuæ dignitatis nobile insigne, & quia dignitatem consecutus es corrogationis. In explicando hoc hemistichio tota difficultatis summa existit. Sed, vt a ia aliorum placita missa faciam, nomine *corrogationis* conuiuium notari existimo ex symbolis instructū. Nā hic modus instruendi epulas valde familiaris est apud antiquos. Lege ea, quæ nos contulimus ad illa verba *Proverb. 23.* vbi Salomon præmissas epulas ex symbolis & collatione sumptuum instructas absolutissimè describit: *Noli esse in conuiujs potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur panis dormitatio.* Ergo Iesus Sirach in eo loco hanc sumptuum collationem, quam conuiuæ futuri ad epulas parandas facere solebant, *corrogationem* ritè vocat. Rursus notandum est, collatos sumptus, aut symbola apud vnum aliquem, qui futurus erat aliorum conuiuator, deponi solita, vt is reliquis conuiuium instrueret. Hoc autem erat primum symposiarchæ munus, & dignitatis eius prima functio, vt docet Stuckius *Antiq. conuiuial. lib. 2. cap. 35.* atque adeo verbis illis, *vt dignitatem consequaris corrogationis.* hic sensus subest, vt sis scilicet perfectus, & magister conuiuij ex symbolis & collationibus instructi, vel (si mauis) vt potiaris ea dignitate, quæ per corrogationem & collationem symbolorum apud te factam delata est à conuiujs.

Quorsum hæc? vt constet certè, quàm benè aptèque symposiarchæ munus & functio Saluatori tribuatur; quia, vt aliàs diximus, ideo vel maximè sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conuiuium appellatur, etiam cum vnus tantum illius particeps efficitur: quia nunquam non conuiuæ duo ad magnificum illud epulum conueniunt; hi sunt Christus & homo ipse communicans. Christus enim homini suam carnem deuorandam donat; homo verò eidem Christo se ipsum commanducandum præbet. Nam omnis dignè communicans, vt docet S. Thomas *in opuscul. de Sacramento. Altar. & manducat Christum, & ipse vicissim à Christo manducatur.* Nam Christus ab homine digno manducatur, ipsumque hominem manducat, & in se transfert, iuxta illud: *In me manet, & ego in eo.* Quapropter affirmare licet hoc conuiuium ex symbolorum corrogatione instructum fuisse, Christo simul atque homine quæ sua sunt, conferentibus. Christus enim humanitatem, diuinitatem, & quidquid in his est dulce, & delectabile & pretiosum confert, iuxta illud, *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Homo verò animam, corpus, omnesque animi sui facultates, virtutes ac dotes corrogare, & nulla sui parte defraudare debet, vt tantum & tam salutare conuiuium splendidum ac delitiosum sit. Quia verò huius collationis, seu corrogationis Christus imperium ac regnum tenet, depositio sumptuum apud ipsum fieri debet, vt nimirum ipse, prout libuerit, & se atque hominem condiat, ac temperet, vti ipse homini, & homo ipsi gratas atque iucundas epulas præbeat.

De conuiuiali verò corona, quam primus sumebat conuiuij magister, & post ipsum alij, (nam ita mos antiquus ferebat, vt omnes conuiuæ myrto, hedera, aut floribus coronati decumberent,) id tantum dixerim: Coronarum vsus in conuiujs, vt docet Clemens Alexandrinus *lib. 1. Pedagog. cap. 10.* ideo celebratum, quia putabant his caput contra ebrietatem roborari: hanc enim vim habent myrtus, hedera, populus, & alia, ex quibus ferta epularia compingi solebant. Succedat ergo Mariæ id quod fusè dixi *in cap. 26. Proverb. vers. 9.* ad illa verba: *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, &c.* vbi aliquod spinæ genus commemoravi, ebrietati præsentissimè succurrens. de qua fortasse loquutus est Plinius *lib. 25. cap. 12.* vbi de spina alba sic ferebat: *Corona ex ea imposita capitis dolores minuit.* Vide multa in eo loco. vbi etiam adnotauimus spineum illud fertum, quo milites Christi Domini caput redimire ausi sunt ex prædicta spina, ebrietatem discutiente, conflatum fuisse. Iam igitur tenes quod dico. Saluator noster tanquam cœlestis conuiuij magister & symposiarcha, primus omnium coronam ebrietatis amuletum accepit. Sed quam coronam? spineam certè: vt eo argumento reliquis suæ cœnæ conuiujs significaret eodem prorsus ferta redimi oportere, vt caput contra omnem inanis scientiæ, concupiscentiæ, aliorumque vitiorum ebrietatem roboretur, hoc est, compassione, ac meditatione dolorum Christi, mortificatione sensuum, & alijs eiusmodi, quæ spinea Christi corona apud Patres significat. Hactenus de Rege ac regno conuiuij, à quo sponsa se in geniale cœnaculum nuptiale conuiuium celebratura, postulat induci, cum dicit: *Introducat me Rex in cellaria sua.*

Quòd si melius & aptius dicamus, per cellaria, in quæ inferri se poscit Sulamitis

ris, significari cubiculum, & thalamum nuptiale, significatio prophetica horum verborum in promptu est. Postulat enim Ecclesia (vt sæpè aliàs diximus) legitimas nuptias cum Christo, non ratas solùm, sed etiam consummatas, quæ supra vnitatem spirituum & animorum, quam charitas adstringit, & ratis nuptiis respondet, addunt vnionem carnis, quam Eucharistiæ vsus copulat, & consummatas nuptias in se præfert, vt latissimè diximus suprâ *vers. 1.* in expositione prophetica, & in *Ifagoge cap. 5.* hæc enim consummatio per cubiculum thalamumque nuptialem denotatur. Hoc sibi voluit Origenes cùm ait: *Introduxit Rex Ecclesiam in cubiculum, vt fieret regina & legitima coniux*, scilicet per consummationem nuptiarum, quæ matrimoniis insolubilitatem afferre solet, & post illam non licet iam vxorem repudiare, nec illam dimittere, nisi propter mortem alterius coniugis. Quod de spirituali coniunctione Christi cum anima similem ad modum enuntiare licet: nam posteaquam Eucharistiæ participatio illam consummauit, ob solum peccatum lethale, quod est mors animæ, dissolui ac rescindi potest. Consummatio quidem naturalis & humani matrimonij, ita coniuges deuincit, vt sola mors illos separare possit. Ad seruandam diutiùs vitam nihil præstat emolumentum; imò potiùs ob graues curas atque ærumnas, quas status ille coniugatos experiri cogit, senectam & mortem illis ocyùs adducit. At verò spiritualis coniugij consummatio & perfectio, quæ per Eucharistiæ vsum fit, non solùm Christum & animam arctissimè copulat, sed etiam eidem animæ ad spirituales vitam tuendam quamplurima præbet emolumenta. hic enim est proprius atque germanus Eucharistiæ effectus, gratiam, id est, spirituales vitam animæ tueri ac producere.

Exultabimus, & letabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Verba sunt adolescentularum, seu pedissequarum sponsæ, Epithalamia atque nuptiales odas, tam matutinas, quàm vespertinas introductione sponsæ se cantaturas promittentium. Nuptialium verò carminum significationem prophetica fusè profecuti sumus in *Ifagoge* huius *Commentarij cap. 7.* vbi seriò affirmauimus, per dicta carmina psalmodiam & alia Ecclesiastica officia, quæ noctu diuque in templis accinuntur, vaticidè denuntiari. Lege ibi multa in hanc sententiam, quibus ego hîc supersedendum duxi, ne actum agere videar. Id tantùm hîc ad ea, quæ inibi obseruauim, addendum puto, nimirum, vt ex sono allegoriæ constat, duo cantionum genera ab his puellis pangi solita; aliud quidem inter epulas nuptiales ad solemnitatem conuiuij; aliud verò matutinum, vespertinumque ad excitandam, & in soporem inducendam sponsam: vtrumque autem à Salomone illis inclusum diximus verbis: *Memores vberum tuorum super vinum.* Nam hæc nuptialium cantilenarum differentia totum etiam psalmodiæ & Ecclesiasticarum horarum dissimilitudinem adumbrat, quæ nimirum vel ad Missæ sacrificium inter cœlestis conuiuij solemnia cani solent, vel præfatas horas nocte dièque alternari consueuerunt, vt loco citato præscripsimus. Lege ibi multa de hac thesi.

Recti diligunt te. Ex his verbis non vnum tantùm sensum aucupati sumus; nam de ipsis puellis, de sponsa, de sponso, & de amicis sponsi exponi posse, diximus in sono allegoriæ: sed tertiam expositionem de sponso, & quartam de ipsius sponsi sodalibus, reliquis præferendas esse ibidem monstrauiimus. Ergo si iuxta lectionem Septuaginta, quæ sic habet: *Rectitudo*, vel *æquitas dilexit te*; ad quam vulgatam quoque lectionem reuocare conati sumus, de sponso capiantur dicta verba, sensus est perspicuus, *Rectitudo dilexit te*, id est, Christus sponsus tuus, ô Ecclesia, priori ac vehementiori amore amplectitur te: quasi dicat, non amas illum, sed redamas. Nam quod in paciscendis nuptiarum fœderibus ad pudorem nouæ nuptiæ spectare creditur, vt scilicet non ipsa, sed sponsus amori ac nuptiarum petitioni initium præbeat: & naturali quadam lege hoc fit, quia cùm fœminæ sponte sua frigidiores, viri autem calidiores sint, inde euenit, vt hi priùs amore tangantur, illæ verò non nisi horum amore inflammata diligere incipiant. Hoc certè in nuptiis Christi & Ecclesiæ longè maiori necessitate contingit, vt scilicet amor illius præcedat, huius verò subsequi debeat: Ecclesia enim frigida prorsus ad amandum, & ad Christi amorem nunquam eniti posset, nisi ipsum Christus sponsus longè priùs adamaret, & amore suo ac gratia ad redamandam prouocaret. Nulla est obuia magis apud Paulum sententia ad *Rom. 5.* *Commendat* (inquit) *Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est, &c. & infra: Cùm inimici esse-*

*mus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. & Ioan. in 1. canon. cap. 5. In hoc est charitas non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum, &c. Dilexit, inquam, prior, non solum, quia nos prius, quam amici essemus, dilexit; quippe qui adamavit nos cum inimici eius inferissimi essemus: sed etiam, quia nos priusquam essemus, aut existeremus, antiquissimo, imò æterno amore prosequutus est. Charitate perpetua dilexi te, ait per Hieremiam cap. 31. & Paulus antiquitatem amoris Dei commendans ad Ephel. 1. Elegit (inquit) nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, &c. Nec solum Dei amor erga homines prior est, quia illos amavit prius, quam re ipsa essent, aut existerent: sed etiam, quia illos dilexit priusquam essent futuri. Nam cum omnis à Deo Opt. Max. producta res prius intelligatur possibilis, quam futura, non solum tunc quando Deo ita decernente tanquam aliquando futura cognita fuit, amari à Deo cœpit, sed etiam prius, tunc scilicet cum solum tanquam possibilis & contradictionem minimè implicans cognoscebatur amor Dei erga ipsam, non quidem efficax, sed tamen in simplici vehemens ac præferendus inchoatus est. Quid plura? extremus iste amor & desiderium salutis humanæ, qui homines possibles respicit, vsque adeò in Deo antiquus existit, ut plures locupletissimi Theologi affirmare ausi sint, ipsam Spiritus sancti sempiternam processionem quodammodo antecessisse; quatenus serio asserunt Spiritum sanctum non ex amore tantum, quo Pater & Filius semetipsos, & mutuo alter alterum amplectitur, sed etiam ex dilectione hominum & aliarum creaturarum possibilium æternam originem ducere. At, inquires, hæc communia esse homini cum aliis creaturis. Fateor quidem esse æqualitatem in prioritate & anterioritate dilectionis, at in conditione boni ab æterno homini & aliis creaturis concupiti summa inæqualitas existit. Cum igitur tantus sit, & tam antiquus Dei erga Ecclesiam sponsam suam amor, merito adolescentulæ hoc ipsi obiiciunt, *Rectitudo dilexit te*, id est, sponsum habes rectissimum, te iam olim vehementissimè diligentem. Quasi dicant: Quod te amore illius tantopere inflammari sentis, ô Ecclesia, sponsa Christi, non utique mirandum est, quia prouocata hoc facis ab eo, qui te longè antiquius, & longè vehementius dilexit. Quamuis enim hoc ipso quod sponsa ac fœmina diceris, tuum non teporem modò, sed rigidissimum ad diligendum frigus significet, tantus tamen ardor sponsi tui non potuit non tuam frigiditatem inflammare & accendere. Ama igitur quia amaris; & antiquitatem amoris sponsi tui feruore compensa: atque hoc tibi gloriæ erit. Quod si Christus in quantum Deus, te amoris antiquitate superauit, tu quidem eundem in quantum homo est, amando ac diligendo præcurristi (non quidem causalitate, sed tempore.) Præcurristi, inquam, in antiquis Testamenti veteris Patribus, qui ante Christum nati Christum vehementissimè amarunt, ac desiderarunt.*

Quod si illa verba, *Recti diligunt te*, de amicis & sodalibus sponsi intelligantur, quos venire oportebat ut sponsum ad consensum nuptiarum inducerent, sensus est luculentus. Isti enim amici sponsi non alij sunt certè, nisi Ioannes Baptista, Apostoli, Discipuli, & alij, qui primitiæ Ecclesiæ persuaserunt, ut Christum sponsum reciperet, atque ipsi per legitimas nuptias, hoc est, per fidem & amorem copulari vellè, ut supra in Isagoge cap. 7. sanctorum Patrum testimoniis euicimus. *Recti*, inquit, *diligunt te*. Quantus in Apostolis, atque aliis Apostolicis viris fuerit amor erga Ecclesiam, quantus ardor ipsam Christo adiungendi, vnus explicat Paulus 2. ad Corinth. 11. qui hoc munus paranyphi siue amici sponsi arrogans sibi ita demum exclamat: *Æmulor vos Dei emulatione, despondi enim vos, uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quasi dicat, ideo amore simul ac zelo prosequor, quia alter sum ex sponsi sodalibus, qui vos omnes, vestramque Ecclesiam tanquam sponsam vnã Christo sponso iungere desidero. Sic exponit locum istum D. Ioan. Chrysostomus, qui inter alia sic serit: *Huius typus erant ea, quæ de Abraham leguntur: etenim ille quoque seruum fidelem misit desponsaturum filiam gentilem. & in hoc loco misit Deus ministros, & amicos sponsi desponsaturos filio suo Ecclesiam.* Ergo ex his alter, scilicet Paulus, suam erga Ecclesiam dilectionem contestans, sic ait: *Æmulor enim vos Dei emulatione.* Æmulatio hinc pro amore, quem zelus, aut zelotypia nimium inflamat. Sed cur eam, qua vrebatur, Dei æmulationem appellat? Hebraismum hinc agnoscunt plerique, ita ut sit exaggeratio familiaris Scripturæ sacræ, iuxta quam *cedri Dei*, & *montes Dei* dicuntur *cedri excelsæ* & *montes præalti*. Magnum scilicet concepì amorem vestræ salutis. Anselmus

mus sic edisserit: zelo & amore exarsi, non ex humano affectu, sed ex diuina inspiratione concepto, ac diuinitus mihi indito. Chrysostomus ait: Amore quodam ac zelo, quo imitor Dei amorem, ac zelo Dei vos prosequor. Accinunt Theophylactus & OEcumenius, qui hoc tantum dissident à Chrysostomo, quòd per zelum Dei intelligant *zelum Christi, qui Deus & homo est*. Quasi dicat: Vos certè zelo, & amore quodam amplector simili ei, quo vos Christus æmulatur. Denique valde communis expositio est illa: Vos quidem zelor, vt ex omnibus vnã aliquam sponsam non mihi, sed Christo adiungam. Quasi dicat; non pro me, sed pro Deo æmulatione tangor. Omnes has interpretationes capiunt verba vt iacent in textu, ex quibus tres extremas, iuxta quas verba Pauli digniorem significationem habent, expendere libet.

Æmulor, inquit, *vos Dei æmulatione*, id est, tali æmulatione & amore, quali vos Deus ipse complectitur. Amorem igitur Dei erga homines exaggerans Ioannes ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret*. hoc est, vt filium ac verbum suum ex substantia ipsius procreatum hominibus donaret, vt pro illorum salute carnem assumeret. Talis erat dilectio Pauli erga fideles, quibus non secus verbum suum donabat, vt per prædicationem ad iustitiam salutemque promoueret. Nec donabat tantum, sed quodammodo etiam humanitate vestiebat, dum illud rudiorum captui accommodabat. Ita enim suadet Augustinus Doctore in lib. 1. de *sancta virginitate*, vt nimirum, sicut Deus suum verbum, vt in vsus nostros cederet, carne induit, ita etiam Doctor prædicationis verbum, vt discentium inseruiat vtilitati, (liceat sic dicere) humanum facere debet: id est, sic temperare ac demittere, vt illud rudes & imperiti facile arripiant; quod amoris est non vulgaris.

Rursus amor & dilectio Pauli in altero sensu erat, *æmulationi diuinæ similis*, quatenus ipsius Christi Dei & hominis dilectionem & amorem erga Ecclesiam imitabatur. Nam de amore illo, quo Christus Ecclesiam amplexus est, sic idem Paulus: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, &c.* Sed vterius vide quid Paulus de sua erga eandem Ecclesiam charitate deprædicet 2. ad Corinth. 12. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus diligens minus diligar*. Duas conditiones enumerat Paulus, in quibus Christi amorem erga Ecclesiam, eiusque in eandem charitatem referebat: altera subest illis verbis, *Impendam, & superimpendar ipse*, id est, non solum ea, quæ mea sunt, vestra causa profundam, sed etiam me ipsum; ita vt meum sanguinem, spiritus meos & vitam meam infusam, & exhauriam pro vobis. Sic Anselmus, & Græcè *ἐκδανῶν-θίσουμαι*, dicitur propriè de patrimonij dilapidatoribus, qui facultates suas in comessationes & voluptates profundunt, vt notauit Athenæus: ita quòd sensus sit; cum me ipsum, sanguinem ac vitam meam pro vobis impendere oportuerit, sic profusus ac prodigus ero, sicut hi, qui in voluptates & delicias suas prodigunt fortunas: vel tanta cum voluptate hoc faciam, sicut qui comessando ac delitiosissimè victitando suas copias liguriunt. Conferantur hæc verba cum illis, quæ scribit ad Philippens. 2. *Sed et si immolor, supra sacrificium, & obsequium fidei vestra gaudeo*. In quibusdam Codicibus est, *Sed et si æmulor*. Mendum est, sed tamen ex hoc deprehendere licet, perinde esse æmulari animarum salutem, & pro illa immolari. Notant aliqui pro verbo *immolor* hinc subesse *σπένδουαι*, id est, *libor*, seu pro libamine offeror. Differentiam inter sacrificia, seu victimas & libamina nemo ignorat. Pro *obsequio* etiam subest hinc *λατρυία*, id est, sacrum Missæ, & propriè dicitur de Psalmis ac precibus, & aliis quibus celebratur Missa. Ergo Chrysostomus, Theophylactus, OEcumenius & alij, suam (inquiunt) prædicationem, per quam Philippenses ad fidem Christi traxerat, liturgiam, siue obsequium fidei appellat Paulus. Quapropter sensus erit: Supra prædicationem meam tanquam supra liturgiam perinde immolor quotidie, sicut Christus ipse in sacrificio Missæ. Nam quemadmodum ille inter Missarum sermones & preces incruenter sacrificatur, ac patitur; sic ego inter eas, quas ad vos de fide orationes habeo, indies sine sanguine sacrificor, morior ac patior: nec propterea contristor, sed gaudeo mirum in modum, quia vestræ salutis causam ago.

Alterà verò imitatio amoris Christi continetur illis verbis, *Licet plus diligens minus diligar*. Minus diligi in hoc loco, (vt adnotant ferè Interpretes) perinde est atque odio haberi. Itaque sensus horum verborum est: Amor iste meus, quo vos amplector, & pro vestra salute emori vellem, est & erit semper constans ac firmus, quamuis vobis per omnia infensus, & inuisus sim. Quòd autem amor iste diuini amoris formam

formam teneat, idem Paulus affirmat cum ait: *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, &c.* ubi charitatis diuinæ proprium esse dicit sibi infensos peccatores ardentem diligere. Alij restituunt, *imprimat*, aut *sigillat in nobis charitatem suam*. Et quidem Paulus eam Dei charitatem sibi veluti sigillo quodam impressam facile demonstrat, cum ait: *Æmulor vos Dei emulatione.*

Quid plura? *Æmulatio* in hoc loco amorem cum zelotypia coniunctum, vel amorem quem zelotypia accendit, adsignificat. quam zelotypiam sic pro aliena sponsa à se susceptam dicit Paulus, quasi pro sua: *Quia despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ideo scilicet vos zelo prosequor, quia despondi vos. Certè in humanis solum maritus zelo vritur propter sponsam, & quia socios amoris sui nullos habere vult, etiam zeli comites nullos sortitur. At Christus Dominus Ecclesiam sponsam suam sic amat impensius, ut illam etiam in suorum amicorum amoribus esse cupiat: propterea plures quoque zelotypiæ suæ consortes habet. Quantum verò zelus iste inflammet Christi Domini amicos, idem Paulus exponit in 2. ad Corinth. 11. ubi sic ait: *Præter ea quæ intrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: Quis infirmatur, & ego non infirmor; quis scandalizatur, & ego non vror?* zelo nimirum præcordia penitus torrente.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

ADea, quæ hætenus posuimus, aliquid ex Patribus adponere oportet. Chaldaeus de lege per Moysen Synagogæ veteri data ad radices montis Sinai exponit his verbis: *Applica nos ad radices montis Sinai, & da nobis legem de thesauro tuo, quod est in firmamento, & delectabimur, & exultabimus, & recordabimur eorum, & diligemus deitatem tuam, & omnes iusti, qui faciunt voluntatem tuam, timebunt te, & diligunt præcepta tua.* Hæc tamen ita de Synagoga sunt capienda, ut nequaquam ad ipsam secundum literam pertineant, nisi tantum prout fuit ymbra Ecclesiæ, ita nimirum ut per legem intelligamus Euangelium, & de hoc reliqua enuntiata putemus.

Ex his quæ in sono allegoriæ præfati sumus, constat ex Patribus, non paucos hæc verba, *Introduxit me, &c.* ad præteritum tempus retulisse, ita nimirum, ut sponsa postquam in cubiculum sponsi ingressa fuit, quid sibi apud illum euenerit, puellis suis renuntiet. Origenes ergo sic habet: *Quod aliud cubiculum Christi, vel promptuarii credendum est, in quo Ecclesiam sibi coherentem introducat, nisi ipse arcanus sensus eius, & reconditus? De quo Paulus dicebat: Nos autem sensum Christi habemus, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, & alia de hoc sensu, seu cognitione Christi ferit.* Itaque cubiculum, vel promptuarium sponsi dici putat cognitionem ipsius Christi, & eorum, quæ à Christo in Ecclesiam dona profecta sunt. His autem cubiculi nomen ideo inditum putat, quia recondita & arcana sunt: nam in Christo sunt thesauri sapientiæ Dei absconditi. Et de donis quæ per ipsum nobis contigerunt, ait Paulus: *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt quæ preparauit Deus, &c.* Eadem fermè verba libauit ex Origene Theodoretus in tertia expositione, qui vltèrius in prima per cubiculum sponsi omnium mysteriorum fidei in vniuersum cognitionem posse concipi affirmat. quæ mysteria Christus Dominus parabolicis locutionibus ideo contexit, ne cuius ad illa facilis aditus pateret, iuxta illud, *Vobis datum est nosse mysterium magni Dei; ceteris autem in parabolis.* Itaque parabolas à Christo dictas regij cubiculi velut externos parietes esse putat: intima verò eiusdem, ad quæ admissa Ecclesia dicitur, earundem parabolarum mysticum sensum esse affirmat.

D. Gregorius Papa, Iustus Orgelitanus, Hieronym. *Epist. 142. ad Damasum*, Honor. Augustudunensis, & Dionysius, per sponsi cellaria sacras Scripturas intelligunt. ex quibus Iustus sic ait: *Introduxit Christus Ecclesiam in sua cellaria, cum ei reuelauit Scripturarum occulta mysteria.* Hieronymus autem sic scribit: *Legimus in veteri Testamento quòd Dominus Moysi & Aaroni ad ostium Tabernaculi sit loquutus: quasi ante Euangelium nondum eos ad Sancta Sanctorum loquutus introduxerit: sicut Dei Ecclesia postea introducta est, dicens: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Ad tres supra scriptas expositiones accersere integrum est ea omnia, quæ supra in expositione prophetica diximus de annulo, & clauæ sponsæ donari solitis, prout significat clauem scientiæ, & sapientiæ ad aperienda diuina mysteria.

Et iuxta hanc interpretationem Angelomus illud nomen *Rex*, expendit ad hunc modum: *Et cautè intuendum est, quia non dicit cubiculum sponsi, sed cubiculum Regis: nominando enim Regem, reuerentiam secretorum ostendit. Ne ergo dum cognoscit secreta Dei, dum ad sublimia contemplationis erigitur, extollatur, Regis dicitur cubiculum intrare, ut se ipsam attendat, & ex suo profectu amplius humilietur. Vnde Ezechiel, quoties ad sublimia contemplanda ducitur, filius hominis vocatur; ac si ei dicatur: Attende quis es, & non extollaris de his, ad qua attolleris.*

Congruit etiam cum hac interpretatione expositio Ambrosij, & Philonis, qui per cubiculum, in quod sponsa penetrasse fertur, ipsum Christi Domini corpus concipit; hic enim sic habet. *Promptuarium Regis est, ubi thesauri & res pretiosæ reponuntur: sed hoc cælestis Regis promptuarium illud apertissimè demonstrat corpus, in quo sibi domicilium fabricauit.* Sed luculentius D. Ambrosius in *Psalm. 118.* ubi inter alia sic scribit: *Cubiculum Ecclesiæ corpus est Christi. Introduxit eam Rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claves, ut aperiret sibi thesauros scientiæ Sacramentorum: cognosceret nascentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurrectionis.* Hæc enim sunt secretiora mysteria, quæ Christus gessit in corpore, scilicet nasci, emori, ac resurgere, quibus nostra continetur salus. Hæc plenissimè capiunt qui ad corporis illius cubiculum penetrant per eas, quas clauis & lancea referarunt fores.

Denique per eiusmodi cellaria sponsi, alij cælum ipsum, seu beatitudinem cælestem interpretantur: hi sunt Philo in *secunda expositione.* Apponius, Beda, Honor. Augustudunensis, apud Theodoretum tres Patres, & Anselmus, qui præ cæteris luculentius ad hunc modum scribit: *Per cellaria accipiamus plenitudinem beatitudinis, id est, aternitatem vitæ, nam in cellarijs deponi solet copia magna bonorum, spe autem iam perfecti viri in beatitudinem aternitatis sunt introducti.* Et quidem cum præfati Patres hanc introductionem sponsæ in beatitudinem non in cælo tantum, sed in hoc mundo paratam velint; alij aliter decernant. Anselmus iam præmissus in dictum aternorum bonorum promptuarium per spem inductam fuisse affirmat; quatenus iam spe aliquomodo capit id, quod demum per certam possessionem tenebit. Accinit Apponius, cuius hæc sunt verba: *In spe enim consistit quicquid in supradictis cellarijs congregatum est.* Et infra: *Introducta est profecto in supradicta cellaria Regis Regina Ecclesia in his, qui spem habuerunt pro rete vilissimo Regnum cælorum inuadere, pro telonio sordidissimo inestimabiles diuitias paradisi possidere, & pro paruo cespite contempto consortia acquirere Angelorum, & pro gentili, vel incredulo fratre dimisso Deum maiestatis acquirere Patrem, & pro calice aqua frigida mercenarios se effici Christi credunt, &c.* Beda hunc ingressum sponsæ in beatitudinis cellaria, fidei tradidit. *Cellaria, inquit, Regis aterna sunt gaudia, in qua nunc introducta est sancta Ecclesia per fidem, in futuro plenius introducenda per rem.* Quomodo autem fides prædictæ beatitudinis participes faciat, ita exponit: *Iam dulcedinem Regni cælestis prælibaui, iam gustauit, & vidi quoniam suavis est Dominus, quia iam quæ mihi sunt in cælis parata, ipso reuelante cognoui.* cum Beda concordet sunt Cassiodorus, & D. Isidorus. *Introduxit, inquit, me fide in gaudia cælestis patriæ interna, quia nimirum fidei aternorum bonorum quædam est eorum prægustatio & delibatio.* Olim in quibusdam conuiujs, vt ex Liuio & aliis decerpit Stuckius *lib. 2. cap. 2.* antequam conuiuæ discumberent, atque inferrentur bellaria, leuis quædam eorum prægustatio fiebat, vt quæ quo ordine proferendæ essent epulæ, ipsi compotores ante discubitum decernerent. Christus ergo suos ad aternam felicitatem inuitans, ait Luca 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis & bibatis supra mensam meam in Regno meo.* Igitur nectar illud & ambrosia, quæ in illa perpetuæ felicitatis mensa beatis ministranda sunt, fides quasi ante discubitum prægustat, ac prælibat, vt de sponsa pronuntiat Beda.

Rursum D. Ambrosius in *lib. de Isaac & anima cap. 2.* sponsam, id est, Ecclesiam, & quamlibet animam per contemplationem, seu meditationem cælestium bonorum etiam nunc in hoc exilio ad cubiculum, hoc est, ad aternam felicitatem introductam affirmat. *Etenim (ait) perfectioni incumbens solum illud bonum diuinitatis intendit, nec aliud quicquam acquirendum putat, quia tenet quod summum est, solaque sibi abundat, quia sola sibi satis est.* Hæc illa, quia putat meditari ac cogitare Deum etiam per ænigmata in hac vita aliquam esse veluti prægustationem claræ visionis, quæ videlicet vsque adeò hominem beat, vt iam nunc Deum se tenere putet, qui diuina contempletur, atque adeò nihil vterius vel desiderandum, vel apperendum sibi reliquum

reliquum esse censeat. Et eam ob causam, scilicet propter illustriorem aliquam Dei contemplationem, etiam quamlibet ænigmaticam, Paulum se ad paradysum raptum affirmat dicit Ambrosius: quia nimirum diuinior illa illustratio ipsi pro paradiso, ac beatitudine visa fuit.

Vnus Philo hanc, de qua agimus, introductionem sponsæ in cellaria & cubiculum sponsi sui per laborum, & tribulationum perpeffionem perfectam asserit. Subiicio aliqua illius verba illustriora: *Promptuarium Christi est celorum Regnum. Cum igitur Saluator ait: Beati qui persecutionem patiuntur, & c. iure ac rectè, ut prædictum est, ex voce veritatis hi Regnum celorum ingrediuntur, qui tuenda & conseruanda iustitia causa hic afflietantur. Propterea in ipso exultant, atque letantur, dicentes: Exultabimus, atque letabimur in te, & c. Videntes iam sempiterna gaudia nuptiarum, & quæ sibi ante mundi constitutionem præparata fuerant, iamque sibi data promissa dicunt.* Hactenus Philo, qui planè loquitur de gaudio spiritali huius vitæ, quo perfruuntur hi, qui plurimis laboribus vexantur inter ipsas tribulationum angustias: quod vsque adeò magnum esse affirmat, ut ea bona, quæ in promissis adhuc manent, quasi pro datis, & collatis sibi iam numeret.

Denique Honorius Augustudunensis, & Iustus Orgelitanus secundum anagogem de introductione sponsæ in ipsissimam beatitudinem concipiunt hæc verba, ex quibus ille sic habet; *Introduxit me in cellaria; id est, in omnimoda gloriæ gaudia, ubi qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, satiabuntur, & inebriabuntur ab vbertate Domus Dei, & torrente voluptatis suæ potabit eos. cui Sancti in gloria congaudentes canunt: Exultabimus, & letabimur in te, id est, congratulabimur gloriæ tuæ: memores vberum, id est, germine dilectionis, qua prædita est, super vinum, id est, super legalem obseruantiam.*

Exultabimus, & letabimur in te, memores vberum tuorum super vinum Hæc verba ex Patribus pauciores soli spōsæ, pauci spōsæ simul atque puellis pedissequis, plures solis puellis donant. Spōsæ soli accommodauit Beda, D. Thomas, & Apponius. In his autè Beda expendens vocem illam *in te*, sic habet: *Nequaquam ipsa me ob percepta munera extollam, quasi ex me ipsa aliquid horum obtineam, sed omnia misericordia tuæ, ô Christe, ascribam, memoria repetens Euangelij tui gratiam lacteam, & legis austeritatem vinaceam obliuioni tradens.* Hæc fermè Beda. Ad Bedam propius accedit Apponius, qui per vbera Christi (ut supra vers. 1.) Apostolos intelligens, illud quoque *in te*, hunc ad modum pensitat: *Et si Ecclesia ad sapientia promptuarium admissa fuerit, non suis viribus, aut sophistica argumentatione confidit, sed sicut agna lac ad vbera matris requirit, ita ad Apostolorum fidem, vel vitæ exemplum recurrit; qui vbera Christi Regis iusta ratione intelliguntur, de quibus ait: Exultabimus, & letabimur in te, memores vberum, & c.* Et postquam dixit, Apostolos ideo vbera appellari, quia doctrinam Euangelicam lactis in morem suauem ac dulcem effuderunt: quæ nimirum inimicis etiam parcere, ac vindictam à Deo sperare iubet, & vinaceam legis austeritatem arcet, quæ scilicet inimicos odio habere, & maledictum pro maledicto reddere ex indulgentia permittebat; sic demum addit: *Vbera Christi Regis Apostoli intelliguntur, qui immaculato pectore tanquam vbera adherendo, quicquid gloriosum, quicquid splendidum, quicquid ad animarum cibum pertinet, de pectore Christi in ipsis confusum est, & per ipsos in omnium credentium corda quotidie per sanam doctrinam, & perfectæ vitæ exemplum transfundi probatur.*

D. Thomas ex nomine etiam sponsæ, id est, Ecclesiæ, sic scribit: *De donis tuis exultabimus, & quia scimus hoc non esse nostri meriti, exultabimus certè in te, non in nobis; hoc enim est quod Apostolus ait: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Memores vberum tuorum super vinum: id est, memores gratiæ tuæ & misericordiæ, quia saluati sumus. Vbera enim sunt ipsa gratia qua saluamur: & quia vinum legis vberibus doctrinæ Euangelicæ temperare dignatus es.* Hæc D. Thomas, qui illud *super vinum*, non ita accipit quasi vbera vino præferantur, sed ita, ut lac ex vberibus expressum vino infundi dicatur. Quomodo autem lac ad vinum condiendum & clarificandum à vinitoribus adhiberi soleat, diximus supra vers. 1. in Appendice expositionis propheticæ: quod de Euangelio supra vetus Testamentum, veluti lac supra vinum, incidente, rectè enuntiat: nam vetus Testamentum ab Euangelio conditum fuit, ut austeritatem deponeret; & clarificatum est, ut obscuritatem propriam abiiceret. Ad hanc mixturam lactis & vini adlusit quoque Beda, qui inter alia sic ait: *Memores vberum tuorum su-*
per

per vinum, id est, memores per omnia quanta nos pietate recreare, & qualiter austeritatem legis gratia fidei Evangelicæ mitigare dignatus sis.

Origenes puellarum esse dicit hæc verba, non quidem ad sponfam, sed ad sponsum sermonem intendentium, ac postulantium se similem ad modum post Sulamitem ad potiundas sponsi delititias in cubiculum induci. Sic enim legit: *Exultemus, & letemur in te*, &c. Per dictas verò puellas animas imperfectas concipit, quæ cum videant Ecclesiam in his, qui perfecti sunt, tantam gloriam adeptam fuisse, ut sponsi cubiculum subintrans, ad thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei admissa, & lacteas eius delitias experta fuerit, earum etiam compotes fieri cupientes, aiunt; *Exultemus, & letemur in te*. id est, nobis etiam integrum sit exultare, & lætari, &c.

Philo Carpathius hæc similiter à puellis ad sponsum dicta voluit, ac per duo illius vbera duo Testamenta intelligit; sic enim ait: *Dua enim mammae sponsi duo Testamenta vocata sunt; quæ ex vno immortalis fonte profluvia Spiritus sancti lactis instar emanant.* Quæ se longè melius ac salubrius porandas esse dicunt, quàm vino naturalis doctrinæ.

Reliqui Patres puellis quidem hæc verba tribuunt, non sponsum, sed sponfam ipsam alloquentibus. Ex quibus Honorius per dictas puellas singulas iustorum animas intelligit, vni Ecclesiæ parentes, & obsequentes. De quibus sic ait: *Adolescentula dicunt sponse: Exultabimus, & letabimur in te. Exultabimus in corpore, scilicet operando ea, quæ per corpus fiunt, vigilijs, ieiunijs, eleemosynis; & letabimur in mente, scilicet operantes ea, quæ spiritualia sunt, orando, legendo, & predicando. & hoc, in te, quia hæc opera non valent, nisi in Ecclesia catholica.* Memores vberum tuorum, id est, in memoria habentes utramque legem, quæ sunt vbera tua super vinum, id est, super secularem sapientiam, quo docet nos laudes hominum querere, & terrenas diuitias congregare. Hæc Augustudunensis, quibus ad quandam Hebræorum obseruationculam respexit, notantium verbum גלח galach, quod respondet illi *exultabimus*, significare lætitiã externis gestibus, scilicet saltibus & tripudijs præditam: verbū autem שמח samach, quod subest illi voci *letabimur*, gaudium internum animo ac spiritu conceptum notare. Itaque vigiliæ, ieiunia, chaumeniæ, eleemosynæ, & alia eiusmodi corporis exercitamenta, quædam veluti corporis præ gaudio exilientis factæ ad numerum, saltationes, seu tripudia sunt, orationes, meditationes, lectiones & alia animi exercitia quædam sunt interna delinimenta animi, qui dum Deo sedulo obseruit, intus, extraque serio gaudet, ac gestit.

Cum Honorio conspirat Angelomus, qui præfata verba sic commentatur: *Dum Ecclesia in his, qui perfecti sunt, ingreditur cubiculum Regis, adolescentule spem sibi exultationis promittunt; quia dum fortes ad sublimia contemplanda perueniunt, infirmi spem de venia peccatorum sumunt.* Qui illa verba *exultabimus, & letabimur* de gaudio conscientie bonæ & tranquillæ, quod post adeptam peccatorum veniam succedit, interpretatur: hoc enim gaudium quædam exilientis animi quasi ad numerum facta saltatio, quoddam spiritus gestientis tripudium est. In sequenti hemistichio personas euarians Angelomus, easdem puellas pedisse quas ad sponsum sermonem conuertisse putat, hoc modo, *Memores vberum tuorum super vinum.* Habet (inquit) iste sponsum vbera, qui etiam Rex propter reuerentiam vocatur. Habet vbera, Sanctos scilicet nostros adherentes sibi. Vbera enim in arca pectoris fixa sunt, & extra nutrimentum trahunt ad eos, quos nutriunt. Vbera ergo sunt Apostolici omnes Predicatores Ecclesiæ, &c. quos *super vinum*, id est, supra legem & Prophetas esse dicit, quorum doctrina superior, & austerior fuit. Vel aliter de his vberibus sic scribit: *Dona enim spiritualis gratiæ quasi quædam mamille sunt in pectore sponsi, quæ subtiliter occultis meatibus ministrantur, & eos nutriunt.* quæ verba fugentes & exprimentes iusti, non efferuntur de sapientia sua (ait Angelomus) quæ vini ad instar inebriare homines solet, nisi se per humilitatem tanquam insantes æstimant, gratiæ vbera prementes; hoc est, quicquid sapiunt diuinæ adscribentes gratiæ. Et sanè vini, & lactis ex vberibus expressi mutua sunt auxilia. Nam vinum lacte perfusum defæcatur, & inclarescit. Sic sapientia, & cognitio, si lac, hoc est, gratiæ diuinæ humilis agnitio accedat, reiecta obscuritate clarior & illustrior redditur. Item lac ex vino ferescit, & liquidiores partes abiiciens, quod pinguisimum in ipso est, continet, ac fecernit. Non aliter gratia, quando humilis sapientia & cognitio Dei ipsi adiungitur, magis magisque proficit, & si licet dicere, ad roborandam hominis imbecillitatem pinguescit. Eandem diffe-

rentiam sponsæ & adolescentularum pro perfectis, & imperfectis animabus vberius prosequitur Theodoretus: & deinde translationem LXX. expendens ad illa verba: *Exultabimus, & letabimur*, sic notat: *Non obtristant, non emulantur, non invident dum foris manent, sed propter honorem sponsæ latantur*. Quia nimirum perfectorum eximia virtus non ad invidiam, sed ad imitationem prouocat imperfectos. Rursus ad illa, *Diligemus vbera tua super vinum*, docet hanc fuisse quandam veluti compensationem eorum, quæ sponsa nuper de sponso dixerat Sulamites. Nam cum sponsa, quæ perfectas animas adsignificat, sic sponsum affata esset, *Meliora sunt vbera tua vino*. puellæ pedissequæ, id est, imperfectiores animæ sic illi vicem reddunt: *Diligemus vbera tua super vinum*. quibus verbis significatum voluit Theodoretus, fideles alios non minori auiditate Apostolorum doctrinam & mores arripuisse, quàm Apostolos ipsius Christi: hi enim per sponsam, illi per pedissequas demonstrantur.

Recti diligunt te. Ab Ecclesia ad Christum dictata volunt, Isidorus, Angelomus, Beda, & D. Thomas; Iustus Orgelitanus, Apponius, & alij. In his autem Isidorus sic edisserit: *Nullus te diligit, nisi rectus; nullus est rectus, nisi qui te diligit*. Eadem verba expressit Angelomus, & rationem attexit. *Omnis enim, qui bona opera per timorem facit, etsi in operatione perfectus sit, in desiderio minimè rectus est, quia nimirum vellet non esse quod timeret, ut bona opera omitteret. Qui verò bona opera per amorem agit, tam in opere, quàm in desiderio rectus existit*. Beda etiam de sponso dicta putat hæc verba, & cum illis confert quæ paulo antè aiebat sponsa: *Ideo adolescentule dilexerunt te*. atque eas, quæ inibi adolescentulæ appellatæ sunt, nunc mutato sexu rectos dici asseuerat. *Hinc colligendum, quia non aliud adolescentiam, quàm rectitudinem cordis dixerit, eos notans, qui deposita veteris hominis senectute nouum hominem induerunt, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*. Sed cur sponsus à solis rectis amari dicitur? quia scilicet Christus ait: *qui diligit me, mandata mea seruabit*. & Ioannes scripsit: *Hæc est enim charitas, ut mandata eius custodiamus*. D. Thomas illos hîc rectos appellari autumat, *qui nihil suis meritis tribuunt, sed omnia gratia diuina deputant*. Apponius de istis rectis aliter sentit: nam cum præmisisset illa verba, *Deus fecit hominem rectum*, Eccles. 7. sic demum ait: *In hac directione imaginem Dei, quam nobis legitur contulisse, opinor consistere. Qui procul dubio secundum iudicium suum hominem intelligitur fabricasse. Ait enim Propheta: Rectus es Domine, & rectum iudicium tuum. Rectus itaque secundum iudicium suum rectum hominem fecit; atque adeò equo iudicio hoc requirit in homine, quod fecit in eo; ut nimirum sicut ipse nullius potentia inclinatur, ita & facturam suam, siue imaginem, nulli alij ut inclinent genua cordis, requirit*. Et plura de ista rectitudine subinfert, affirmans eos etiam rectos appellari, qui nullis hæresibus, aut erroribus à vera doctrina fidei detorquentur, nec non eos, qui bona opera cum fide coniungunt.

Iustus Orgelitanus de hac rectitudine sic serit: *Illi Deum rectè diligere approbantur, qui non solum in beneficijs, sed in flagellis constituti similiter gratias agunt*. Philo Carpathius huc accersit illa verba: *Cor autem rectum diligit sapientiam*, Prouerb. 27. D. Gregor. Papa rectitudinem istam in exercitio virtutum ponit, quatenus istæ rectitudinis lineam tenent, & vitiorum deflexas semitas cauent.

Honorius Augustudunensis propiùs ad literam accedens, hæc verba à puellis ad sponsum, id est, ad Ecclesiam dicta autumat. & sic breuior absoluit. *Ideo recti diligunt te, quia qui de Christo recta sapiunt, doctrinam tuam impensè adamant*. Cum Honorio conspirat Bernardus, cuius verba dabimus in Appendice sequentis interpretationis de Anima.

Translationem Septuaginta, *Æquitas dilexit te*, non eodem modo interpretantur Patres Græci. Theodoretus de Christo exponit, quem hîc æquitatis nomine compellatum vult. *Rectitudo, ait, dilexit te, id est, Christus, qui est rectus Dominus, & virga directionis virga regni eius te dilexit: atque adeò decet nos ex te pendere, & assiduò ad te accurrere, tuisque vberibus perfrui*. Hæc puellæ, id est, animæ imperfectiores rationem reddentes, propter quam ipsæ tanto studio sponsam, id est, Ecclesiam amplectantur. Quasi dicant: *Ideo diligemus vbera tua, (quia) rectitudo dilexit te, (sic habet lectio LXX. Ambros. serm. 2. in Psalm. 118.) æquitatem pro ipsa virtute, & honestate concipit. Æquitas, inquit, dilexit te. Non flexuosa itinera te sequuntur, sed solus iustitia trames ad te potest peruenire*. Cum Ambrosio conspirant Origenes & Nyssenus: ille verò puellas, seu animas imperfectiores rationem offerre dicit, ob quam ipse, quæ nondum

nondum ab omnibus culpis expurgatæ erant, non diligenter: quia nimirum sola æquitas, & deterfis peccatis suppuratissima iustitia ad Dei dilectionem pertingere potest. qui sic denique absoluit hanc sententiam: *Regulam quandam directam ponamus esse æquitatem, & si quid in nobis iniquitatis est, hanc adhibentes & superinducentes directoriam mandatorum Dei, si quid in nobis curuum, si quid tortuosum, ab huius regule linea refecetur; ut possit de nobis dici: Æquitas dilexit te.* Rursus post pauca idem Origenes sic addit: *Possumus namque aliter sic accipere, ut, æquitas dilexit te, perinde sit, ac si dicat: Iustitia, veritas, sapientia, pudicitia, singulaque virtutes sponte diligunt te. Nec mireris si virtutes diligunt Christum, cum per ipsarum virtutum substantiam Christum soleamus accipere: inuenimus enim ipsum & iustitiam Dei, & pacem, & veritatem appellari, &c.* Et in altera expositione *homil. i.* nomine æquitatis non sponsum, sed ipsam sponsam, id est, Ecclesiam notari voluit. Sic enim ait: *Deinde adolescentula loquuntur ad sponsum de sponsa, æquitas dilexit te; laudant scilicet sponsam, nomen illi æquitatis à propriis virtutibus imponentes.* Nyssenus.

E X P O S I T I O M Y S T I C A de Anima.

IN T R O D U X I T me Rex in cellaria sua. Si hæc verba ad tempus præteritum referamus, atque ad eò iuxta sonum allegoriæ, per cellaria gynæceum concipiamus, in quo puellæ ante nuptias formam excolere solebant, sensus magis germanus petendus certè ex his, quæ diximus *vers. i.* in expositione mystica, vbi per gynæceum animæ ad charitatis nuptias sese adornantis pœnitudinem, seu mortificationem membrorum, vel timorem Dei intelligi oportere diximus. Iuxta quam acceptionem sensus sic institui debet. Succedat memoriæ duplex illa traductio sponsæ quæ Regi copulanda erat: altera scilicet à parentum domo in gynæceum: altera verò è gynæceo in Regiam, seu Palatium nuptiarum gratia. Anima ergo charitatis, & amicitia arctioris cum Deo nuptias expectans, atque illas impensè expetens, sic ait: *Introduxit me Rex in cellaria sua,* id est, antehac sponsus meus Christus à paterna domo, hoc est, vel à Diaboli potestate, cui me culpa filiam dederat (*vos ex patre Diabolo estis,*) vel ab Adami domo & familia, in qua omnes grauium peccatorum rei manent, ad pœnitentiæ, vel timoris Dei gynæceum transtulit. Hæc autem prior translatio posteriorem traductionem, quæ est à timore Dei, ad charitatis nuptias sperare me iubet. Nam qui iam olim ad timoris sui gynæceum admisit, non alio consilio id fecit, nisi vt me tandem aliquando nuptiarum compotem efficeret. Itaque cum sancta anima in his, quæ præcesserunt, carminibus sub nomine osculi, & amplexus nuptialis, & sub symbolo vnctionis Regiæ, cuius se participem futuram sperabat, nuptias cum Christo Rege per charitatem à se quamprimum copulandas seriò dixisset; ne id sine causa sibi arrogasse videretur, nunc addit: *Introduxit me Rex in cellaria sua, &c.* Quasi dicat. Quòd sponsi mei nuptias desidero & expecto, non timoris, sed amoris gratia id facio, quia iam olim me in timoris sui gynæceum transtulit: hinc autem ad charitatis arctissimum matrimonium, & per hoc ad Regnum transitus mihi haud difficilis est. Ideo consecrariè adolescentulæ attexunt: *Exultabimus, & letabimur in te.* Quasi dicant; de nuptiis quamprimum à te copulandis minimè dubitamus; atque ad eò id, quod nostrarum partium est, pollicemur: *Exultabimus, & letabimur in te.* nuptialia scilicet pangentis, &c. Sed de his paulo post dicemus.

Si autem secundam interpretationem sequamur, iuxta quam verba ad futurum tempus referuntur, & Sulamites in penum, & apothecas thesaurorum ac suppellectilium claue, seu potius annulo tradito se inducendam affirmat: ad significandam communionem bonorum, quam iure nuptiarum se adepturam sperabat; sensus etiam sic instituendus est, vt iuxta dicta in prophetica expositione per istum annulum, vel claue sponsalitiæ sapientiæ, vel imperij claues accipiamus. Vtramque enim clauium significationem inibi adscripsimus. Si igitur claue scientiæ intelligamus, talis sententia euadet, *Introduxit me Rex in cellaria sua,* (verba sunt animæ iustæ.) Quasi dicat: breui futurum spero, vt Christus sponsus meus per legitimas charitatis nuptias me sibi adiungat, & concessa mihi scientiæ claue, seu annulo, ad

communione bonorum suorum me identidem excipiat, ut nimirum arcana fidei mysteria & thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, qui in ipso penitus abditi sunt, aperire ac peruadere possim: itavt in illam quadrare possint verba Pauli ad Coloss. 2. *Instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris & Christi I E S U, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ Dei.* Has igitur diuitias plenitudinis intellectus, hos thesauros sapientiæ, ac scientiæ Dei anima accepta diuinioris illius scientiæ clauē sibi vendicat, itavt ipsi nunquam non pateant, & ad quoslibet vsus opportunè inferuiant. Nam prædictæ copiæ & thesauri notitiarum Dei nihil aliud sunt, me iudice, nisi cogitationes sanctæ & congruæ ad omnem bonarum actionum vsus tempestiuè donatæ, & acceptæ. Chrysostomus illa verba, *In omnes diuitias plenitudinis intellectus*, sic extulit, *In omnes diuitias plena persuasionis intellectus.* Et hanc plenam persuasionem tribuit fidei & gratiæ, seu auxiliis Dei, quæ per sanctas cogitationes mente & intellectu conceptas, nihil non bonum persuadent voluntati, ut ipsum prosequatur, & amplectatur, atque exinde honestas quaslibet actiones pariat. Repete, si libet, memoriâ Sexti Pompeij verba supra in sono allegoriæ à me data, qui de clauibus, quæ nouæ nuptæ tradebantur, sermonem habens, sic ait: *Institutum est Romanis, ut vxoribus primum domum ingredientibus clauēs donentur, idque ad significandam partus facilitatem.* putauit enim per eas clauēs vteri, aut vuluæ apertionem notari. quæ sententia non parum congruit cum modo loquendi Scripturæ sacræ, in qua *aperire*, aut *reserare vuluam*, idem est quod sterilitate sublata ad partum perducere; & *claudere vuluam* idem est, quod sterilitatem immittere. Igitur ad rem nostram: anima Christo Domino per charitatis nuptias denuò copulata, accipit ab ipso clauēs scientiæ, id est, auxilia gratiæ, sanctas nimirum, ac pias cogitationes, quibus sibi ipsi vuluam aperit, id est, voluntatem ad bonorum operum conceptum partumque, ex sterili fœcundam, promptam, facilemque reddit.

Alius dixit, ideo nouæ nuptæ clauēs donari solitas, ut eo documento cognosceret sibi deinceps licere domo egredi, quæ nimirum eatenus, ut conditio virginum ferebat, clausa & obserata semper fuerat. Itaque sponsæ domum & cubiculum sponsi ingredienti ædium clauēs tradebantur, ut crederet sibi posthac egrediendi copiam & facultatem suppetere, iuxta noui status maiorem licentiam. Simile quidpiam in anima contemplari fas est: nam hæc in gynæceo pœnitundinis & timoris Dei manens tota de intus contineri debet, & clausæ in modum Virginis sibi ipsi vacare, propriam excolens & expoliens conscientiam. Vbi verò ad perfectiorem statum deueniens charitatis nuptias contraxit, iam tunc clauēs accipit scientiæ, ut scilicet ab interiori domo egredi, & ad proximos erudiendos, informandosque procedere possit, de his quæ ipsa consecuta est. Cum his sanè concordant ea, quæ Bernardus in *serm.* 23. scribit ad hæc verba, ubi per sponsam doctorem, ac superiorem accipit; per puellas verò pedissequas auditores ac subditos. cuius sententiam infra in Appendice dabo.

Posterior autem ac longè verior significatio clauium, quas sponsa accipiebat ab sponso, ea est, quam supra non semel obseruauī, scilicet imperij ac dominij communio; nam clauēs potestatem & imperium significant; & clauibus quoque traditis res illis conclusas transferri iure ipso comparatum est. Hanc igitur accipit anima pia ad charitatis nuptias excepta, per quam omnium quæ Dei sunt, bonorum participationem adipiscitur. Per clauem istam omnium Sacramentorum penum aperiendis; eisdemque vtendi potestatem accipit, hæc enim, ut supra animaduerti, in domo Christi, id est, in Ecclesia vtensilium locum habent. Per eandem clauem ad reliquas apothecas, seu promptuaria penetrare ipsi licet, in quibus bonitatis, & misericordiæ Dei omnes diuitiæ conditæ sunt: nullumque penetrare, nullusve secessus est in domo sponsi; ad quem sponsam huius clauis potestas non introducat. Et sanè clauem istam, quæ tantam in res sponsi licentiam sponsæ tradit, orationem esse crediderim: quia iusta & pia anima cum primum ad charitatis nuptias admittitur, statim orationis donum ab eodem accipit, ut per illam omnium Christi bonorum possessionem ineat, iuxta illud: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Huc spectat Augusti sententia, qui orationem *clauem Regiam* non semel appellat, quæ cœlum etiam ipsum aperire possit.

Hæc etiam fuisse videtur mens Ambrosij *serm.* 1. in *Psal.* 118. hæc verba expendens

dentis: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*; qui inter alia sic serit: *Proinde si quod sit cubiculum quarimus, ipse nos edoceat, qui ait: Cum orabis, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* & post pauca: *Introduxit, inquit, eam Deus in omnia interiora mysteria, dedit ei claves, ut aperiret sibi thesauros scientia, & clausas antea fores panderent.* Hæc ille: qui tunc animam ab sponso suo Christo claves accipere affirmat, cum in cubiculum secretum orationis ad Deum fundendæ gratiæ excipitur. Et licet harum clauium vsum in referendis mysteriis & arcanis ibi ponere videatur Ambrosius, quatenus hæc orantibus continuò patefcere asserit; tamen eius verba ad vniuersalem magis sententiam traduci debent, itavt generalem orationis vsum, iusque cuncta bona à Deo impetrandi contineant: per quam orationis clauem anima iusta omnes Dei thesauros ita potestati suæ obnoxios habet, vt illi non secus inseruiant ad nutum, quàm ea, quæ quispiam sub clauē condita ad vsus proprios adferuat.

Quòd si iuxta tertiam expositionem, qua corticem allegoriæ donauimus, per cellaria Regis coenaculum, seu triclinium intelligamus, in quo sponsa nuptiali conuiuio ab sponso suo se lautiùs excipiendam esse credit ac sperat; certè locus iste in eodem sensu singulari animæ aptari debet, in quo suprâ Ecclesiæ illum accommodauimus. *Introducat me Rex in cellaria sua.* Faciat scilicet Christus sponso meus me suæ cœnæ participem, corporis & sanguinis sui sacramenta mihi indulgeat: hoc enim sanctissimum augustissimumque conuiuium spirituales nuptias consummat, ac perficit. Lege plura de hac thesi in eo loco, vbi auscultare licebit Ambrosium vtrumque sensum de anima simul & Ecclesia sub vna interpretatione conciliantem. & quæ inibi etiam vberius feruimus de Rege conuiuij, vel symposiarcha, ad hanc etiam sententiam accersere integrum erit.

Et idem iudicium ferendum est de quarta expositione, iuxta quam per cellaria cubiculum accipiendum esse diximus, vbi thalamus genialis erat: nam quæ inibi de Ecclesia, ipsissima hîc de anima contemplari fas est.

Exultabimus, & latabimur in te, memores vberum tuorum. Verba sunt ancillarum, seu pedissequarum sponsæ, quibus se inter nuptiarum solemnia Epithalamia decantaturas pollicentur, vt in sono allegoriæ ostendimus. quæ pedissequæ iuxta mysticum sensum significare possunt facultates & potentias hominis tam exteriores, quàm interiores, quæ vbi anima Deo per intimam charitatem nupsit, ipsi animæ & rationi tanquam dominæ parere incipiunt. de quibus *in lib. de vera virginitate*, ad illa verba Psalm. 44. *Astitit Regina, &c.* postquam nuptias animæ cum Christo descripsit, sic consuetariè subscribit Ambrosius: *Contemnat igitur sponsa, id est, anima, quicquid oculis apparet, & nuda mente amore sponsi satietur, totas vires suas proprii sponsi ancillas faciens, &c.* Sensus ergo verborum, iuxta dictam ancillarum acceptionem, sic habet: *Exultabimus, & latabimur in te.* Ethopœia est, per quam Salomon dictas potentias & facultates hominis animam ipsam alloquentes inducit. Quasi dicant: Cum tu, ô sancta anima, cui nos natura subditas fecit, ad nuptias Dei per charitatem excepta fueris, nos vtique non mœstæ, vel contristatæ concidemus, sed potiùs præ lætitia gestientes similes erimus puellis sponsæ pedissequis, quæ inter nuptias Epithalamia & fescennina carmina pangunt, *memores vberum tuorum*, id est, amplexus tuos nuptiales commemorantes: nam redundantia earum voluptatum, quibus tibi affatim potiri licèbit, nos oblectatæ & delinitæ valde alacres post te curremus, & in te, & propter te velut ouantes collætabimur. Et sanè hanc omnium externarum, & internarum potentiarum obsequelam erga animam Deo per charitatem adhærentem, omnes experiuntur quotquot Deo se totos addixerunt. Ita certè expertus fuerit Dauid cum *in Psalm. 83.* sic aiebat: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* vbi illi verbo *exultauerunt*, subest *ירננו ieranenu*, id est, *clamauerunt, decantauerunt.* Quasi dicant; omnes tam cordis, seu animi, quàm carnis vires & facultates simul in Dei laudes voces soluerunt suas. Sed quomodo, inquires, ea, quæ vocis expertia sunt, cantare simul dicuntur? Quia nimirum ipsa interiorum atque exteriorum potentiarum conspiratio, & concordia in iustis concentus quidam est, quem *canticarium, & canticordium* appellare non dubitauit Gerson in tractatu illo, quem *Canticordium* inscripsit. Habitus quoque virtutum inter se cohærentes concentum reddunt, de quo sic Tullius: *Concentu virtutum nihil est suauius.* Rursus ex passionibus, seu affectionibus animi quasi ex simplicibus musicæ elementis quamplures harmonias com-

ponit Gerson in suo *Canticordio*, tom. 3. vbi sex illas affectiones, ad quas reliquas teuocare licet, enumerat, quæ sunt, amor, odium, spes, merus, mœror, gaudium; cum totidem signis V T, R E, M I, F A, S O L, L A: ex quorum varia mixtione omnis harmonia coalescit. Sicut enim illa signa ritè per artem mixta & temperata concentum efficiunt; sic etiam dictæ passiones per rationem modulatæ suauissimos fonos reddunt. Hos igitur cantus, aut fonos dulcissimos in animæ Deo nubentis gaudiis ac tripudiis à se pro Epithalamiis accinendos promittunt potentia, seu facultates dictæ animæ pedissequæ, illis verbis: *Exultabimus, & letabimur in te.*

Vel aliter, istæ pedissequæ sunt aliæ animæ minus perfectæ, vnius magis perfectæ, & Deo per ardentiorē charitatem arctius copulatæ, verbo, aut exemplo ad virtutem & probitatem inductæ. Vel, si mauis, erunt animæ subditæ erga superiorem. Ita contemplatus est Bernardus *serm. 23*. qui cùm verba illa, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, ad tempus præteritum retulisset, cum aliis sentiens, qui sponsam, postquam particeps effecta fuerat gaudiorum & deliciarum sponsi sui, hæc puellis suis renuntiasse affirmat, & ad mysticum sensum ita reuocat: *Nuntiat, inquit, eis gaudium quod percepit, non alio sanè consilio, nisi vt sibi congaudeant, dum confidunt minimè alienum à se quicquid gratia matri suæ accesserit. Oportet enim eam sponsum suum imitari, peccentem nimirum celos, & nihilominus cum suis in terris se fore vsque ad consummationem sæculi pollicentem. Sic & ista quantumuis proficiat, quantumlibet promoueatur, ab his quas per Euangelium genuit, cura, prouidentia, & affectu nunquam amouetur, dicens: Introduxit me Rex in cellaria sua id est, gaudete & confidite; vestrum omnium est meus omnis profectus: vobis proficio, vobiscum partiar quicquid vobis plus fortè meruero.* Hæc ille, Quæ vtī nostræ interpretationi aptentur, sola temporis mutatione opus habent, ita nimirum, vt hæc sponsa, id est, anima superioris, aut doctoris sibi & subditis suis, vel auditoribus hæc in futurum spondeat; illæ verò subiiciant: *Exultabimus, & letabimur in te, memores vberum tuorum.* id est, nuptias tuas cantatis Epithalamiis celebrabimus: quia nimirum concordia voluntatum, & consensio mentium nostrarum harmonia & concentus quidam est super tuas nuptias modulatus; id est, supra coniunctionem illam, quæ te media charitate Deo adiungit, & simul etiam cogit vtī nos tanquam pedissequas tuas ad eundem Deum exemplo, verbo, & imperio adducere cupias. De hac spirituali, & mystica harmonia interpretandus est, me iudice, Paulus *ad Colossens. 3*. vbi Apostolus suis auditoribus suadet ad hunc modum: *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore.* Hæc de concordia voluntatum. De consensione verò mentium sic attexit: *Verbum Dei habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Quasi dicat; sit inter vos voluntatum concordia per charitatem, sit item consensio mentium per vnam fidem & verbum Dei: sicque ex vobis eadem volentibus & sentientibus spiritualis quidam concentus, & harmonia coalescet, quæ omnium ad instar Psalmorum & hymnorum obtineant. Itaque per *hymnos* mysticos hymnos intelligo, quos familiæ & cœtus Deo sacri per concordiam voluntatum, & mentium conspirationem ipsi Deo concinunt. Omnis enim concordia plurium concentus quidam est. Sed de significatione Epithalamiorum in nuptiis Christi, & animæ diximus plura in *Isagoge cap. 13. circa finem.* lege ibi.

Quia verò sanctum Bernardum huic expositioni ad stipulari diximus, ea quæ ipse consecretariè ad superiora contexit de exultatione subditorum, hinc subtexere libet: *Exultabimus & letabimur in te, memores vberum tuorum, &c.* Nunc, inquit, vide quomodo de sponsa matre presumant, quomodo eius lucra, & gaudia sua reputent. *Audiant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram; discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quam metui. Et si interdum seueritate opus sit, paterna sit, non tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendos exhibeatis: suspendite verbera, & producite vbera: pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.* Quæ de Prælati dicit, eadem Doctoribus accommodare procliuè est. Et si hæc ad sonum allegoriæ iuxta nostram interpretationem allicere velimus, id Prælati & Doctoribus suaderi dicemus, vt cum subditis ita benignè agant, vt non eos ad gemitus & lachrymas, sed magis ad cantus & hymnos prouocent; quibus eorum assiduò concelebrent nuptias, charitatem scilicet erga

erga Christum prædicent, qui tantum illis erga proximos suos amorem & dilectionem suadet atque imprimit.

Recti diligunt te, vel iuxta LXX. Rectitudo dilexit te. Quæ supra in expositione prophetica de Ecclesia præfati sumus, eadem de anima iusti enuntiare fas est. Vide ibi. nam frustra hinc plura.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

ADea, quæ in Appendice superioris expositionis de Ecclesia vniuersali præscriptus, ex quibus pleraque singulari animæ aptare licet, alia quæ in hanc solam cade re possunt, subscribere libet. *Introduxit me Rex in cellaria sua, vel, ut habent Septuaginta, in cubiculum suum.* Theodoretus in priori expositione sic habet: *Porro cubiculum hinc Salomon mentem vocat iuxta sermonem Christi: Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, &c.* Concinit etiam Ambrosius *serm. 2. in Psalm. 118.* ubi inter alia sic scribit: *Introduxit me Rex in cubiculum suum, hoc est, in illud secretum suum, in quo sunt thesauri sapientia, scientia, & cognitionis suæ. Ideo tibi dicitur: Cum oras, intra in cubiculum tuum: quod significat mentis, animique secretum. Et in hoc cubiculum iustiarum sponsa se poposcit induci.* Itaque iuxta duos præmissos Patres sponsa in sensu mystico in suæ mentis cubiculum ab sponso suo immitti se poscit, id est, in domum interiorem, ut scilicet inibi in se collecta, & ab externis rebus sequestrata soli Deo vacare, & diuinæ cognitionis opes, thesaurosque apprehendere possit. Proximè ad hanc interpretationem accedit Gregorius Magnus, qui per *cellaria*, Dei contemplationem concipit. *Quid enim (ait) per cellaria intelligimus, nisi sancta contemplationis mysteria: in illa procul dubio quisquis introducit, temporalia mox contemnit, quia æternis ditatur.* Gregorium sectantur Dionysius Richelius, & Hugo Cardinalis, Lyra, & Glossa. Huic expositioni opportunè aptari possunt ea, quæ nuper de annulo sponsalicio, seu, quod idem est, de clauæ maritalis domus, quæ in prima die nuptiarum sponsæ donari solebat tunc, cum in ipsam domum inducebatur; ea nimirum significatione, ut crederet sibi deinceps extra domum egrediendi copiam à marito fieri; ut ex aliquorum sententia inibi posui. Id enim mihi significat eam animam, quæ ad se ipsam redire, & suæ mentis cubiculum per contemplationem diuinorum ingredi potest, ad externa prodire, & actiuæ vitæ exercitia obire identidem posse: ita ut in ipso ingressu ad contemplationem, inde ad actionem per vices exeundi quasi acceptis clauibus veniam accipiat. Omnes enim animæ, quæ prius ad actionem progrediuntur, quàm contemplationis exercitia obierint, valde præposterè agunt. Lege Ambrosium *serm. in Psalm. 118.*

D. Bernardus cum præscriptis Doctoribus conspirans tres fructus sanctæ contemplationis sub figura trium cellarum recenset, quæ sunt, *Prælati obedire, aequalibus congruere, & subditis utiliter deesse.* de quibus cellis sic demum decernit: *Optimum autem moribus dixerim, & summam disciplinam huius apprehendisse, cui totas has cellulas absque offendiculo percurrere, ac circuire donatum est.* Vocat autem hos contemplationis fructus tres cellas, quarum nimirum vna intra aliam sit, quia nimirum hæc sibi per vices succedunt. Prius enim est obedire superioribus: & qui parendo humilis efficitur, non se extollit supra æquales: & qui illis obtemperare, his verò exæquari & congruere didicit, is demum habilis est ad imperium. Ad hunc modum per tres cellas ab vna in aliam itur, iuxta mentem Bernardi. Rursus in eodem *serm. 23.* cellarum cum horto & cubiculo conferens, quorum mentio sæpè incidit in hoc Cantico, plura de illis ferit. Omnium autem significationem compendio colligens, & Scripturæ accommodans, sic ferit: *Sit hortus simplex & plana historia, sit cellarium moralis sensus, sit cubiculum arcanum theoricæ contemplationis.* Lege ibi multa de singulis.

Habes etiam ex Honorio aliam interpretationem de anima à sæculo ad religionem translata: *Introduxit (inquit) me Rex in cellaria sua. Claustra quippe sunt quasi quadam cellaria, in quibus sunt multimoda consolationis pocula, &c.*

Rursus tres Patres apud Theodoretum hæc verba Paulo tribuunt, cum ad tertium cælum assumptus est. *Et moralem, naturalemque Philosophorum prætergressus ad Theologiam usque peruenit, & audiuit arcana verba, &c.* Lege Nyssenum.

Exultabimus, & letabimur in te, memores verberum tuorum; vel iuxta LXX. *Diligemus verba tua.* Ut alia missa faciam, quæ ita Ecclesiæ conueniunt, ut animæ quoque

aptrari queant, quæ ex superiori Appendice peti possunt. Nysseni expositionem hæc adscribam, qui hæc posteriora verba de Ioanne Euangelista exponit, hoc modo: *Verbi amavit vbera qui supra pectus Domini in cana recubuit, & veluti quandam spongiam cor suum apposuit fonti vitæ, & ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysterijs nobis quoque exhibet mamillam à Verbo impletam, nosque implet bonis quæ ei à fonte sunt indita, magna voce prædicans quod semper est Verbum. Unde merito etiam nos illi dicemus: Diligemus vbera tua super vinum, &c.* Et post pauca: *Quia æquitas dilexit te. Hic est enim discipulus quem diligebat IESVS: IESVS autem est rectitudo & æquitas.* Prior laus quæ à similitudine spongiæ ducitur, non sine allusione ad puerperarum usum & morem à Nysseno dicta fuit. Nam Arabum Medicorum facile princeps Aui-cenna puerperis suadet, cum vbera nimio lacte turgent, nec adest infans qui illa exsugant atque exprimat, vel qui adest, illa exsiccare non valeat, spongas mamillarum capitulis imponere: hæ enim redundantiam lactis paulatim ebibunt, & dolorem ex distensione effectum leuant. Cogita ergo Christi Domini vbera ante passionem ceu matris cuiuspiam amantissimæ ad eum modum nimio lacte distenta, suæ scilicet doctrinæ mysteria fideli populo instillare & effundere volentis. Quia tamen populus iste tantam lactis affluentiam expressurus necdum per id tempus capax erat, Ioannem tunc veluti spongiam suo pectori applicuit, vt totam illam lactis, seu potius noticiarum, & mysteriorum redundantiam ebiberet, atque in se transferret, Christique dolorem leuaret, quem tunc non minorem de suorum incapacitate, quam de passione futura concipiebat.

Cum Nysseno concors est Ambrosius, qui *serm. 2. Psalm. 118.* hæc & sequentia verba de Euangelista interpretatur, & inter alia sic serit: *Quemadmodum Ioannes cum caput suum supra Christi pectus reclinaret, hauriebat secreta sapientiæ, en tibi iuuenem qui vias suas in adolescentia correxit, quia Christi verba custodiuit, dicens ad eum: Diligemus vbera tua super vinum; sic tamen bibens, vt non absorberetur à vino, sed gratia eius lætitiæ cordis hauriret, &c.* Certè somnus ad vinum digerendum opportunus est, efficitque vt digestum delectet, cordique exhilarando profit, & caput minimè tentet. Ioannes ergo supra pectus Christi recumbens, omni vino suauiora, & potentiora mysteria bibebat, ac bibens dormiebat: ideo illa sibi, nobisque perfecte decoxit, atque digessit, & digesta decoctaque eructauit, cum dixit: *In principio erat Verbum, &c.* Ideoque ad lætitiæ, non ad ebrietatem hauriebat. Nota per id tempus Christi Domini pectus de passionis instantia, aut præsentia vehementissimè affectum rotum tristitia & mœrore plenum fuisse: & tamen discipulus inde lac prædulce, & vinum lætitiæ cordi inspirans, exprimebat. Hinc autem Superiores & Prælatos commonet Lyra, ne suos mœrores & tristitias subditis propinare velint: quin potius etiam cum ipsi mœsti, & curis angoribusque pleni sunt, subditis lætitiæ, & solatia haurienda præbeant.

Illæ etiam verba, *Æquitas dilexit te*, Ambrosius accommodat Ioanni, tanquam ab ipso ad Christum dicta, hoc sensu: quia omnis rectitudo, omnis probitas, & honestas tibi placet, & tu identidem illi probaris; ideo correxi vias meas à iuuentute, &c. Si tamen cum Nysseno puellis tribuas id de Ioanne enuntiantibus, *Æquitas*, (id est, Christus) *dilexit te*; quia nimirum *hic est discipulus, quem diligebat IESVS.* non parum Ioannem commendabit hæc vox, quatenus significat in eo amore, quo Christus Ioannem amplexus est, non æquum modò, sed æquitatem ipsam fuisse: quia videlicet illum non ex aliquo studio, aut affectata beneuolentia, sed iustè admodum pro meritis adamarit. Hæc autem merita tute tibi numerari potest. Alia quæ de hoc posteriori hemistichio Patres scripserunt, Ecclesiæ cum anima communia sunt, atque adeò in superiori Appendice peruideri possunt.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de B. Virgine.

IN TRODVXIT me Rex in cellaria sua. Si verba ista ad tempus præteritum referantur, atque adeò de translatione sponsæ à domo paterna in gynæceum pro cultura formæ ad futuras Regis nuptias explicentur, sensus in promptu est de

de adductione B. Virginis à domo parentum in templum, vbi cum reliquis virginibus diutiùs agens ad Incarnationis futuræ connubia exulta & præparata fuit. Quomodo autem B. Virgini templum pro gynæceo fuerit, longa oratione persecuti sumus *vers. 1.* in expositione hypermystica, & in *Isagoge cap. 14.* lege ibi.

Si verò secundæ expositioni adhæreamus, quæ dicta verba ad futurum tempus transfert, & per *cellaria* omnia promptuaria, siue apothecas domus Regiæ concipit, in quas commissis clauibus quamprimum se inducendam iure nuptiarum sperat simul ac postulat Sulamites, sensus erit eiusmodi. Contemplare Dei genitricem futuram in templo velut in gynæceo adhuc agentem, ad Incarnationis nuptias perfectissimè exultam & præparatam, atque adeò sic apud se loquentem: *Introducet me Rex in cellaria sua.* id est, Rex meus ac sponsus Christus in suarum copiarum ac bonorum omnium apothecas, & in penetralia domus suæ traditis clauibus immittet me. hunc sensum non obscure tradit Ambrosius *serm. 2. in Psalm. 118.* vbi hæc verba B. Virgini cum Ecclesia communia esse dicit. Ea igitur, quæ de Virgine ferit, hîc adscribam: *Fortasse illud quod addit supra: Osculetur me ab osculo oris sui, significat superuenientis Spiritus sancti gratiam, sicut Angelus ad Mariam dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Quando autem introduxerit eam Rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio, sanguinis effusio declarat: ut nimirum osculum quasi sponsa acceperit, & in cubiculum Christi sit introducta, non iam quasi tantummodo desponsata, sed etiam quasi nupta, non solum thalamum ingressa, sed etiam legitima clauis copula consecuta sit.* Hactenus Ambrosius, qui hæc verba eodem filo de B. Virgine, & de Ecclesia concepisse videtur. In quibus per cubiculum planè intelligit corpus Christi: sic enim infra atexit, *Cubiculum Ecclesia corpus est Christi.* In hoc autem cubiculum tunc demum velut referatis foribus Mariam introductam fuisse dicit, cum lancea latus eius aperuit; tunc enim ad interiora Christi viscera ipsi penetrare, & in omnes, qui in eodem Christo sunt, thesauros manum mittere licuit acceptis clauibus, ut per vices aperire & claudere posset. Quod perinde est, ac si dicat, tunc Virgini potestatem datam fuisse in ea omnia bona, quæ Christus nobis passione ac morte sua promeruit. quæ bona in ipsò pectore Christi velut in gazophylacio condita & obserata apud se cogitans, eius clauis B. Virgini contradictas esse affirmat, ut his uti, & ea dispensare ex libito possit. Hæc autem est altera significatio traditionis clauium, quam in mystica expositione tradidimus, scilicet communio & participatio, ac dispensatio omnium bonorum sponsi.

De hac quoque bonorum dispensatione captauit prædicta verba Ioannes Gerson, qui in eo discedit ab Ambrosio, quod hic per *cubiculum*, vel *cellaria Regis* gazophylacia & thesaurorum apothecas accepisse videtur: ille verò penum, & promptuaria ciborum, atque adeò de B. Virgine & de dispensatione Eucharistiæ interpretatus est ad hunc modum Alphabeto 82. lit. Z. *Tu (inquit) mater es Eucharistia, id est, mater gratia bone, tu clauigera cellariorum Regis pacifici; tu frangere panem potes illum petentibus; tu epularis quotidie splendide, non negabis micam vlcerosi nobis atque mendicis.* Et eadem ratio est de aliis Ecclesiæ Sacramentis, quibus Christi penus instruitur, ut supra in expositione prophetica diximus: hæc enim omnia sub eadem Mariæ clauis condita sunt, ut ea pro libito fidelium omnium familiæ dispense. Rursus idem Gerson *vbi supra*, in penu Christi omnes spirituales delicias & internas voluptates vini ac ciborum loco ponens, sic demum ait: *Quod si nos introduxerit ista, quam loquimur, Beata Maria in cellaria Regis, in cellam vinariam, cuius est modo clauigera? Quid stupes, quid miraris si sobriam ebiberimus ebrietatem spiritus, &c.* Denique in Alphabeto 90. lit. O. iterum Christi penum ex omnibus fidei mysteriis tanquam ex multis cibus instructum considerans sic scribit: *Contemplabatur B. Virgo quemadmodum electi omnes conferunt partes suas ad opulentiam huius conuiuij à primo Abel iusto vsque ad ultimum, qui nasciturus est in hoc mundo: considerabat duodecim Apostolos, qui volentes conuiuium esse splendidum, elegerunt ex omnibus reliquijs ciborum à Domino benedictorum duodecim cophinos: hos vocamus symbolum Apostolorum; apposuit enim quibuslibet bolum suum, id est, articulum, sed, ô Deus, quam magna virtute refertum! Introducat nos nunc Rex in hac cellaria sua, quorum tu Maria cellaria sua, & clauigera es.*

Alij etiam per cellaria ista contemplationem mysteriorum & arcanorum Dei accipiunt. In his Ambrosius *in serm. illo 2. in Psalm. 118.* qui tunc demum B. Virginem in eiusmodi cellaria inductam fuisse annuit, cum Euangelista ait, *Maria autem conserua-*
bat

bat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et quidem ad hoc contemplationis penetrabile excepta Virgo claves illius accepit: hoc est, (iuxta alteram significationem traditionis clauium, quam in superiori expositione dedimus) ita ad Lares intimos vitæ contemplatiuæ admissa fuit, vt claves, id est, veniam inde foras ad actiuam vitam prodeundi, simul caperet, vt vtriusque vitæ exercitia complecteretur, & exempla vtriusque Ecclesiæ dimitteret, Mariam simul, & Martham in se colligens; illam quidem intra castellum semper manentem, hanc verò è castello per vices exeuntem.

Quòd si cum Sexto Pompeio claves nouæ nuptæ traditas fœcunditatem & partus suscipiendi, edendique facilitatem notare dicas, ob rationem suprâ adscriptam, aptissimè certè in Mariam cadent hæc verba, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, id est, adduxit me in Penates domus suæ, & eorum claves mihi tradens, sub eo symbolo fœcunditatem, partusque facilitatem mirabilem mihi affuturam significauit. Hanc Mariæ fœcunditatem Lucas Euangelista amplificauit, dicens: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* de qua Dionysius Richel. in *præconio Mariæ lib. 1. art. 68.* inter alia sic scribit. *Nihil Deo causalius, nihil Deo fœcundius. Si ergo creatura sit aliqua nedum consimilis, sed eiusdem cum Deo productrix sit germinis, haud dubium eam diuinitati effectam quàm simillimam, amplioremque quàm vel cogitari queat, aut fari fœcunditatem adeptam fuisse.* Et post pauca: *Nunc igitur gaude ô Maria, quia in omni creaturarum vniuersitate nulla est quæ tuæ valeat fœcunditati comparari.* Et comparat eam cum cœlo & sole, quæ secundum Philosophi sententiam sunt causæ vniuersales omnium inferiorum, ad omnem naturalem generationem concurrentes. Rursus fœcunditatem istam exaggerans, non tantum in generatione eiusdem germinis cum Patre spectari dicit, sed etiam in generatione spiritualium filiorum. *Nihil enim sine te,* (verba sunt Dionysij) *& tua cooperatione, ô superfelix Maria, reparare, & item reficere & regenerare voluit Deus.* Vnde Mariam, liceat sic dicere, longè causalio-rem & fœcundio-rem esse decernit, quàm sit sol & cœlum, quia sol & cœlum cum omni alia inferiori & naturali causa efficiunt, ac generant. Maria verò cum omni alia supernaturali causa ad effectus & generationes supernaturales concurrat tanquam vniuersalis omnium causa, quæ scilicet innumerabiles in singulos dies filios edit, ac parit Deo. Ad hæc Marianæ fœcunditatis nobilitatem in eo ponit, quòd Virgo perseverans filium genuit: hoc enim cunctam humanæ fœcunditatis efficaciam excedit. Ac demum ex eo dictam fœcunditatem exaggerat, quia suum procreauit creatorem, quod omnem etiam creaturarum facultatem & vim superat; vt propterea meritò dici queat in nuptiis quas cum Christo copulauit, id est, in Incarnatione, cum ad cubiculum, seu thalamum sponsi admissa fuit, claves ad futuræ fœcunditatis designationem accepisse: & ad partus quoque facilitatem notandam, quam non solum in editione filij naturalis experta fuit, cum ipsum sine molestia aliqua gestatum absque dolore enixa est, sed etiam in spiritualium filiorum parturitione. quos similè ad modum doloris expers, cum voluptate Deo genuit, ac semper gignit.

Si verò per *cellaria* iuxta tertiam interpretationem in cortice datam triclinium, aut cœnaculum accipiamus, in quo exhibenda erat cœna nuptialis, sensus certè petendus erit ex his, quæ diximus in *Isagoge cap. 14.* vbi fusè docuimus, qua ratione Virgo sanctissima ante ipsam institutionem Eucharistiæ, illam spiritualiter sæpe ac sapius comederit: ac specialiter quonam modo in Conceptione & Incarnatione Christi illam suauius degustarit, dicemus infra *cap. 2. vers. 4.* in expositione hypermystica. Quapropter sententia horum verborum, iuxta dictam cellariorum acceptio-nem, hæc est: *Introduxit* (vel potius) *introducatur me Rex in cellaria sua*, id est, vellem prorsus vt Rex ac sponsus meus Christus me sibi legitimè copulatam per Incarnationem Verbi sui in visceribus, & ex visceribus meis peractam, ad nuptialem cœnam excipiat, id est, iam tunc in quantum fieri potest, corporis & sanguinis sui conuiuium spiritualiter gustandum mihi præbeat. Hæc ante Incarnationem Deipara Virgo in templo tanquam in gynæceo degens: quia licet iam tunc ipsi in templo manenti prædictam corporis, & sanguinis Christi cœnam dicto modo spiritualiter gustare licuerit, vt in *cap. illo 14. Isagoges*, & suprâ *vers. 1.* ex sententia Gersonis docuimus, tamen illud nouo modo suauius ac dulcius in Incarnationis nuptiis, quasi pro cœna geniali & nuptiali à se degustandum sperabat: quemadmodum ostendemus infra *loco citato.*

Quomodo autem Christus erga Virginem in cœna conuiuij Regem & symposiarcham egerit, pete ex his, quæ diximus suprâ in expositione prophetica. Nam quæ ibi de Ecclesia in vniuersum contulimus, ad Beatam Virginem conuertere pronum erit.

Quarta demum acceptio cellariorum est pro cubiculo vbi thalamus genialis est, ex qua huius loci maximè germanam interpretationem depromi docuimus ad sonum allegoriæ; ac secundùm illam hæc verba Virgini tradere procliuè est. *Introduxit me Rex in cellaria sua*, id est, *introducat me* (vt aliàs monui) quasi dicat, sponsus meus, atque Rex meus Christus ocyùs descendat, ac me veluti sponsam ad cubiculum & thalamum suum admissam, non tantùm per spiritualem vnionem sibi deuinciat, animam meam sibi adiungens, vt hætenus ante Incarnationem fecit, sed vltèriùs etiam carnem meam sibi copulet: vt quemadmodum ex consummatione nuptiarum euenire solet, non tantùm vnus animus, sed etiam vna caro sumus per Incarnationem. Nam, vt aliàs non semel monui, & infrâ *cap. 2. vers. 6.* vberius dicam, Beata Virgo nuptias suas cum Christo in Incarnatione consummauit, quas reliqui non priùs consummant ac perficiunt, quàm Eucharistiam acceperint. Maria enim per carnem, quam ex intemeratis illius visceribus Dei Verbum assumpsit, vnâ cum Christo caro effecta fuit: reliqui verò istam carnis vnitatem, in qua nuptiarum consummatio consistit, ante vsum Eucharistiæ non assequuntur, vt infrâ fusiùs ostendemus *locis citatis*. Hanc autem vnitatem carnis deprecatur B. Virgo cùm se in cubiculum & in thalamum sponsi induci postulat.

Exultabimus, & letabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Verba sunt puellarum pedissequarum, quæ sponsa ad thalamum transeunte, Epithalamia, seu carmina nuptialia cum lætitiâ & ouatione se decantaturas pollicentur, vt in sono allegoriæ docuimus. Atqui per eiusmodi adolescentulas pedissequas in hac expositione hypermystica, vel ipsas sanctissimæ Virginis facultates, & vires tam animi, quàm corporis, vel alias animas eiusdem Dominæ obsequio mancipatas, vel specialiter alias virgines illius exemplum sequentes intelligere licet: quia omnes istas pedissequarum puellarum differentias B. Mariæ tribuere congruum est; omnesque ad illius nuptias decantandas, & Epithalamia occinenda idoneæ sunt.

Si enim tam animi, quàm corporis facultates pedissequarum loco ponas, eodem modo de B. Virgine decernens, quo suprâ in expositione mystica de singulari anima ex Chrysostomo statuimus, dicemus quidem dictas vires, & facultates per Profopœiam induci, sic sponsæ, id est, Mariæ denuntiantes: Cùm primùm te ô Maria sponsus tuus Christus ad thalamum suum admiserit, nuptias per assumptionem carnis consummans, nos quidem Epithalamium concinemus, id est, concentum quendam suauissimum Epithalamij loco dabimus, omnes scilicet mirabili concordia cohærentes, & actiones nostras modulatissimè exercentes, dulcissimam reddemus harmoniam. Hoc est Canticordium illud, quod Ioannes Gerson Virgini tribuit *Alphab. 70. lit. Q. & seqq.* vbi ad illa verba, quæ Virgo ipsa in suo Cantico expressit: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, inter alia sic serit: *Maria cecinit in spiritu, & saltauit, nimirum carmen illud nuptiale, quod Epithalamium dicimus. Sed quarum nuptiarum? utique plurimarum. Nubebat in virginalis vteri palatio humanitas cum Deitate, caro cum Verbo: nubebat deiformis Mariæ spiritus Deo suo Domino & Agno, qui erat tanquam sponsus procedens de thalamo suo, verus Sol iustitiæ, ponens tabernaculum suum in corde Mariæ, quæ erat mulier amicta sole, desponsata vni viro, Virgo casta I E S V Christo.* Cùm verò audis Gersonem asserentem Mariam ipsam in suismet cum Christo nuptiis Epithalamium dixisse, per Mariam quatenus occinit, eiusdem spiritum, id est, animi vires, & potentias intellige. nam de his sic statim addit: *Figamus in hoc spiritu Mariæ exultante spirituales oculos cordis, consideremus hunc deiformem spiritum tanquam Angelum vnum Dei sine carne, & sanguine: nihilominus aspiciamus illum pro tempore viæ tunc verè passum diuinam & humanam.* Nam inuenta sunt in ipso non confusa hæc omnia, spes, metus, mæror, gaudium. Habebat insuper affectiones varias proportionabiles passionibus illis, quibus anima sensu corporeo vtens afficitur, non sine motu carnis ac corporis; bonos tamen omnes habebat, moderatos & ordinatos sub monade Deo, in harmoniam pulcherrimam, suauemque, quam inhabitatrix Dei sapientia delectabatur audire. Deinde harmoniam istam amplificans, nihil in ipsa dissonum, nihil absurdum fuisse dicit. *Spiritus Mariæ cum nulla dissonantia criminali, vel veniali passus est affectiones ex*

conditione

conditione natura mortalis proportionales passionibus carnis. Hæc ille de concordia omnium affectionum atque passionum internarum, quam in nuptiis Mariæ cum Christo pro concentu vocum fuisse dicit ad Epithalamium pangendum. Deinde verò addit has voces nequaquam solas insonuisse, sed cum organo aliquo, aut instrumento musico ad modulos coniunctas fuisse. Sed quale istud organum? attexit ille: *Respicimus in ea formatum organum vnum præstantissimum, per quod & in quod spiritus Mariæ canticum suum non introrsus clausum teneat, sed ad exteriora deducat. Conuertimini; inueniuntur ad corpus eius organicum physicum, quod omninò contemperatum fuit, & ita prorsus elongatum ab omni fomite rebellis dissonantia, quòd etiam minimè potuit operationum motula sibi discors esse. Gloriosum planè dixeris organum tale, & ad omnem harmoniam formabilem summe dispositum.* Ad hunc modum in B. Virgine omnes vires interne veluti adolescentulæ pedissequæ actiones suas valdè concordēs quasi pro vocibus reddentes, & easdem cum affectionibus corporis, tanquam cum alicuius organi sonis temperatissimis modulantes, nubenti cum Christo animæ Epithalamium occinebant, atque ad eò meritò hæc aiunt: *Exaltabimus, & letabimur in te, &c.*

Quòd si per dictas pedissequas nuptialia carmina pangentes alias in vniuersum piæ animas B. Virginis obsequio addictas intelligamus; primò confectariè ad ea, quæ suprâ in expositione prophetica, & in Isagoge cap. 7. de Ecclesia prouinciamus; nimirum per Epithalamia matutina & nocturna, quæ puellæ à se pangenda promittunt, vsum horarum maiorum, seu officij maioris in eadem Ecclesia prophetice significari) haud temerè etiam dicemus iuxta expositionem hypermysticam de B. Virgine, eiusdem Virginis horas (quas *minores* vocant) per dicta Epithalamia tum matutina, tum vespertina, adumbrari; quas plures illius studiose animæ in singulos dies ipsi deuotissimè persoluunt. Lege plura quæ in illo cap. 7. de Ecclesia contulimus; & paria tu de Virgine meditare, cui obsequium minoris officij à pluribus exhibetur. Quòd si id non placet, eodem modo nunc de B. Virgine sicut suprâ in expositione mystica de anima contemplari licet, vt nimirum plurium animarum de ipsius obsequio inter se consentientium concordia, & conspiratio, concentus quidam appelletur; quatenus hæc per dictam morum consensionem, & conspirationem mysticam & spiritualem quandam hymnodiam componere videntur, vt in eo loco præfati sumus. Eiusmodi autem sunt plures cœtus, sodalitia, & congregationes tam virorum, quàm mulierum, quas studium & obsequium erga virginem cogit. hæc enim spiritualiter ac mysticè nuptias illius cum Christo dulcissimis Epithalamiis prosequuntur, suauiore longè harmoniam cordibus, quàm oribus personantes. Epithalamia, inquam, canunt tam matutina, quàm vespertina; siue quia hi cœtus tam ex iunioribus, quàm ex senioribus colliguntur; siue quia ex incipientibus, & perfectis coalescunt: ex quibus hi matutinos, illi vespertinos hymnos decantare meritò dicentur. Propriùs accedit ad hanc sententiam præscriptus Ioannes Gerson in Canticordio Alphab. 79. à lit. I. *vbi plures conscientias à peccatis ad purum mundatas, & de obsequio Dei inter se complacentes, & in Deo collatantes & congaudentes Canticordium plurium vocum, atque sonorum Deo ac virgini pangere longa oratione conficit.*

Denique si in supradictis puellis Deiparæ pedissequis virgines alias eiusdem Deiparæ exemplo ad Christum adductas concipiamus, his etiam Epithalamia tribuere bono sensu licet. Nam virginibus Canticum nouum dat Ioannes Apocalyps. 14. *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores; & nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit.* Sed vt plures dimitam de cantici huius noui significatione sententias, ego quidem ipsam carnis & spiritus, & earum virium, seu passionum, quæ carnem spiritumque sequuntur, concordiam & harmoniam, quàm virginitalis pura, & immaculata obseruatio perficit, Canticum nouum appellari reor: quod ideo nouum dici arbitror, quia dicta virginitalis obseruatio cum nouo Testamento bonis aurbus auspiciata est. Hæc igitur sunt cantica imprimis dulcia & suauia, quibus omnes virgines sanctissimæ Deiparæ ancillæ ac pedissequæ t eius cum Christo nuptias occinunt, vespertina & matutina cantica eidem assiduò personantes, hoc est, modulatissimam illam carnis & spiritus harmoniam à primo manè, id est, ab exordio vitæ ad vesperum, hoc est, ad finem vsque vitæ sine aliqua dissonantia, vel absurditate libidinis conseruantes. De his virginibus Deiparæ pedissequis quamplures exponunt

exponunt illa verba Psalm. 44. *Adducentur Regi virgines post eam.* Sed quod erit adductarum munus, quæ functio? *Adducentur in lætitia, & exultatione* (concinunt hæc verba cum illis, *Exultabimus, & letabimur in te, &c.*) quasi dicat, ideo adducentur, vt Mariæ thalamos cum lætitia & ouatione pangant. Illam verò *lætitiã & exultationem* ad conscientias pertinere dicit Ambrosius: Cassiodorus verò *lætitiã* ad animum, *exultationem* ad corpus refert, & in vtriusque corporis animique concordia & concentu ponit. Pergo ad extrema verba.

Recti diligunt te. Hæc verba de amicis sponsi capienda esse in allegoriæ sono diximus, quos iam iam proximè ad vota facienda, id est, impetrandum sponsæ consensum ad nuptias venturos puellæ spondent. Hi autem in expositione hac hypermystica de B. Virgine non alij esse possunt, nisi Angeli (ita docet Honorius Augustudunensis hîc, & nos etiam de hac thesi infra vberius dicemus, ad illa verba: *Murenas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*) hoc enim munus egit Gabriel Archangelus, & alij ipsum stipantes spiritus à Deo legati, vt B. Virginis consensum ad Incarnationis nuptias implorarent, & obtinerent. Lege plura *loco citato.* De his ergo ait, *Recti diligunt te*, id est, Angeli ipsi beati, qui nihil non rectum agere ac meditari possunt, & qui, aliis à rectitudine sua excidentibus, in iustitia perstiterunt, adamant te impensius, & pro suo erga te amore has nuptias tibi cupiunt, atque ad eò ad vota facienda, id est, ad consensum tuum implorandum paulo post venient.

De amore Angelorum erga Mariam aliquid hîc serere oportet. Mitto eos, qui cum ruinas Angelorum in eo ponant, quòd in sua conditione Christum & matrem eius (quos ex Dei reuelatione iam tunc futuros nouerant) adamare & adorare iussi, id detrectarunt; qui etiam consecrariè bonos Angelos ideo à ruina illa vindicatos, & assertos affirmant, quia Christo & matri amorem & adorationem detulerunt. quòd non solum antiquitatem, sed vehementiam etiam huius amoris ostendit. Quia sicut in hac sententia infelices Angelos philautia, id est, amor sui vehementior, ab amore & honore Christi & matris eius auertit; ita etiam felices Angeli à philautia alieni, tam Christum, quàm matrem eius iam tunc plus adamarunt, quàm se ipsos: vt tradit Amadæus in *cap. 2. suarum Reuelationum.* Quapropter aptè cadunt in illos ista verba, *Recti diligunt te*, id est, Angeli qui à rectitudine sua non exciderunt iam olim, te adamant, te adorant, quia amor tuus & adoratio tua ipsis felicitatem attulit. Sed missa hæc facio, quia cum aliis Theologiæ principiis non valde cohærent. Illud cohærentius quòd S. Brigitta in *serm. Angel cap. 4.* tanquam ab eodem Angelo dictatum scribit. Nam postquam dæmonum ruinas, & bonorum Angelorum perseuerantiam descripsit, hos quidem statim atque ad beatitudinem admissi fuerunt, de B. Mariæ futura creatione quamprimùm edoctos fuisse, & in ipsius amorem vehementer exarsisse dicit. *Intuebantur, inquit, in illo benedicto speculo, scilicet Deo creatore, sedem quandam reuerendam ipsi Deo ita propinquam, quòd impossibile videbatur aliquam aliam sibi fieri propinquiorem, & illam creaturam adhuc increatam esse nouerant, cui ab aeterno sedes illa exiitit preparata. Ex intuitu autem claritatis Dei (vide ordinem charitatis angelicæ) omnes Angelos ita diuina charitas inflammabat quòd quilibet alium sicut se ipsum diligebat: veruntamen Deum maximè & super omnia: atque illam creaturam nondum creatam, quæ in sede Deo propinquiori erat collocanda, plus se ipsis amabant, quia videbant illam summè diligere, ac de illa permaximè gratulari Deum. Omnium consolatio Virgo, hoc ipsum tu es, ad quod Angeli à principio suæ creationis tanta exarserunt charitate, quòd licet ex suauitate & claritate quam ipsi in Dei visione habebant, ineffabiliter letabantur: plurimum tamen ex eo gauisi sunt quòd tu ipsi Deo propinquior illis fieri debebas, & ex eo quòd maiorem claritatem, maioremque suauitatem, quàm ipsi, habebant, tibi videbant reseruari. Vtteriùs etiam de hoc Angelorum erga Deiparam amore in consequentibus attextit. Videbant etiam super sedem illam coronam quandam tantæ pulchritudinis, tantæq; dignitatis, quòd nullius maiestas nisi solius Dei illam debebat excellere. Vnde quamuis nouerunt Deum magnum honorem, & gaudium ex hoc veraciter habere quòd ipsos creasset; maiorem tamen honorem, & maius gaudium ad Deum peruenire videbant ex eo, quòd tu ad tam sublimem coronam creari debebas. Et ideo ipsi Angeli de hoc magis exultabant quòd te Deus creare volebat, quàm ex eo quòd ipsos creauerat. Et sic tu ò Virgo sanctissima Angelis mox vt creati fuerunt, gaudium fuisti, quæ ipsi Deo sine principio summa delectatio extitisti: & sic verè Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo de te ò Virgo creaturarum omnium diuissima, antequam creareris, intimè congaudebant.*

atenus Angelus ad Brigittam, qui tantum & tam ardentem Angelorum erga Mariam amorem ex eo profectum dicunt, quòd immensam Dei erga eandem dilectionem iam tunc agnoscebant, atque adeò in eo sui amoris gradu ipsam ponebant, in quo ipsam in Dei amoribus esse sciebant.

Est tamen aliud caput, ex quo dilectionem Angelorum erga Beatam Virginem aucupari licet, nimirum ex amore eiusdem Virginis erga illos. Nam cum amor non aliter rependi possit nisi amore, eo certè impensior est, ac semper fuit Angelorum erga Virginem dilectio quo se ab eadem Virgine ardentiori amore complectendos nouerant. Quantitatem verò amoris, quo sanctissima Virgo beatos Angelos persequuta est, ex aliquot capitibus metiri licet. Primò ex regno illius, quia nimirum Angelos tanquam suæ ditionis maximè nobilem partem, non potuit non pluris facere, atque ipsos ardentius adamare. Secundò, quia eos tanquam suæ exaltationis præcipuam causam considerabat, quatenus ad eorum ruinas instaurandas & reficiendas à Deo electa & præparata fuit. Tertiò, quia virginitas, quæ apud ipsam in tanto pretio semper fuit, eam Angelis quàm simillimam effecit: similitudo autem amorem sponte nutrit. Quartò, quia per eosdem Angelos dignitas matris Dei illi denuntiata, & ad ipsam perlata fuit. Quintò, amorem illius augebat obedientia & obsequium Angelorum, quod præfatus Angelus in *serm. illo cap. 20.* S. Brigittæ significauit his verbis: *Angeli ita post assumptionem eius in cælum obedientes virgini effecti sunt, quòd omnes inferni penas libentius sustinerent, quàm aliquibus suis præceptis in aliquo contradicere.* Hæc & alia suppetunt quæ Mariæ dilectionem erga Angelos vsque adeò inflammabant, vt omnium Angelorum erga superiorem quemlibet spiritum (puta erga Michaellem, si tamen supremus est in Seraphinorum choro) collectus amor amorem, quo B. Virgo minimum Angelum ex infimo ordine amplectitur, longissimo interuallo non attingeret. Ita planè docere videtur S. Bernardinus *tom. 1. serm. 61. art. 3. cap. 2.* qui excessum istum amplificauit his verbis: *Tantus est amor B. Virginis ad quemlibet minimum gloriosum, quòd omnis amor, quo in regno cælorum vniuersa natura Angelica, & humana diligit aliquem iam beatum (sive Angelum, sive hominem,) est quasi centrum ad circumferentiam firmamenti, vel minus: respectu amoris quo ipsa Virgo gloriosa minimum beatum (vel hominem, vel Angelum) amat, considerato fontali principio vnde talis amor originem habet.* Sed quid inde? certè vt hic tam ineffabilis amor, quo B. Virgo singulos Angelos prosequitur, compensationem dignam habeat, res ipsa postulare videtur, vt quilibet Angelus singularis maiori ipsam dilectione amplecteretur, non quàm se ipsum modò, aut alium quempiam; sed quàm sit ille, qui euaderet ex collectione omnium amorum, quibus omnes Angeli sese inuicem ardent. Dices id fieri non posse, quia vnus Angeli voluntas ad tantum amorem ne aspirare quidem poterit, nedum attingere. Cæterùm eo argumento euietus S. Bernardinus, annuit prorsus, tantumque, & non minorem beatis Angelis erga Deiparam, amorem tribuit: nam in dicto sermone sic vltèriùs scribit: *Nunc igitur ad propositum, statuamus ex vna parte integraliter totum amorem, quem ad inuicem habent Sancti & Angeli omnes, & ex altera parte amorem, quo minor beatus Angelus diligit virginem gloriosam; & credo quòd talis amor minimi gloriosi excedat omnem alium amorem Beatorum simul sumptum, tam angelicum, quàm humanum.* Cuius assertionis rationes quatuor statim attexit, quæ cum his coherent, quas nuper dedimus.

Ad amorem istum tam ardentem Angelorum erga Deiparam significandum, spectare dicit Albertus Magnus in *Mariali cap. 17.* descensum Seraphin ad inflammenda Isaiæ labia. Nam cum statim ab hoc Propheta illa verba, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel,* vsurpari oporteret, labra illius ignito calculo suppurari debuerunt. Hunc verò calculum, seu carbonem, non alius ex inferioribus Ordinibus, qui aliàs mitti consueuerunt, sed ex supremo Choro Seraphinorum dignissimus attulit (inquit Magnus Albertus.) quia Seraphino amor tribuitur, vt vel ea ratione testatissimus esset amor ardorque omnium Angelorum erga Virginem, vtpote qui tam amantem, ardentemque nuncium ad Prophetam in eius causa mandare voluerunt. Hæc de Angelorum amore erga Deiparam, plura dicturus infra *vers. 10. & 11.* in expositione hypermystica.

Si autem ista verba, *Recti diligunt te,* de amore iustorum erga Deiparam concipiamus, vt planè accipiunt Rupertus, Honorius, Dionysius, Guilielmus & alij, sensus est perspicuus, omnes quotquot probi, quotquot iusti, & pij sunt, te impensè diligunt;

diligunt; & qui te non adamant ardentius, neque probi, neque iusti, neque pij sunt. Si autem de quantitate amoris hominum iustorum erga Deiparam inquiramus, si de Beatis sermo sit, eadem certè in hominibus & in Angelis dicti amoris mensura est, vt ex S. Bernardini verbis superscriptis liquet. Si verò de his loquamur, qui in exilio adhuc manent, hoc tantùm affirmare libet, eisdem incrementis iustitiam & probitatem in ipsis augeri, quibus amor erga sanctissimam Deiparam in eisdem crescit. Si enim amor Dei cum proximi amore ita cohæret, vt non possit vni accessio aliqua fieri, quin alter eandem accessionem suscipiat; cur non istam, imò longè maiorem cohærentiam inter se habeant amor Dei, atque matris eius; vt nimirum vnus cum altero simul vel augeantur, vel decrescant? Liceat ergo illa verba Ioannis ad Mariam transferre: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & matrem eius non diligit, mendax est. Qui enim non diligit matrem eius quam videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* Non solùm autem ad Deiparæ dilectionem nos iuuare debet natura illius visibilis, quæ per sensus externos ad animum illapsa, ad eundem animum permouendum idonea magis est; sed etiam quod ipsum Deum nobis ad spectabilem ac visibilem reddidit: hoc enim inter nostri erga illam amoris incitamenta refert Dionysius *de praconio Virginis lib. 1. cap. 2* 1. Sanè amor proximi sic cum Dei amore cohæret, vt docet S. Thomas *in opuscul. de charitate*, sicut furculus alienus arbori cuiusdam insitus. Nam quemadmodum hic cum primùm trunco adhæsit, ex eadem viuens radice non minori felicitate adolescit, quàm naturales rami ex eodem pullulantes stipite: ita etiam amor proximi insitus est amoris Dei ex eodem charitatis habitu vitam trahens; & suarum actionum ramos & fructus non minus feliciter profert, quàm ipsa dilectio Dei. Id ipsum de amore nostro erga Mariam cogitare licet. Quia verò in arborum insitione id ab agricolis obseruatum est, non omnes arbores aliis æqualiter inhære, nec postquam adhæserunt, omnes æquali vbertate progerminare; sed quæ similiores sunt, & meliùs commisceri, & vberius progerminare: vulgo dicitur *huesso con huesso, y pepita con pepita.* & Columella *in lib. de Arborib. cap. 27.* eas quæ maximam cohærentiam habent, matres, filiasque appellat. Cogita ergo amorem Dei veluti primæuam arborem cuiuslibet proximi amorem sibi insitum adoptare, & excipere, vt ex eadem radice habitus charitatis supernaturalis efflorescat. At quis neget, eum qui sibi similior est, scilicet amorem, & dilectionem Mariæ matris longè meliùs ab ipso excipi, & adoptari; itavt vtriusque rami, seu actiones ex eadem radice succum & vitam trahentes sicut meliùs cohærent, sic etiam feliciùs vberiusque progerminent.

Non solùm autem amor Mariæ cū charitate & dilectione nostra erga Deum, eam, quam dicimus cohærentiam habet, sed etiam cum proprio amore, quem philauriam appellamus; itavt nullus seipsum satis ardentè amare putandus sit, qui Mariam ardentissimè non amet. Subiicio verba Alani apud Delrium: *Non omnes diligunt te ô Maria, quia non omnes diligunt se. Quòd si diligerent te, diligerent utique seipsos, & accurrerent ad vbera tua. Itaque recti soli, & qui se priùs per odium iniquitatis diligunt, hi soli diligunt te, &c.*

Succedat translatio Septuaginta. *Rectitudo*, vel *Æquitas dilexit te*. Huius translationis vim habes in sono allegoriæ, vbi nomine *rectitudinis*, aut *æquitatis* sponsum notari diximus, hoc sensu: Non tu amorem, & nuptiarum petitionem inchoasti, sed sponsus prior te adamavit, & nuptias tuas ambiit. Sic puellæ ad sponsam, sic item animæ iustæ ad Mariam. Certè in humanis connubiis ideo iniria amoris melius sponso tribuuntur, quàm sponsæ, quia pudor virginis id postulat, vt prius ipsa admetur, quàm amet. Ideo verò hoc ad pudorem spectare vulgo putatur, quia sexus imbecillitas id postulat, vt potentiori ac fortiori sexui amoris exordia concedat. Aliquid huic valdè ad simile non quidem voluntarium, sed necessarium in nuptiis spiritualibus Dei & Mariæ contigit: ille enim amorem inchoavit, ille nuptias primus petiuit, quia Maria, quæ est naturæ humanæ imbecillitas, eas nec petere prior potuit, nec aliter acquiescere, nisi expetita. Sed quando (inquies) prædictas Mariæ nuptias Deus tanquam sponsus petiuit, aut expetiuit? Ab æterno certè expetiuit, & adamavit Deus Mariam. Huius æternæ dilectionis, qua Deus Mariam complexus est, Bernardus, Bonaventura, Damascenus, & alij passim Patres meminerunt. Quòd si illud in mentem veniat, præfatam dilectionem Mariæ communem fuisse cum aliis iustis, quos similem ad modum Deus ab æterno adamavit, vt in expositione propheticæ

rica & mystica præfati sumus, vide quæ diximus in cap. 8. Prouerb. 6. ad illa verba, *Domini creauit me in initio viarum suarum*, &c. atque inde agnosces, qua ratione electio Dei, & amor erga matrem suam tum prior, tum etiam maior, ac dignior extiterit. Dicam etiam hîc aliquid, compendio vtens.

Primò in amore æterno Dei erga Mariam id contemplari oportet: quasi ordinem decretorum ipsius Dei speculemur, omnes alios homines prius Deus odio habet, quàm diligit, quia omnes per culpam originis prius iræ filios futuros præuidet, quàm gratiæ ex Christi meritis restituerentur. At verò Virgo Deipara in nullo æternæ prædestinationis signo non adamata fuit; quippe quæ ab omni originis labe mundissima extitit. Non solum autem diuini alicuius odij scopus nunquam fuit, sed nec in debito illius incurrendi apud Deum aliquando mansit; vt pote quæ non culpa solum, sed illius etiam contrahendæ obligatione ac vinculo caruit. Quapropter meritò de ipsa enuntiatur; *Rectitudo dilexit te*. Alios enim Dei misericordia diligit, postquam iustitia ad condonandum & parcendum deflexit, quæ scilicet apud illos aliquando læsa fuit. At verò Mariam ipsa Dei rectitudo ac iustitia, impensè adamat, quia neque ab illa vnquam læsa fuit, neque illi aliquid condonauit. *Rectitudo dilexit te*.

Secundò amorem Dei erga Virginem priorem fuisse ex eo euincitur, quia cum Virgo causa meritoria fuerit, vt omnes alios iustos ac prædestinatos Deus diligeret & eligeret, ipsa prius eligi & adamari debuit. Lege quæ diximus in defensione immaculatæ Conceptionis cap. 2. Quapropter hoc etiam nomine ipsam à Dei *rectitudine*, & iustitia dilectam dicere fas est, quia nimirum Dei iustitia hoc illi debet, quod per illam ipsi aliquomodo satisfactum est, non quidem æqualem; (id enim solius Christi est,) sed pro modo suo congruentem Deo pro peccatis totius generis humani compensationem offerens. Atque eo vel maximè iustitiæ Dei, vel Deo ipsi, prout iustus ac rectus est, gratior & amabilior esse debuit. Maria: quia cum hæc, quam ipsa obtulit, congruens satisfactio ad expiationem delictorum minimè necessaria esset, nihilominus ad affluentiam & redundantiam dictæ compensationis accessit quod non parum ad decorem ipsius iustitiæ & æquitatis diuinæ facere videtur: cui scilicet, non solum per Christi necessariam satisfactionem, quæ ob suam etiam infinitatem superfluens erat, sed etiam per Virginis non necessariam compensationem tam superabundanter fuerat datum satis. Atque adeò meritò ipsi Virgini dicitur, *Rectitudo dilexit te*, quia nimirum iustitia & rectitudo Dei ex te decorem & splendorem sibi accersit.

Non solum autem ex his verbis antiquitatem diuini amoris erga B. Virginem depromere integrum est, sed etiam magnitudinem, quatenus aiunt, *Æquitas dilexit te*. Quasi dicat, amor Dei non est impar erga te, sed ex æquo respondet tibi. Tuus certe erga Deum amor tantus fuit, vt sola ipsum maiori amore amplectereris, quàm reliqui simul Angeli & homines. Huius ergo amoris æqualem relationem à Deo accepisti, nam te vnã Deus plus quoque adamauit, quàm vtramque simul angelicam & humanam creaturam. Imò potius ita dilexit te, vt te solam diligere, ac præ te reliqua vix adamare videretur. Æternitatem ergo & magnitudinem huius dilectionis Dei erga Mariam, vt alios dimittam, præ cæteris elegantius descripsit Angelus Briggittæ in sermone illo supracitato cap. 2. *Omnia illa, quæ creanda erant ea forma, eoque modo, quo postea pulcherrimè creauit ab æterno, ipsius aspectui adstabant increata. Inter omnia verò, quæ tunc aderant increata, vnum erat coram Deo quod summè præ cæteris excellebat, de quo & ipse maximè letabatur. Et postquam de quatuor elementis, quibus Mariæ corpus constabat, aliquid miscuit ad excellentiam ipsius pertinens, sic demum addit: Talis utique coram Deo ante creationem tuam increata ab æterno assistebas, qualis postmodum effici meruisti, & ideo ab æterno inter omnia creanda ad eius maximum gaudium plurimum excellebas. Deus enim Pater de tuis fructuosis operibus iam tunc exultabat. Filius de tua virtuosa constantia, & Spiritus sanctus de tua humili obedientia. Erat tamen Patri gaudium Filij & Spiritus sancti: Filio quoque gaudium Patris & Spiritus, & Spiritui demum gaudium Filij atque Patris. Vnde sicut omnibus illis vnum de te gaudium erat, ita & ad omnes vnã habebant ineffabilem, atque impermixtam charitatem. Ideo verò hanc Dei charitatem immixtam appellat, quia pura & mera fuit, nihil odij in se vnquam admittens, vt supra animaduerti. Et infra cap. 3. gaudium hoc quod tota Trinitas de futura Virginis natiuitate ab æterno concipiebat, cum eo componit, quod Abrahamum de Isaac filij postea nascituri procreatione tenuit*

tunc cum illum in promissis tantum habebat, & Sara senectute confecta necdum cum alio susceperat. Quia nimirum maxima certitudo, quam cum fide promissionis diuinæ conceperat, in causa erat, ut illum nondum existentem, tanquam iam existentem, ac presentem duceret. Atque adeo fas est dicere Deum expectatione Mariæ recreatum ab æterno risisse, & hac voluptate ac risu tantam sæculorum diuturnitatem fefellisse. Sed de hac thesi vide plura loco supra citato *Proverb. 8.*

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Honorius Augustudunensis in sigillo de Assumptione Virginis in cælum, interpretatur hæc verba. Conspirant Hailgrinus, Guilielmus. Sed cur cælum in cellariis contemplantur? Audi Alanum, *Eleganter nomine cellæ, vel cellarij significatur proprietates cæli, quia sicut in cellario reponuntur vina, quæ hominem satiant, & inebriant, & à curis secularibus separant: sic cælestis beatitudo Beatos ita inebriat quod solitarios reddit, & omnino ab amore terrenorum secludit. Et sicut aliquis existens in cella, ut solitarius Eremita seclusus est à strepitu sæculi; ita aliquis existens in cælo à tumultu mundi.* Vide qualiter cella, quædam cæli representatio, & exhibitio sit, ut proinde à cella in cælum transitus proclivis sit. Quomodo autem Maria ad hæc cellaria cælestia admissa fuerit, edocet nos Guilielmus: *Porrò autem Filius reuersus in regnum, non fit morum immemor officiorum, sed assumptam de terris introduxit me in cellaria sua inebriandam vino iucunditatis suæ, quod letificat & inebriat Angelos.* Sed tamen si hæc anagogia tibi non displicet, licebit quidem tres posteriores expositiones, quas in allegoriæ sono dedimus, eidem aptare, ut per cellaria sponsi domum & gazophylacia, & in his cælum interpreteris; cuius in primo ingressu clauis Maria acceperit, clauis, inquam, significantes possessionem ac dispensationem omnium, quæ in cælo sunt, bonorum, quæ planè ad Mariam in cælo agentem pertinent. Quicquid enim gratiæ ac donorum cælitus ad nos descendit, ipsa dispensante, & clauis vertente descendit: vel ideo clauis in aditu cæli accepisse dicitur, quia non ita in cælum excepta, ut nulla ipsi inde exeundi facultas manserit; quin potius ideo ingrediens clauis accepit, ut fores eius referandi, & inde ad terras hominum causa redeundi potestatem & copiam ipsi nunquam deesset: qua potestate sæpe ac sæpius hæc usæ est, & hodie etiam vitur, ut sui studiosis vsui ac solatio sit. Vel demum ad cælum penetrans clauis accepit ad futuræ fecunditatis designationem, ut vel ex eo constet ipsam inibi agentem, incredibilem spiritualium filiorum sobolem sibi numeraturam.

Integrum etiam est, per *cellaria* cœnationem, vel triclinium accipere, in quo cœna nuptialis exhibetur, & in eo cælum contemplari, ubi illa cœna offertur, de qua Ioannes in Apocalypsi: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Ad quam cœnam Deipara tanquam sponsa sedet; reliqui verò iusti tanquam amici sponsi accumbunt; Christus denique tanquam sponsus, & idem symposiarcha & Rex conuiuij affidet, ipsomet per Lucam ita ferente: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* De muneribus autem symposiarchæ plura habes supra in expositione prophetica, quæ in hac anagogia locum habent. Denique fas est per *cellaria* cubiculum capere ubi thalamus latet, & in hoc thalamo ipsam beatitudinem meditari, in qua Virgo Deipara superioris vitæ laboribus defuncta, oriatur ac requiescit, & sponsi sui gaudia, & solatia æterna capit. Reliqua ex te fingito.

Rursus Alanus per dicta *cellaria* apothecas, & promptuaria thesaurorum intelligit, & his secretiora sapientiæ & scientiæ Dei meditatur; sic enim inquit: *Per cellaria intelligitur repositio thesaurorum sapientiæ & scientiæ Dei. Sicut enim in cellario reponuntur seruanda, sic etiam apud Virginem hæc secreta sapientiæ & scientiæ Dei olim seruata, & postea per succedentia sæcula dispensata, & luci reddita.*

Ioannes Picus in expositione horum verborum singularis est, ac solus: nam integrum locum Archangelo Gabrieli adscribendum putat, tanquam in persona illius dictatum hoc modo: *Introduxit me Rex in cellaria sua, id est, antequam ad conceptionem filij Dei tibi denuntiandam huc concederem, ô Maria, Deus Opt. Max. ad incomprehensibilia suæ prædestinationis æternæ arcana admisit me, & de tua electione edocuit, atque instruxit. Quid inde? Exultabimus, & letabimur in te memo-*

res vberum tuorum, &c. Ego scilicet, atque alij sodales & conciuēs mei gestientes & ouantes de te ac propter te gaudebamus, & oblectabamur, memoriā repetentes vbera illa, quibus non solum Dei filium te alere oportet, sed etiam virgines cunctas, quarum mater existis, pascere & enutrire: atque isthæc vbera præferentes vino, illi scilicet vino generoso, quod virgines germinat, id est, soli ac meræ virginitati: quia tua virginitas cum fœcunditate coniuncta præstat ei, quæ sterilis est. Hæc ille prolixius.

Rurfus ad illa verba: *Exultabimus, & lætabimur in te*, &c. sic Honorius: *Verba sunt fidelium de Maria intercessione gaudentium*; memores vberum tuorum. *Vbera Mariae sunt castitas, & humilitas, in quibus delectatur iustorum societas: super vinum, id est, super humanam gloriam.* Sicut ergo nutrix non vnam filio mammam sugendam præbet, sed vbi vnam expressit, alteram propinat; sic Virgo duo illa castitatis & humilitatis vbera spiritualibus filiis aperit, & vnum sine alio nunquam offert. Guilielmus per dicta vbera B. Virginis eloquia intelligit, à quo non abhorret Alanus, qui spirituales quoque consolationes ab eadem manantes in his vberibus meditatur.

Rupertus etiam à reliquis discedit, qui priora verba huius carminis Deiparæ dat, & de colloquio ipsius cum Elisabetha totum exponit, hoc modo: *Introduxit me Rex in cellaria sua. Hoc, inquit, dixit cognata sua Elisabeth, & infanti, qui erat in ventre illius, Maria. Sed cur dixit? Quia Spiritus sanctus utrique reuelauerat: aliter enim, nisi matrem ac filiam illius mysterij conscios esse sciret, silentij amans, & secreti tenax virgo nequaquam id aperiret.* Quis item sensus verborum? *Introduxit me Rex in cellaria sua, id est, ad sacra mysteria, quæcunque continentur in Scripturis sanctis, excepit me (ait Maria) nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriauit. Exultabimus, & lætabimur in te.* Hæc verba Elisabethæ & infanti Ioanni tribuit Rupertus, sic enim addit: *Hoc verè dixit, cum ait voce magna: Benedicta tu inter mulieres, &c. Ecce enim ut facta est vox salutationis tue in auribus meis, exultauit infans in gaudio in utero meo.* Et sanè iuxta germanum sensum allegoriæ fas erit dicere, duas illas matris ac filij animas nouæ sponsæ Mariæ, quæ per Incarnationem Verbi suas cum Christo nuptias consummauerat, Epithalamia dixisse, subdit enim Rupertus in persona vtriusque: *Nonne hoc erat dicere, Exultabimus, & lætabimur in te. Iam enim incepimus, ego & infans, exultare, & cantare in gaudio à voce salutationis tue. Et hoc & nos, & qui venturi sunt post nos, exultabimus, & cantabimus, dicentes, quia Euanos fecit plorare, & Maria vos fecit cantare.* Nota obseruationem acutam Ruperti, qui per exultationem cantum & risum Ioannis in utero hoc testatum voluit lachrymas & fletus, quos Eua filiis suis cum ipsa lucis vsura immisit; (sic enim secum expostulat Salomon: *Et primam vocem similem omnibus emisi plorans*:) à sanctissima Virgine exclusas, & in risum cantumque commutatas. Sed quænam demum huius cantus erit materies? *Memores vberum tuorum. Causa, inquit, lætitiæ & cantus nostri, ea erit, quia scilicet vberibus tuis lactasse illum predicaberis, qui creauit te. Recti diligunt te.* Horum verò rectorum primus rectus erit infans iste (id est, Ioannes) qui præcessurus est memor vberum tuorum super vinum, id est, omne sæculum respuens & carnalis voluptatis commercium; verum se Deo dedicans virginum propter vberum tuorum lac dulcissimum. Ioanni autem accommodare proclive est ea, quæ suprâ tam in mystica, quàm in prophetica expositione contulimus ad hæc verba. In quem cadit etiam translatio Septuaginta, *Rectitudo, aut aquitas dilexit te*, quia culpis caruit. & translatio originalis: *Rectitudines dilexerunt te*, quia omnes omnium Sanctorum prærogatiuas, & vtriusque Testamenti gratias & virtutes in se collegit.

Denique non sunt omittenda verba quæ sub finem commentarij istius carminis adscribit Rupertus: *Recti (inquit) diligunt te. Nam de Maria dixit spiritus in Psalmo: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te. Cuius autem rei abundantia erit diligentibus te, ô sancta Hierusalem (id est, Maria) nisi eius quæ diligitur in te. Tale enim est bonum tuum, bonum scilicet à Deo datum, ut quisque diligendo possit, & faciat esse suum. Diligendo ergo in te quod mater est Domini, fidelis anima & ipsa mater sit: ipse enim meus, inquit, & frater & soror & mater est, &c.* Quis ergo non diligit Mariam, & in Maria etiam omnia, quæ Deus contulit bona, amet impensius? cum hoc solo iure quæcumque diligit sua faciat, atque aded non possunt non rectè esse; imò omnes rectitudines in se colligere qui ipsam diligunt.

Aliquid etiam ex Ioanne Pico adscribere libet, qui hæc verba, *Recti diligunt te,*
ad

ad imitationem Virginis refert, hoc modo: *Hi diligunt Mariam, qui eam probè agnoscunt, & pia imitatione venerantur, quia nemo diligit quod ignorat, & qui agnoscit, & tamen imitari renuit, etiam diligit, quia morum diuersitas, dissidium est amoris.* Quapropter qui Virginis excellentiam & prerogatiuas probè norunt, & confitentur, & tamen humilitatem, castitatem, zelum, charitatem, &c. ipsius non imitantur, norunt quidem ipsam, sed non adamant. Qui autem erga illius virtutes probè affecti sunt, eiusdem verò excellentiam & gloriam, quòd nimirum mater Dei sit, quòd sine peccatis concepta, (verba sunt authoris præscripti) & alia quæ ad decorem spectant, nec tenet, nec confitetur. *Vel ideo etiam non diligit, quia nondum nouit eam, quam ab ipso diligi oportet, illique (vt ita dicam) labem imposuit, dolos, & fraudes, qui scilicet isti rectè seruienti Liam supposui pro Rachel, illa enim, quam ipse in peccatis conceptam putat, lippa est, Lia est, non Maria, non Rachel; quæ tota pulchra est, pro qua etsi annos septem pro amoris magnitudine paucos dies reputans seruuisse conqueratur: at mirabitur tamen factò manè, si saltem vel demum ita caliganti lux affulserit, alteram esse pro qua seruerit, & alteram, quam diligit dum conceptam in peccato opinatur, quam diligit eiusmodi esse Dei matrem Ecclesia senatusconsultum annis multis receptum negat.* Hactenus Ioannes Picus, cuius verba probabilitate alterius sententiæ, quæ Virginem ab originali immunem diffitetur, nihil detrudere debent.

Vers. 4. Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

EXPOSITIO PROPHETICA de Ecclesia.



H V I V S carminis interpretatio prophetica in promptu est. Ecclesia enim antiqua, quæ legem pro gynæceo habuit, iam olim ab heroicis temporibus thymiamata & sacerdotale vnguentum pro pigmentis, sacrificia & hostias pro cibis delicatis, purificationes pro balneis sumpserat, ac denique extremam sibi fermè culturam addiderat, per chrisma & Baptismum curiosius vncta lautaque ad nuptias (vt fusè explicuimus suprà *vers. 1.* in expositione prophetica, vbi vtramque culturam, remotam & proximam ex Paulo, & Ezechiele aucupati sumus.) Has vtique nuptias cum Christo iungere, & consummare desiderans sic fatur: *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem.* Ponitur *sum* pro *fui*, id est, olim quidem, antequam ad legem transferrer, nigra prorsus eram, quia Solis æstus, id est, infidelitas, quam, Solem & alia passim idola temerè colens, contraxeram, me infecerat, ac deformauerat (vt ad sequentem versum vberius dicemus.) Iam verò postquam legi tradita tanquam in gynæceo & parthenone constituta, per ipsius legis auxilia, hoc est, per sacerdotium, victimas, lustrationes, aliasque ceremonias & præcepta, tanquam per quædam medicamenta formam diutius curauit: & postquam nunc demum è vicino per chrisma & Baptismum eandem perfectissimè, & absolutissimè mundauit, formosa prorsus effecta sum: atque adeò tanta insignis venustate, filiarum Sion, id est, Angelorum, beatarumque mentium, quæ ad discernendam superaaturalem pulchritudinem acerrimo prædixæ sunt iudicio, oculos subire minimè vereor, idonea omninò habilisque ad ineundas, & consummandas nuptias cum sponso meo ac Rege Christo. Sic contexendum est Prophetiæ filium. De gynæceo verò, & de vtraque præparatione sponsæ ad nuptias remota & proxima, eiusque significatione, fusè admodum dixi suprà *vers. 1.* in expositione prophetica. Lege ibi multa.

Et sanè locum istum de Baptismo Ecclesiæ nigredinem abstergente, & pulchritudinem, venustatemque eidem afflante, intelligunt Ambrosius, Nyssenus, & Apponius. Ambrosius enim in *Apologia David 2. cap. 16.* sic habet: *Querebat (inquit) in Ioanne Christum Ecclesia, ipsum causam desiderij, ipsum causam lacryæ sibi esse commemorans, sicut habes, Fulca sum, & decora filia Hierusalem, &c. habes causam qua ratione se lauare gestiat quæ fuscam se esse commemorat, &c.* Ex Nysseno etiam hæc accipe carptim decerpta: *Nigra cum essem peccato, & per opera affinis essem & coniuncta tenebris*

bris, nigram fecit. per dilectionem verò sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine, in se enim translatis sordibus meorum peccatorum me sua puritate impertijt, efficiens participem sua pulchritudinis, qui ex deformi fecit amabilem, & sic dilexit. Et infra: Scio enim me olim non fuisse elegantem ac nitidam, sed nigram: hanc autem atram & tenebricosam, qua in me erat, formam, mea fecit vita: sed tamen cum illud essem, hoc sum. Illa enim nostra tenebrarum similitudo transmütata est in formam pulchritudinis. Sed qua demum ratione hac forma nigra in candidam & formosam permutata est? Subnectit Gregorius; Christus venit in mundum, ut nigros faceret splendidos, non iustos ad se vocans, sed peccatores ad pœnitentiam, quos lauacro regenerationis mundauit, & lucere fecit, tenebrosa eorum forma per aquam abluta. Hactenus ille. Sed absolutius supradictam expositionem tradit Apponius: Ecclesia, inquit, diuersarum gentium loquitur, qua in Adam peccando ad Ægyptum descenderat, vbi prauis operibus denigrata est. Quæ reuerti properans per gratiam sancti Baptismatis ad factorem suum, admirationem mouit filiabus Hierusalem, id est, sanctis Angelis, qui admirantur Ecclesiam in illis tenebris, & tam ferocissimis gentibus, & in tanta nigredine mentis & corporis per sanctum lauacrum Baptismatis, & per martyrium nuptias & coniunctionem Verbi Dei meruisse, & in amplexu eius inherentem, qua nigra olim erat, eo quòd in tenebroso erroris cubiculo, & prophano idololatria sanguine ebria multos filios compresserat in mortem aternam: formosam demum effectam fuisse, matremque multorum filiorum martyrum, virginum, confessorum, &c.

Ad hunc modum præscripti Patres prophetiam sub hac allegoria latentem expresserunt: expendamus singula. Nigra sum, sed formosa. olim nigra, nunc demum formosa, & ad nuptias idonea. Hanc sponsæ ad nuptias iam iam præparatæ elegantem formam in Baptismi balneo deterfa nigredine acceptam descripsit Paulus ad Ephes. 5. *Vt illam sanctificaret, mundans lauacro aqua in verbo vite, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Locum istum longiori interpretatione donauimus suprâ ad vers. 1. in expositione prophetica. Sed aliquid vlteriùs hîc adnotare libet. Pro illis verbis, *ut exhiberet sibi*, &c. D. Augustinus non semel conuertit, & aptauit sibi, id est, præparauit: vt vel ex eo facillè coniciamus, Paulum similitudinem duxisse à gynæceo, vbi puellæ ad futuras nuptias præparabantur. Addit Apostolus in hac præparatione per Baptismi vnctionem & balneum deposuisse Ecclesiam *maculas, rugas, & quicquid est huiusmodi, id est, næuos, fuscum, vel subfuscum colorem, & rugas faciem arantes, & siquid aliud formam deturpare potest.* Certè Patres per maculas crimina capitalia; per rugas, quæ ex senectâ contrahi solent, prauas in eisdem peccatis consuetudines, per quas anima in delictis veluti senescit, intelligi volunt. Quid ergo per nigredinem capiendum? Certè Aristoteles in *lib. de coloribus cap. 1.* nigredinem triplici modo euenire dicit, sed tres modos in carentia lucis ponit. Nigra, inquit, *sunt quæcunque in tenebris sunt, quia id, cuius color, effurata luce, non videtur, speciem nigri præbet.* Rursus, *nigra efficiuntur quæ cum sunt perspicua, diaphana & lucis capacia, minori luce irradiantur, quàm quæ vicina sunt: hoc modo quæ umbrosa sunt, nigra videntur, & nubes, aqua maris, aliaque huiusmodi nigredinem præ se ferunt.* Denique *illa proprijsimè nigra sunt, quæ superficiem habent eiusmodi, ut paucos, vel nullos recipiant, vel reflectant radios.* Ex quo colligit omne nigrum obscuritate & priuatione lucis fieri. Quorsum hæc? Ego quidem ita reor in hac nigredine, qua sponsa, id est, Ecclesia se priùs infectam dicit, non modò antiqua peccata, sed etiam eam, quæ cum peccatis cohærebat, ignorantiam per cœlestis lucis carentiam notare voluisse; non solum eam, quæ sibi acciderat ex defectu fidei, sed etiam ex defectu auxiliorum Dei, & sanctarum cogitationum, quæ animam irradiantes ac luce sua perfundentes, ipsam ex nigredine ad candorem transferunt. Puta igitur iuxta tres illos modos, quibus efficitur nigredo, tres alias excogitari posse rationes, quibus in anima ignorantia, & carentia lucis contingit. Prima & secunda ratio est, cum anima quæ alioqui per gratiam & iustitiam candida est, siue quia lux cœlestis, & cognitio clarior Dei ad tempus abest: siue quia hæc cognitio, & claritas minor est, quàm quæ ipsam priùs, vel quæ alios proximè perfundit nigram videri. Sed tamen licet hæc ad speciem nigredo videatur, non tamen est. Tertia igitur, & germana nigredinis spiritualis ratio tunc accidit, cum anima per capitalia peccata contraxit debitum carendi omni auxilio gratiæ efficacis, & cogitationis congruæ ipsam irradiantis & illuminantis, similis corpori alicui verè nigro, cuius atra superficies nullos, aut

vix paucos lucis radios recipit, aut reflectit: imò potius vt talis est, ad recipiendum, & reflectendum incapax existit. Dixi *vix paucos*, quia corpus nigrum alicuius, licet valde exigui luminis, receptiuum esse dicit Philosophus; aliter enim videri non posset, cum iuxta probabiliorem sententiam lumen ex parte rei visæ ad videndum requiratur. Nec dispar est anima lethalibus culpis obstricta: huic enim aliqualis boni cognitio, licet valde exigua, inefficax & incongrua, debetur, qualis ad tuendam libertatem necessaria est: omni verò alia efficaci & congrua pro meritis caret.

Ergo cum sponsa in hoc loco ait, *Nigra sum*, id est, olim nigredinem ex peccatis contraxi, de tertio propriissimæ nigredinis modò loquitur, per quem non solum terribis commaculata culpis deformis erat, sed etiam omni spiritali & clariori lumine; omni, inquam, efficaci & congrua boni cognitione carere debebat, nigra prorsus & atra Ecclesia. quam nigredinem solus abluere ac detergere potuit Christus per regenerationis lauacrum: qui non tantum peccatorum maculas abluit, sed etiam debitum illud carendi omni splendidiori luce condonans, candorem eximium Ecclesiæ sponsæ suæ immisit, vt deinceps lumen non modò excipere, sed etiam illud in alios retorquere posset: hæc enim est natura albi coloris; vt docet Aristoteles *loco citato*, vnde ipse Baptismus passim à sanctis Patribus *illuminatio* dicitur. Quapropter per istam abluionem nigredinis valde significanter redemptionis nostræ summam adumbravit Salomon, quæ in his duobus posita est, vt scilicet Christi sanguis contractas peccatorum maculas tergat, & auxilia gratiæ, id est, sanctas boni cogitationes nobis opportunè suggerat.

Huc spectat D. Gregorius Nyssenensis verbis suprâ citatis, quæ sic habent: *Christus venit in mundum, vt nigros faceret splendidos, quos lauacro regenerationis mundauit & lucrifecit, tenebrosa eorum forma per aquam abluta. Qui nostræ quoque redemptionis formam ex similitudine illius prioris modi quo nigredinem fieri diximus, decerpit hoc modo: Nos cum essemus peccatores & nigri, Christus luminosos effecit, & amabiles resplendere gratia sua. Quomodo enim noctu cum tenebris quæ dominantur simul nigrantur omnia, etiam si sua natura sint splendida, adueniente autem luce in his, quæ tenebris & caligine erant obscurata, non manet similitudo illa tenebrarum: ita etiam traducta anima ab errore ad veritatem, tenebrosa quoque & nigra vita forma simul mutatur ad lucidam gratiam.* Sed Origenes melius, qui de propriissima nigredine hæc verba accipiens, eam lucis incapacitatem contemplatus est, quam nos suprâ. nam *homil. 2.* sic habet: *In quantum enim incapaces fuerimus lucis eius, in tantum tenebris & nigredini dabimus locum.* Theodoretus etiam nigredinem Ecclesiæ in hac incapacitate lucis ponit ex sententia trium Patrum, vt alios dimittam his perquam adsimiles.

Sed quamuis hæc interpretatio prioris hemistichij sit ante alias germana, & cum sono allegoriæ in primis concors iuxta quartum illius sensum, quem maximè genuinum esse duximus: liceat tamen alias eiusdem allegoriæ expositiones prophetiæ accommodare ad hunc modum: *Nigra sum, sed formosa*, scilicet vna simulque nigredinem & decorem præfero. Quasi dicat, habeo næuos aliquos nigros in candida facie, non extenuantes, sed augentes decorem (hæc est prima interpretatio Bernardi) de hac næuorum venustate sic Tullius lib. 1. de natura Deorum: *At est corpori næuus: illi tamen hoc lumen videbatur. & sydera faciem pingentia næuos appellat Philostratus in Iconibus.* Cogita ergo sponsam quæ iam faciem excoluerat in gynæceo, sed næuos aliquos retinebat, vt nihil sibi deesse ad præparationem & culturam, quæ ad nuptias requirebatur, monstraret, ita proloqui, næuos illos non detrahère aliquid venustati, sed magis illam amplificare & augere.

Certè in his, qui ad gratiam transeunt, postquam peccata præterita deleta sunt, nihil maculæ affixum manet: inest tamen aliquid, ratione cuius iam non possunt innocentes, & infantes appellari, scilicet aliquando peccasse, & deliquisse. Sed quid istud rei est? non quidem notæ aliquæ turpes (omnem enim eiusmodi notam detegit gratiæ) sed næui elegantes & venusti, quos (liceat sic dicere) peccata pœnitentia deleta non ad deformitatem, sed ad decorem relinquunt. Quis enim nescit eas culpas quas pœnitentia diluit, quatenus notæ sunt actæ pœnitentiæ, & quatenus humilitatem, cautelam, sui que diffidentiam, & alia eiusmodi apportant bona, ad pulchritudinem animæ augendam plurimum facere? Quapropter næuos, vel lumina potius & sydera animæ faciem expingentia dicere fas est. Ecclesia igitur in gynæceo posita, quæ iam errorem, ac peccatorum maculas deterferat, his tamen næuis resperfa

respersa manebat, quod nimirum aliquando sub peccatis fuit, ne id ipsi vnquam vitio verti posset, sic ait: *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem*, id est, n̄uos habeo subnigros, faciem non deformantes, sed pingentes, non deturpantes, sed honestantes. Nam postquam antea peccata per Baptismum & lachrymas emaculauit, ipsa mihi decorem augent, & cumulant. de quibus accipi debent illa verba Bernardi in serm. illo 25. *Felix nigredo qua mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientia puritatem*. Licet etiam per dictos n̄uos culpas leuiore intelligere, quæ licet in se ipsis aliqua les maculæ sint, tamen pulchritudinem animæ, id est, gratiam minimè vitiant, vel corrumpunt. Et in quantum animæ occasiones sese per humilitatem deificandi offerunt, eidem spiritali pulchritudini decentiam aliquam asportant. Lege Augustin. in serm. 29. de verbis Apostoli.

Secunda expositio suprâ tradita eorum verborum, *Nigra sum, & formosa*, est Origenis, *Fusca & subatra sum in colore, sed in compositione & configuratione partium & membrorum formosa & elegans*. Hæc verò interpretatio vt ad prophetiam aptari possit, referenda est ad tempus præteritum, cum sponsa ex vita syluana & rustica translata fuit in gynæceum, vt ibi formam coleret, & contractam in syluis nigredinem extegeret. Quasi dicat: Ego quidem ad hoc triclinium fœminarum in quo sum, nigra vtique veni quod ad colorem spectat, sed in delineatione, & conformatione partium formosa: atque adeò postquam vnguenta, pigmenta, & balnea nigredinem eluerunt, nihil ad venustatem & pulchritudinem perfectam in me desiderare licet. Sed quorsum hæc? Certè iuxta mentem Origenis, Ecclesia sponsa Christi fatetur, olim per peccatum ex Adamo deriuatum, per idololatriam & alias consequentes culpas, candorem gratiæ, & iustitiæ sibi periisse, & nigredine multa infectam fuisse, quia quamplurimæ ipsi adhæserant maculæ, & lucem auxiliorum Dei, & sanctarum cogitationum ad benè operandum necessariam amiserat: sed tamen lumen rationis, liberum arbitrium, aliasque naturales facultates, ac reliqua creationis dona, quæ in animæ forma quasi pro naturali compositione, & configuratione partium esse videntur, hæc, inquam, omnia non perdidit, sed seruauit ac retinuit: quæ quia talia sunt (vt propter hæc homo ad Dei similitudinem conditus dicatur) formosam, hoc est, in lineamentis, ac conformatione partium pulchram eandem animam efficiunt. Ergo Ecclesia ait: *Nigra sum*, quia gratiæ splendorem amisi, *sed formosa*, quia omnia creationis dona quasi pro lineamentis retinui, atque adeò non fuit impossibile, vt deterfa tandem aliquando tot auxiliis nigredine, perfectam, absolutamque numeris suis pulchritudinem receperim, ad contrahendas, consummandasque cum Christo nuptias idonea & habilis effecta. Hæc omnia paucis verbis complexus est Origenes loco citato: *Fusca, inquit, sum, vel nigra, quantum ad colorem spectat; formosa verò, si quis natia membrorum lineamenta perspiciat. Verba sunt Ecclesiæ ex gentibus collecta. Quasi dicat: Nigra fui, propter infidelitatem: habui tamen pulchritudinem meam mecum; nam in me semper illud fuit, quod ad imaginem Dei factum est. Quare nunc accedens ad Verbum Dei recepi speciem & venustatem meam*. Ex parte verba, ex parte sensum dedi, studiosus compendij.

Tertia expositio suprâ in allegoriæ sono adscripta, est Angelomi: *Nigra sum, sed formosa, nigra scilicet, quia nondum atrum colorem ad purum absterfi: & formosa, quia iam aliqualem candorem recipere cœpi*. Iuxta quam interpretationem (si quid ipsi tribuendum est) affirmare oportet, verba isthæc à Sulamite dicta tunc cum in gynæceo erat, formam excolens suam, & nuptias maturari desiderans. Itavt sensus sit, per vnguenta, & medicamenta, quibus hætenus vsa sum in gynæceo, factum est, vt nigredo elui, ac mundari, & candor redire cœperit: atque adeò spes subest vt tandem aliquando deterfa ad purum nigredine perfectissimum candorem recipiam. Id verò ex eo conuincitur, quia nigredo ista non est natia, & genuina, sed ascititia ab æstu Solis, quo diu in syluis adusta sum, proueniens. Sed quorsum hæc? Certè sponsa in dicto gynæceo manens, & desiderans impensè nuptias quamprimum contrahere, hoc contendit, ne sponsus eas tam diu moretur, quoadvsque ipsa per diuturnam culturam formam penitus emendet, & nigredine abeunte candor perfectus adsit: sed satis ducat, ipsam per dicta medicamenta formæ candorem aliqualem recipere iam tunc cœpisse; ac spem subesse, vt tandem nigror abscedat, & albedo perfecta succedat. Hæc autem expositio ad Ecclesiam translata sensum idoneum reddit. Nam in legis gynæceo olim manens, idololatriæ, & aliorum peccatorum

torum nigrore necdum ad purum eluto, & absterfo, & candore etiam gratiæ & cognitionis Dei aliqua ex parte accepto, id tunc deprecari ac contendere cogitanda est, ne illius nuptiæ cum Christo per Incarnationem absoluendæ ac perficiendæ, tamdiu differrentur, donec ipsa candorem omnimodum reciperet: sed abruptis potiùs moris, ocyùs copularentur; quandoquidem illa quæ in ipsa excitari iam cœperat albedo, spem fecerat, vt subinde nuptiis celebratis perfectum candorem illi continua & non intermissa adduceret cultura. Et sanè ita factum: nam Christus Dominus non expectauit perfectam Ecclesiæ sponsæ suæ pulchritudinem, vt eam sibi copularet, sed nigram adhuc cum modico candore adamauit: id est, tunc cum paucos iustos necdum perfectos, plures verò peccatores & impios numerabat, suscepta carne ipsam sibi adiunxit, vt postea expurgaret, ac candidiorem splendidiorque redderet. Hoc sensu donari possunt verba Pauli ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aqua in verbo vite, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi.* vt nimirum ipsam iam ductam deinceps expurgaret, & ad perfectum candorem, & pulchritudinem adduceret. Ad hanc sententiam & explicationem respexisse videtur Nyssenus, cum ait: *Christus venit in mundum, vt nigros faceret splendidos, non iustos ad se vocans, sed peccatores.* Cuius vocationis similitudinem quandam in Psalm. 86. prælusam dicit; sic enim subscribit: *Hoc vidit oculus David, & miratur spectaculum, nimirum quemadmodum in Dei ciuitate, de qua dicta sunt gloriosa, simul cum Sion Babylon collocatur, & Raab meretrix sponsa efficitur alienigenæque, & Tyrus & populus Æthiopum. Nam illa quoque paulatim tribules fiunt alienigenæ, & Babylonij efficiuntur Hierosolymitani, & Virgo meretrix, & candidi Æthiopes, & Tyrus gloriosa ciuitas, &c.* Ad hunc modum illæ tam dissimiles expositiones corticis, quas supra ex Patribus decerpimus, & contextui aptari, & Ecclesiæ bono sensu accommodari queunt. Subnectit Salomon:

Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Duas quoque huius hemistichij acceptiones dedimus supra in sono allegoriæ: aliam quæ vtramque similitudinem ad vtrumque simul, nigrorem scilicet, atque candorem significandum inuitat: aliam verò quæ priorem nigredini, posteriorem candori adaptat. Ergo iuxta primam acceptionem non vnum sensum ex dictis verbis excitare libet. Primus quidem sumitur ex illo ritu ac symbolo tegentium, ac retegentium tentoria: ita enim mos ferebat, vt Regum ac militum tabernacula candida & elegantia contra iniurias temporum pellibus tegerentur; quibus detractis candor & pulcritudo resplendebat, vt ex Athenæo & Causabono illius Scholiaste supra adnotauimus. Cogita ergo vtraque tam Cedarenorum, quàm Salomonis tentoria eodem modo reiectis, replicatisque pellibus decora & candida apparere, vt Honorius & alij supra citati Patres decent. Sed tamen fateri opus est tam pelles quibus tegebantur, quàm candor, quem ipsis detractis prodebant, dissimiles & inæquales fuisse. Quid enim inter Salomonem & Cedaritas non inæquale ac valde dispar? Hi ergo pellibus valde rudibus, pilosis & hirsutis tentoria amiciebant sua, & his reiectis carbasi albedo non admodum splendida apparebat: Salomonis verò tentoria pelles quidem elaboratæ & leuigatæ extrinsecus contegebant: his verò detractis ac replicatis, candor niueus, & si placet, κοκκινωσαφει περιλεύκω (vt supra adnotauimus,) id est, niueo simul, ac purpureo colore prædita sese monstrabant. hanc dissimilitudinem, quæ inter dicta Cedaritarum Salomonisque tabernacula intercedebat Guidacerius adnotauit in hunc locum: qui vltèriùs addit Cedarenorum, seu Agarenorum tentoria fuisse bellica in castris explicata; quippe qui viri erant acres, & bello dediti, iuxta illud: *Habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea, cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, &c.* Salomonis verò Regis admodum pacifici tabernacula erant viatoria, qualia Reges iter agentes in syluis figere solebant, vt supra in sono allegoriæ adnotauimus.

His prælibatis, spiritualis sensus horum verborum ad Ecclesiam aptatus talis esse potest: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, sic scilicet (verba sunt Ecclesiæ) nigredine peccatorum deterfa, gratiæ splendorem & candorem primum recipi, sicut tentoria Cedaritarum, quæ reiectis illis admodum nigris hirsutisque pellibus, candida apparent. Deinde verò vltèriùs procedens, sic demum splendidior & candidior effecta sum, sicut Salomonis tabernacula, detractis illis non ita rudibus pellibus longè candidiora & fulgentiora videntur.* Quia nimirum Ecclesia idololatriam

triam & errores quamplurimos, peccataque ingentia, tanquam valde rudes & impolitas pelles initio abiecit, ut candorem prioris gratiæ, & iustitiæ monstraret. Deinde verò lapsu temporis alias ignorantias & peccata minus grauiam paulatim deposuit, ad maiorem, fulgidiorumque candorem & pulchritudinem deducta. Vel aliter in hoc duplici genere tabernaculorum, quorum primum erat castrense, aliud viatorium, diuersos Ecclesiæ Ordines contemplari licet: quæ primò quidem multas persecutiones sustinuit, & Martyres strenuos quamplurimos pro fide ac veritate vsque ad sanguinem decertantes, tanquam Cedaritas in tentoriis castrensibus habuit. Deinde verò finitis persecutionibus, exactisque tyrannis, habuit confessores & doctores, aliosque sanctissimos viros ad cælum contendentes in summa pace, tanquam Salomones in tabernaculis viatoriis. Lege Apponium. Possunt etiam sine hoc temporum ordine diuersi status hominum, quibus Ecclesia constat, his similitudinibus adumbrari per binaria quædam: hoc modo coniugati sunt tanquam Cedaritas in tabernaculis castrensibus, tribulationes carnis assiduò sustinentes, & illas expugnantes: virgines verò tanquam Salomon in tentoriis pacificis, quia deuicta carne & debellatis passionibus in tranquillitate degunt, ac multa pace perfruuntur. Rursum actiui haud dissimiles sunt Cedarenis castra sequentibus, & loca plurima vertentibus, sicut proximorum necessitas, & Ecclesiæ opportunitas poscit. Contemplatiui imitantur Salomonem in tabernaculis viatoriis morantem, tres illas conficientes celebratissimas vias, purgatiuam, illuminatiuam, & vniuiam. Denique Cedareni in tentoriis militaribus sunt illi, quos Deus tribulationibus, & laboribus assiduis exercet: Salomones verò in tabernaculis viatoriis sunt hi, quos Deus felicitate, & tranquillitate donat. Inter quos illa duo genera tabernaculorum distribuenda sunt, ut per vias quasdam migrationes fiant, & Cedareni Salomones fiant, & Salomones quoque in Cedaritas vertantur: sic enim Deus felicitatem cum infelicitate, & angores cum solatiis vicissim permutare consuevit. Propterea enim etiam hi, qui felices sunt, in tabernaculis viatoriis degere dicuntur, ut instabilitas eius fortunæ notetur, quæ ocyus in aduersam transit. Et qui infortunati, & infelices sunt, ideo in tabernaculis esse perhibentur Cedarenorum, qui nunquam diutiùs alicubi manent, sed loca multa permutare solent, ut eo argumento nullam infelicitatem diuturnam esse constet. Quid plura? In diuersis Ecclesiæ Ordinibus contemplati sumus, eadem in vna singulari animâ meditari integrum est. Denique illud pro tota Ecclesia notandum est, ipsam in vniuersum, secundum omnes gradus & ordines suos cum tabernaculis aptè conferri, ut constet omnes, quotquot in ipsa morantur, non esse incolas, sed indigenas & peregrinos, qui cum non habeant hinc ciuitatem permanentem, futuram inquirunt. Pleraque ex his, quæ diximus, cum his cohærent, quæ Pates contulerunt in hæc verba, ut in Appendice constabit.

Secunda acceptio illius geminæ similitudinis cum sono allegoriæ in primis conformis ea est, ut sponsa, quæ nigram se simul, & candidam, seu formosam affirmat, nigredinem suam cum Cedarenis tabernaculis, pulchritudinem cum Salomonis tentoriis componat. iuxta quam sensus spiritualis sic conformari debet. *Sicut tabernacula Cedar sicut pelles Salomonis.* Quasi dicat, olim cum nigra eram, similis fui tabernaculis Cedaritarum, quos Solis æstus torret, & nigredine multa inficit. Talis erat Ecclesiæ facies & species, quando idolis seruebat, plurimis circa religionem erroribus deformata. Nam Cedar tenebras sonat, easque significat, quibus per illud tempus Ecclesia immerfa erat. Sed duo inter se valde pugnancia adnotare libet: nam Cedareni, eorumque tabernacula ideo torrentur, quia Sol eisdem impendet radios directos, super illos assiduè vibrans; & nihilominus tanta luce perfusi tenebrosi appellantur, & in tenebris esse dicuntur: imò potiùs ipsa lucis vis eos magis nigros tenebrososque reddebat. Hæc erat planè conditio antiquæ Ecclesiæ in ipso splendore meridiano caligantis, ac velut sponte & data opera deerrantis, ac per ipsam lucem maiorem sibi nigredinem obscurioresque tenebras adducens: ita enim docet Paulus ad Rom. 1. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor meum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quia nimirum lux illa, quam illis immittebat Deus, ipsos atros magis obscurosque reddebat.

Rurfus Cedaritę viri erant pugnaces, non solū cū aliis nationibus bella gerentes, sed etiam inter se ciuilibus & intestinis seditionibus assiduē distracti ac diuulsi. huc enim spectat illud: *Habitauit cum habitantibus Cedar: cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, &c.* Ita docet Bernard. *serm. 26.* Hęc autem est valde propria errorum conditio, vt non solū cum veritate assiduō cōffigant, sed secum ipsis nunquā nō pugnēt. Ecclesia igitur quę tunc cū nigra erat, Cedarenorum obscura ac secum pugnantia tabernacula imitabatur. Ex nigredine peccatorum & ignoratię ad iustitię, veritatis, & sapientię candorem traducta, Salomonis tentoria æmulari, ac referre cępit; tentoria, inquam, pacifica, propter eorum, qui idem sapiunt, ac sentiunt, mirabilem concordiam: & niueā, propter candorem fidei & veritatis: purpurea item, propter testimonia Martyrum sanguinem suum effundentium, qui fidei ac veritati auctoritatem compararunt. Sicut enim in prędictis tentoriis Regiis iuxta purpureum colorem albus color splendidius, & candidius micabat (vt supra adnotauimus,) ita etiam veritas & candor fidei iuxta sanguinem purpureum Martyrum pro ipsa occumbentium magis magisque elucet in Ecclesia Dei. Huc spectant verba Honorij in hunc locum, qui inter alia sic fatur; *Ecclesia est formosa sicut pelles Salomonis, quia Martyribus rubescit, virginibus albescit.* Pro virginitatis albedine fidei candorem inscribe, & constabit nostra sententia.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

Nigra sum, sed formosa. Chaldęus hęc verba de Synagoga paraphrasticę exponit, ad hunc modum: *Quando fecerunt domus Israel vitulum, denigratae sunt facies eorum, sicut filiorum Æthiopia, qui morantur in tabernaculis Cedar; & quando egerunt penitentiam, multiplicatus fuit splendor, & decor vultus eorum, sicut vultus Angelorum, eo quod fecerunt cortinas tabernaculi, & cecidit in medio eorum maiestas Domini: Moyses autem magister eorum, ascendit ad aethera, & posuit pacem inter eos, & Deum Regem eorum.* Cęterum si pro Moysę Christum filium Dei, & pro adoratione vituli vniuersam hominum idololatriam constituamus, erit concinna sententia: vel in Synagoga & Moysę figuram Christi & Ecclesię concipe. Nam huius Cantici sententia tota ad Ecclesiam pertinet, vt saepe monuimus.

Ambrosius *serm. 2. in Psalm. 118.* aliquos etiam citat hęc verba de Synagoga exponentes, sed expositionem eorum non probat.

Ergo per filias Hierusalem, quas hic alloquitur sponsa, quotquot pedissequas puellas concipiunt, vel Ecclesias diuersas, vel singulares animas sub vna Ecclesia intelligere debent. Ita Origenes, cui adstipulantur Honorius, Cassiodorus, Beda & alij, qui ferme eiusmodi animas, vel Ecclesias ideo filias Hierusalem dici autumant, quia cęlestem Hierusalem tanquam patriam suam omnes petunt. Cęterum Origenes *homil. 2. posterioris expositionis.* Athanas. *in Synopsi,* Theodoretus & pauci alij, per dictas filias alias intelligunt mulieres sponsę æmulas, quę ipsi obloquebantur, & de illius forma detrahebant. Hi autem Iudęorum Synagogas, vel etiam Gentilium cętus intelligunt, qui Ecclesiam nuper conuersam suis oblocutionibus & detractionibus petebant: apud quas se purgat sponsa consequentibus verbis. Theodoretus autem pro sponsa facit, & supradictas fœminas nigredini Sulamiti obtrectantes, id est, Iudęorum & Gentilium cętus de Marię sorore Moysis exemplo inculsat, ad hunc modum: *Maria exemplum reformidas, quę cū Moysi, quod Æthiopissam duxit uxorem, exprobrasset, leprosa niuis instar effecta est. Ego quoque nigra, id est, Æthiopissa sum, inquit sponsa, sed Christus sponsam sibi adiunxit: nemo mihi obtrectet, &c.* Denique alij melius, in his Apponius, Psellus, & Anselmus, per eiusmodi filias Angelos intelligunt, qui in cęlesti Hierusalem morantur, quibus Ecclesia obloquitur, apud illos sese commendans simul & purgans quod ab ipsorum puritate & candore deficiat: id enim mirum videri non debet, cū ipsi in patria iam sint, ipsa verò in agone, & in via maneat: ideo enim se ipsam cum tabernaculis castrensibus ac viatoris componit, dicens:

Nigra sum. Athanasius & Theodoretus hęc verba Ecclesię ex Gentibus collectę donanda esse dicunt; quę nimirum ideo se nigram fateatur, quia non duxit originem ex sanctis Patriarchis, quia incircumcisa & pręputiata erat: sed formosam nihilominus asserat, quia Christo nupsit. Et sanę Athanasius his verbis adlusum putat

ad eas quæ imonias, quas initio nascentis Ecclesiæ Iudæi susceperunt contra Gentiles, qui in circumcisi & præputiati ad fidem admittebantur; itavt Gentilium sit hæc vox apud Hebræos se purgantium: Nos utique nigri olim & indecori, sed Baptismi aqua eluta nigredine pulchros, decorosque reddidit, & restituit ipsi Christo. Theodoretus verò de electione Ecclesiæ ex gentibus, ex repudio Synagogæ concipit dicta verba. quam Synagogam multarum filiarum nomine significatam voluit: quarum obtrectationes sponsa compescit, dicens, *Nigra sum*, &c. Hæc tamen nigredo mea non vetuit, quo minus vobis repudiatis me in sponsam suam Christus afflueret.

Tres verò Patres apud eundem Theodoretum, quibus hæret Philo Carpathius, utramque tam ex Gentibus, quam ex Iudæis collectam Ecclesiam nomine spõsæ intelligendam putant: quæ nimirum ideo se nigram appellet, quia ex Gentibus atris, & plurimis errorum tenebris circumfusis, collecta fuit: ideo formosam, quia ex Iudæis, hæreditariam pulchritudinem ab antiquis Prophetis, & Patriarchis repetentibus, coalescit. *Sicut tabernacula Cedar*, propter Gentes, & *sicut pelles Salomonis*, propter Iudæos. Audi Philonem Carp. *Ex Iudæis*, inquit, & *Gentibus seipsam appellans, tabernaculis Cedar*, quos ex Gentibus collegit, assimilat: *pellibus verò Salomonis*, quos à Iudæis fideles accepit, omnes diuinam misericordiam consequutos. Ideo verò ad utrumque populum respiciens, seipsam cum tentoriis componit, quia vocatos ex utroque populo per bellum non sine sanguine recepit.

Beda, Eucherius *lib. quæst. veter. Testam.* D. Augustinus *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 22.* Ecclesiam *nigram* & *formosam* censerì volunt, propter bonos & malos, ex quibus conflatur. Augustinus enim sic ait: *Non ait, nigra fui ut tabernacula Cedar, & formosa sum sicut pelles Salomonis, sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum.* Eadem fermè subscribit Beda sub finem sui Commentarij in hunc locum. Et secundum hanc interpretationem aptè dicitur, *Sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis.* Nam vel ideo nunc Ecclesia ex bonis & malis coalescit, quia est in agone & in via, & quia in tabernaculis degit.

Alij *nigram* intelligunt per peccata; *formosam* verò per pœnitentiam, aut per Baptismum. Huiusce sententiæ patronos non paucos supra dedimus in expositione Prophetica, quibus hîc nonnullos alios apponere, & quæ in singulis diuersa occurrunt, tradere oportet. Hieronymus in *cap. 2. Sophonia*, Moysen Sephoram Æthiopissam uxorem ducentem Christi Ecclesiam peccatorum nigredine infectam sibi adiungentis, & ipsam denique pœnitentis auxilio tergentis simulachrum fuisse dicit: & cum Theodoreto conspirans Mariæ obtrectantis exemplum contra Synagogam conuertit. Eandem figuram & exemplum tradit Origenes *homil. 2. ex quatuor.* Et vterius Reginæ Saba, quam nigram & Æthiopissam fuisse, atque ideo Austri Reginam à Christo dictam autumat, aduentum ad Salomonem Regem adeundum & consulendum, Ecclesiæ quoque ad Christum venientis umbram extitisse affirmat: ac denique ad hunc sensum traducit illa verba Psalm. 67. *Disperge gentes quæ bella volunt, venient Legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius Domino.* Aliquid etiam ex *Sophonia* 1. & *Hierem.* 39. de Æthiopia producit in eandem sententiam: atque ex his demum conficit in Scriptura sacra omnes gentes ad Christi fidem vocatas vno Æthopiæ nomine comprehendi solitas, propter nigrum colorem, quem non utique vultu & facie, sed moribus & impietate præferabant. Adstipulatur etiam Apponius, qui cum exemplo Reginæ Saba coniungit Baptismum Eunuchi Candaciorum Reginæ *Actor.* 8. in quo adimpletum fuisse dicit vaticinium illud Dauidicum, *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Missa facio alia minus accommodata.

D. Augustin. in Psalm. 50. *Vnde, inquit, est Ecclesia nigra & formosa? Nigra per naturam, formosa per gratiam. Vnde nigra? quia in iniquitatibus concepta. Vnde formosa? Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* quibus verbis nigredinem originali tribuit peccato; decorem gratiæ. Et infra aliam nigredinis & albedinis acceptionem comminiscitur Augustinus: *Vnde, inquit, nigra? Apostolus dicit, sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Vnde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESUM Christum.* Huic expositioni aptare licet verba sequentia, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* quasi utrumque intra seipsam contineri affirmet sponsa; bellum scilicet, atque pacem: bellum utique, quod assiduò mouet appetitus & fomes peccati: pacem verò, quam

quam adducit gratia, & iustitia. Hanc quidem in Salomonis tentoriis pacificis: illam verò in Cedaritarum tabernaculis militaribus.

Quid plura? Cum Augustino cohæret Ambrosius in lib. 1. *Exhortat. ad virgin.* qui inter alia sic ait: *Nigra sum & decora filia Hierusalem: nigra scilicet per carnem, decora per virginitatem.* Hanc verò nigredinem, quam caro suapte natura habet, cum atra nube componit. Sic enim addit: *Nubes itaque sunt & atra nubes, quæ nupserint; namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Et tunc operiuntur nubes cum acceperint nuptura velamina, &c.* Cogita ergo totam Ecclesiam, quod ad carnem attinet, nubis ad instar obtinere, quæ suapte natura atra est, atque nigra: sed tamen hanc ea ex parte, quam virginitas candore ac luce sua irradiat, claram splendidamque reddi. Ex altera verò parte qua nuptæ, seu velamina nuptialia eandem operiunt, & luci eripiunt, atram, nigramque manere. Hoc igitur sibi vult Ecclesia, cum ait: *Nigra sum, sed formosa.* Cui etiam interpretationi inferuiunt subtextata verba, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Non solum, quia illa nigra & obscura, hæc splendida & decora; sed etiam, quia illa in castris, hæc in pace. Nam coniuges tribulationem carnis circumferentes in bello semper sunt: virgines verò domita carne pace gaudent omnimoda.

Vel aliter collatio fiet cum vtrisque tentoriis, eo modo, quo suprâ diximus, quia nimirum vtraque pellibus rudioribus operata nigredinem præ se ferebant: resecta verò & aperta niueum candorem ostentabant. Quid inde? Coniuges certè & nubentes ac nuptiali velo operatæ tabernacula imitantur, rudioribus amicta pellibus: quæ cum mortuorum animalium spolia sunt, eas passiones mortalis corporis, quas semper circumferunt, facile declarant, & plurimam exercitationem, in qua viuunt, apertè demonstrant. Virgines autem eisdem tabernaculis apertis ac reuelatis similes sunt: atque adeò passionibus & affectionibus carnis reiectis niueum candorem ostentant; ac se quodammodo extra puluerem & aleam versari demonstrant.

Rursus idem Ambrosius Ecclesiam fuscam dici putat pro tempore, quo exercetur in hac vita, & formosam, cum in cœlo præmia suæ exercitationis captat: nam in lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 11. sic scribit: *Nigra per conditionem, decora per redemptionem; aut certè nigra exercitij sui puluere. Nigra ergo dum præliatur, decora dum victoria sua insignibus coronatur.* Iam vides quàm sit procliuè huic expositioni tabernaculorum vtriusque generis similitudinem accommodare.

Reliqui Patres nigredinem sponsæ in tolerantia passionum, ærumnarum & persecutionum ponunt; decorem virtutibus, quæ inter labores & pressuras augentur & perficiuntur; aut etiam fidei inter persecutiones & tormenta enitescenti; aut prouidentia Dei inter angustias opportunè succurrenti adscribunt. Hi sunt Beda, Iustus Orgelitanus, Cassiodorus, Apponius, Anselmus, Hugo Victorinus, Honorius, & Bernardus. Beda igitur *nigram* propter passiones; & *formosam* propter fidei confessionem Ecclesiam dictam vult. Duas autem similitudines sic accommodat: *Sicut tabernacula Cedar; quia ita sæpius afflictionibus infidelium vexata est sancta Ecclesia, quasi generalis esset totius mundi inimica. Sicut pelles Salomonis; quia ita est in conspectu sui redemptoris decora, ut Rex ipse pacis Christus ad ipsam diuertere, & in illa tanquam tabernaculo regio manere voluerit.* Anselmus *nigram* per labores, decoram & *formosam* per virtutes dicit. Consonat D. Isidorus. Iustus Orgelitanus nigredinem etiam persecutionibus adscribit; decorem in speciali Dei prouidentia erga ipsam ponit. Honorius Augustud. *nigram* asserit, propter passiones cruciatus, proscriptionem bonorum, exilia, &c. & *formosam* appellari vult quasi propter formam osam, id est, propter ipsius pulchritudinem omnibus aliis sectis odiosam. Quasi dicat, pulchritudo & forma odium illi multorum attulit, odium verò nigredinem inussit. Bernardus cum Ambrosio conspirat, & Ecclesiam *nigram* dum laborat, *formosam* cum regnat; *nigram* cum in via est; *formosam*, cum ad patriam peruenit, dictam voluit. Et paulo post *nigram*, propter imaginem terrestris hominis, quam prius in se portauit: *decoram*, propter imaginem cœlestis, in quam antiquam nigredinem commutauit. Angelomus denique *nigram* in opinione perperam iudicantium hominum: *formosam* in veritate iustitiæ, & gratiæ Ecclesiam vocatam sensit. Mitto reliquos Patres, qui alia subiiciunt his valde similia.

Sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis. Horum tabernaculorum similitudines dissimiliter accommodant Patres: perstringam paucis. Ergo dictas similitudi-

nes alij coniunctim relatè ad nigredinem ac decorem accipiunt; alij diuisim capiunt: priorem quidem nigredini, posteriorem decori adiudicantes. Origenes coniunctim accipit; atque illud præmittens, Cedar fuisse filium Ismaëlis, qui benedictionis diuinæ per Abrahamum in patrem suum prolata non fuit expers, sic demum decernit, Ecclesiam propter gentes nigram appellari, sed in eo ipso quòd nigra censetur, pulchritudine non carere: quia tabernacula Cedar cum Salomonis tentoriis communem benedictionem habent.

Ambrosius etiam coniunctim capit, & de vtrisque tentoriis sic serit in Psalm. 118. serm. 11. *Tentoria de exuijs mortuorum animantium fiunt. Igitur quæ hoc dicebat, mortua erat peccato, viuebat Deo.* Et infra per dicta tabernacula ex pellibus concinnata corpus intelligi vult. Et de hoc ita scribit: *Ita se sponsa factam esse dicit sicut pelles Solis caloribus adustas, eo quòd ita mortificauerit corpus suum, ut in asperitate tribulationum posita illam asperitatem iam non sentiret.* Qui similitudinem ita confirmare videtur, ut sicut tabernacula ad prohibendas temporum iniurias pellibus maceratis contegi solebant: sic etiam anima, ne tribulationum asperitates persentiscat, corporis mortificationem sibi ipsi ostendit.

Apponius etiam dictas similitudines coniungit, atque ex his hoc innui affirmat, Ecclesiam non esse ab exteriori specie iudicandam: quia sicut pelles Salomonis ab extrinseco rudes & impolitæ Arcam Dei operiebant, & tentoria Cedaritarum ex vilissima papyro contexta filios Ismaëlis, de stirpe magni Patriarchæ Abrahami oriundos, ab æstu & pluuia contegebant; quibus Deus in auo suo benedictionem copiosam impendit: ita etiam Ecclesia licet ad speciem persecutionibus & laboribus quamplurimis deturpata & denigrata videatur; tamen sub hac turpitudine atque nigredine multam Dei gloriam, & ingentem fidelium sobolem benedictionem per Christum adeptam contegit. Et infra in duplici illo tabernaculorum genere ipsius Ecclesiæ progressus adumbratos dicit: quæ primò admittit Catechumenos quasi Cedarenos sub tentoriis: deinde orthodoxos, quasi arcam sub pellibus.

Isidorus etiam non diuidit duas similitudines, sed per Cedarenos, qui tenebrosi interpretantur, dæmones concipit, & Ecclesiam tunc horum tabernaculis similem esse dicit, cum dæmonum incurfus & tentamenta sustinet: tunc verò pellibus Salomonis maceratis & leuigatis conformem cum desideria carnalia mortificat. Consonat Anselmus, quod ad sensum pellium attinet; de tentoriis verò Cedaritarum sic sentit: *Cedar fuit filius Ismaëlis, ideò sceleratus, ut ab urbibus fugatus in tabernaculis agere, nec diu alicubi morari cogeretur.* Ecclesia ergo iustorum huic adsimilis dicitur, non scelerum merito, sed conuersatione, & viuendi modo, utpote quæ in omnium malorum odio est, & exul extorrisque viuit in hoc mundo, ad aternam patriam semper anhelans.

Ad Isidorum etiam proximè accedit Beda, qui de tabernaculis Cedar ita scribit: *Ecclesia sicut tabernacula Cedar, non pro veritate, sed pro aestimatione insipientium ponitur, qui putant eam mansionem in se vitijs & malignis spiritibus præbere.*

Cassiodorus dictas similitudines diuisim concipit, ac per tabernacula Cedar Ecclesiam intelligit, quatenus persecutores plurimos assiduò sustinet. Ideo verò eandem cum Salomonis pellibus collatam dicit, quia est tabernaculum, aut tentorium, in quo Christus moratur. Vel quia, sicut tentorium Salomonis ex pellibus animalium mortuorum maceratis & leuigatis contextum erat; ita etiam Ecclesia ex his, qui membra sua mortificant, coalescit. Concors etiam est Cassiodoro Beda, qui de Salomonis pellibus ita subscribit: *Sicut Salomon tentoria sibi de mortuorum animalium pellibus facere solebat, ita etiam Christus Ecclesiam suam de illis congregat animabus, quæ desiderijs nouerunt renuntiare carnalibus.*

Diuisim quoque sumit Honorius: Cedar, inquit, quod interpretatur tenebra, peccatores in peccatis nigros adsignificat. Et nigra horum tabernacula actiones ipsorum fordiditas designant, in quibus tanquam Cedaritæ omnibus odiosi commorantur. De Salomonis verò pellibus ita subtexit: *Salomon, qui dicitur pacificus, est Christus, cuius pellis, id est, caro, exterius erat proprio sanguine rubricata sputis, flagellis, cruce denigrata; interius verò auro & gemmis ornata, id est, sapientia & miraculis decorata. Hac pelle Arca tegebatur, quia carne Christi Deitas velabatur.* Sed quid inde? Hæc pellis, inquit, significat Ecclesiam, quæ exterius est sanguine passionum rubricata, aduersitatibus mundi denigrata, interius gemmis virtutum ornata.

Angelomus Ecclesiam sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis dictam putat

putat, propter iustos, qui cum sese pellium ad instar assiduo macerent, & ad obsequium Regis pacifici Christi redigant, tamen impiorum opinione pravi sunt, & digni, ut cum infidelibus atque Ethnicis connumerentur.

Denique ex dictis Patribus non pauci obseruant significationes nominis *Cedar*. Apud Origenem, Bernardum & alios *Cedar tenebras* sonat. Angelomus *tenebras* simul, & *mærorem* notare affirmat. Honorius *testaceum* quoque vertit *Cedar*. Hoc autem nomen prout *tenebras* significat, ad peccatores, vel ad dæmones accommodant Patres; prout *mærorem* designat, pœnitentibus tribuunt: prout *testaceum* quid sonat, carnalibus tradunt.

Quæ in hac Appendice desiderantur, habes supra in expositione prophetica.

E X P O S I T I O M Y S T I C A de Anima.

NIGRA sum, sed formosa, &c. Ea quæ supra de Ecclesia contulimus in dicta expositione Prophetica ad animam secundum mysticum sensum allicere procliuè est. Nam Ecclesia & anima in sententia horum verborum hoc tantum dissident, quod gynæceum, cuius purgatione sponsa deterita & decori restituta dicitur, respectu Ecclesiæ fuit lex antiqua, quæ legalibus vnguentis, victimis & lustrationibus ipsam expurgauit, donec per Baptismum tanquam per externam preparationem ad nuptias Christi pertransiit: respectu verò animæ iustæ gynæcei locum habent timor Dei, pœnitentia, & lachrymæ. Atque adeò horum verborum sensus cum sono allegoriæ maximè conformis sic habet: *Nigra sum, sed formosa, &c.* Olim quidem *nigra* eram ob peccata, & culpas, quibus pulcherrimam Dei imaginem infeci: sed iam nunc timoris Dei, atque pœnitudinis auxilio formosa effecta sum, atque adeò idonea habilisque ad nuptias cum Christo non contrahendas tantum, sed etiam consummandas, ut nimirum vna anima & vna caro cum ipso fieri incipiam. Quapropter tanta insignis venustate filiarum Sion, id est, Angelorum, Beatorumque mentium, oculis ac censuræ formam meam subiicere non vereor. De gynæceo pœnitentiæ & timoris Dei satis multa diximus supra *vers. 1.* in expositione mystica. lege ibi plura.

Et sanè verba ista de pœnitentia animæ nigredinem extergente & expurgante, capiunt Pfellus, Origenes, Augustinus, Ambrosius, Hugo de S. Victore, & alij non pauci. Audi vnum Origenem: *Potest, inquit, & de vnaquaque anima, quæ post peccata conuertitur ad pœnitentiam, dici quòd nigra sit quidem pro peccatis, sed formosa propter pœnitentiam, & fructus pœnitentiæ.* Sed tamen Augustinus, & Ambrosius pœnitentini confessionem adiungunt. Ambrosius enim *lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 11.* sic habet: *Non dixit, nigra sum decora, ne quòd nigrum est decorum estimaretur. Nigra, inquit, sum, sed decora: nigra scilicet superiore peccato, sed decora confessione peccati, & correctionis studio.* Cuius mens est, prima illa verba, *Nigra sum*, confessionem peccatorum exhibere: & illa quæ subnectit, *sed formosa*, ipsius confessionis effectum & virtutem demonstrare, quæ nimirum expurgatis peccatis animam per gratiam, & iustitiam venustat, & pulchram decoramque reddit. Apertius loquitur S. Augustinus *in ser. 201. de tempore*, & luculentius *in serm. 29. de verbis Apostoli*, vbi inter alia sic ait: *Ecce tota Ecclesia dicit: Dimitte nobis debita nostra. Habet ergo maculas, & rugas: sed confessione ruga exteritur, confessione macula abluitur. Stat Ecclesia in oratione, ut mundetur in confessione. Qui dat veniam confitenti, maculam extergit: qui ignoscit, rugam extendit.* Vide quàm præstò ad sit confitenti venia, & peccata sua aperienti remissio. *Nigra*, inquit, *sum*; atque omni mora præcisa atexit, *sed formosa*. Confessioni è vestigio succedit gratia, & decor animi. Denique pende particulam aduersatiuam *sed*, quæ positam assertionem continuò negare videtur, ita nimirum, ut iam tunc cum se nigram & indecoram fatetur sponsa, formosa esse dicatur. hæc est enim propria vis confessionis: cum enim animam peccatis deformem denuntiat, iam tunc non est deformis, sed pulchra.

Quatuor verò interpretationes, quas in sono allegoriæ dedimus de concordia nigredinis cum forma & pulchritudine, & quas nuper in expositione prophetica de

Ecclesia sumus interpretati, ab Ecclesia ad animam transferre, pronum valde est: atque adeò id operis (ne sim prolixior) tibi permitto. Non pauca etiam ex his, quæ locis citatis, ad illa verba, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, de Ecclesia vniuersali diximus, ad animam singularem conuertere integrum est. Sed vlteriùs aliquid addendum. Primò in hisce verbis describitur progressus animæ, quæ lachrymis pœnitentiæ peccata sua delens à timore Dei ad charitatem, à pugna bellantium & tumultuantium passionum ad otium & tranquillitatem internæ pacis pertransit. Nam Cedaritæ, vt sæpè aliàs monuimus, viri erant pugnaces, & timorem plurimum vicinis latè regionibus afferentes. Salomon verò Rex pacificus, qui non armis & terrore, sed beneuolentia & gratia quamplurima regna & prouincias sibi deuinxit, & vectigales fecit. Anima ergo iusta, quam veterum culparum pœnitudo tenet, primò quidem Cedarenorum tabernaculis se similem asserit, quia initio timor Dei regnat, & internas passionum seditiones compescit. Deinde verò cum Salomonis tentoriis sese comparat, quia postea pulso timore succedit pax & charitas, quæ carnem cunctasque illius affectiones non vi, sed gratia liberè & ingenuè sibi obseruire facit. Hoc sibi vult illud, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*.

Rursus duæ similitudines prædictæ pœnitentiæ motum, & quod huic succedit, bonæ conscientiæ gaudium & tranquillitatem animi præclarè designant. Nam, vt supra monebam, *Cedar* interpretatur *mæror* & *dolor*, atque adeò *tabernacula Cedar* sunt tabernacula mæroris, vel, quod idem est, mæror in tabernaculis. Qualia verò essent Cedaritarum tentoria, non semel diximus, scilicet horrida & squalentia, ex pellibus mortuorum animalium confecta, æstu plurimo adusta. Hoc enim proprium illius mæroris, quem pœnitentia imperat, ad mortificationem carnis, asperitatem, squalorem & castigationem corporis ipsam animam compellens, donec suppuratis culpis, & culparum reliquiis, ac expugnatis passionibus succedat pax, & tranquillitas. Tunc enim anima similis fit Salomoni Regi pacifico, & delitiosè admodum victitanti in tentoriis pacificis, & planè regis suas ad perfectionem vias conficienti. Frustrà hic plura, cum ea, quæ de his similitudinibus supra diximus in expositione prophetica ab Ecclesia ad animam iustam conuertere perfacile sit.

Appendix superioris expositionis.

N*igra sum, sed formosa.* D. Hieronymus *Epist. 22. ad Eustochium cap. 1.* in anima, quæ grauiora peccata lachrymis iam deleuit, antequam ad perfectionis virtutem ascendat, hæc duo, nigredinem ac pulchritudinem, conuenire dicit. Sic enim habet: *Qui facit peccatum, ex diabolo est. Tali ergo parente generati nigri prorsus sumus. Sed post pœnitentiam necdum culmine virtutis ascenso dicimus, Nigra sum, sed decora.* Qui eas imperfèctiones, propter quas anima ab illo perfectissimo, absolutissimoque virtutis decore deficit, aliqualem nigredinem esse vult, cum pulchritudine tamen cohærentem. Parcit Hieronymus sequentibus verbis, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Possum tamen ad eandem sententiam euocari hoc modo, vt scilicet duæ similitudines coniunctim capiantur, atque anima in suæ conuersionis initio vtrumque sit, *Nigra sicut tabernacula Cedar*, quatenus pugnans carnis adhuc sustinet, & *formosa sicut pelles Salomonis*, quatenus decorem gratiæ & iustitiæ iam obtinet. Et fanè paulo post D. Hieronymus huic animæ, quæ ad Deum contendit, ita tuadet: *Egredere de domo tua, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Ei autem, quæ ex domo & ex populo excessit, atque adeò extra domum & urbem agit, tabernaculis vti proprium esse dicit. Sed quibus tabernaculis? his nimirum, & illis, Salomonis atque Cedar: vtraque enim coniungi debent, ita vt caro & appetitus velut in tabernaculis Cedar degat, assiduò pugnans & repugnans; animus verò in Salomonis pellibus moretur, multa pace ac tranquillitate fruens.

Cum Hieronymo non parum concordat Psellus, qui hæc inter alia adscribit verba: *Omnis anima, qua proficit in virtutis studio, sic ad lucem ex tenebris progreditur, vt non repente tota illustris & pura fiat, sed quo propius ad virtutem accedit, eo longius à fraudis obscuritate fiat, atque ita splendidior, & clarior euadat.* Qui progressus animi ad virtutem, & qualiter pulchritudo cum nigredine coeat, perspicuè ostendit.

D. Gregorius illa etiam duo, *Nigra sum, sed formosa*, coniunctim accipit, ita nimirum, vt anima formosam se prædicet, per acceptam gratiam; nigram verò per re-

spectum

speculum ad præterita delicta, quæ assidua secum memoria voluit: quia nimirum propter hæc delicta præterita, etiam si eorum veniam quis obtinuerit, merito se peccatorem proclamat, & eorundem dolore assiduo tangitur. *Sicut pelles Salomonis, sic explanat, Salomon, inquit, est Christus; pelles Christi sunt Sancti, carnem macerantes. Anima ergo tunc formosa est, cum Sanctorum exempla imitatur, & ipsam Christi pulchritudinem in se transfert.*

Aliquid etiam huic ad simile confert Bernard. *in serm. 28. in Cant.* vbi extrema illa verba, *Sicut pelles Salomonis*, de Christo intelligit, cuius pellem passiones & cruciatus multi denigrarunt: cum tamen intus diuinitatis candor, splendor gloriæ, & innocentiae puritas lateret. Cui etiam accommodat tunicas pelliceas Protoplastorum; & hædinas quoque pelles, quibus Iacob manus & collum operuit, vt fratri benedictionem præriperet: atque animam hæc omnia quæ in Christo fuerunt mystica per imitationem sibi aptasse, & accommodasse dicit, sicut pelles Salomonis effectam.

Nyssenius hæc quoque animæ accommodat à peccatorum nigredine ad gratiæ decorem pœnitentis beneficio translata: huic autem extrema verba sic adaptat, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Hæc nimirum anima, quæ erat olim habitaculum tenebrarum (Cedar quippe tenebras sonat) fit lucis habitaculum, veri Salomonis, id est, Christi Regis pacifici in ipsa commorantis.* Sed vide quàm aptè hæc inferat Nyssenius: *In anima, inquit, peccatoris non secus habitant peccata, quàm Cedareni in tentorio suo. At in ea quæ iustificata est à peccatis, non secus immoratur Christus, quàm Salomon Rex pacificus in Regio papilione.* Vtrumque certum. Nam Cedareni viri erant crudeles in tabernaculis atris, & squalidis agentes; atque inde non nisi ad prædas agendas & bella vicinis inferenda prodeuntes. Quid verò tetrius anima illa, quam peccatorum maculæ deturpant? in qua ipsamet peccata & vitia non inhabitant solum, sed etiam cunctis virtutibus bellum assiduo mouent, & prædarum loco noua sibi indies adaugent, cumulantque crimina. Contrà verò Salomonis Regis pacifici tabernaculum erat candidum, splendidum, prædiues, non quidem ad bella, sed ad alias conficiendas instructum. Tanta enim erat huius Regis opulentia, vt non minori apparatu, copia, & delitiis vteretur in via cum iter agebat, quàm in Regia & Palatio, cum ibi manebat. Ita docet Iosephus *Antiquitat. lib. 8. cap. 2.* vbi comitatum, copias, sumptus & delicias viarum describit. Non secus anima illa, ad quam Christus per gratiam diuertit, candida est simplicitate & innocentia, virtutibus ac Spiritus sancti donis prædiues, atque in huius sæculi via Deo tabernaculum sui optimum exhibet; in quo non minus splendidè & iucundè, ac delitiosè agit, quàm in ipsa cœlesti Regia, vbi cum Beatissimis regnat. Quinimo ipsa anima Deo in illa moranti pro cœlo est.

Hæc est altera interpretatio illius extremæ similitudinis, quam non ignorauit Origenes *in homil. 2. ex quatuor*, vbi inter alia sic scribit: *Ipsa (id est, anima iusta,) est illius tabernaculum, & præcipuè si illud consideremus, quod dicitur, tabernaculum verum, quod fixit Deus, & non homo. Et quod ait: Non enim in manufacta sancta intravit Iesus exemplaria virorum. Si ergo pulchritudinem suam sponsa pellibus comparat veri Salomonis, illarum sine dubio pellium gloriam & pulchritudinem dicit, quæ operiunt Tabernaculum quod fixit Deus, & non homo, id est, cælum ipsum: hoc enim pellis nomine compellat Scriptura, cum dicit, Qui extendit cælum sicut pellem.* Sed istam comparisonem animæ cum cœlo vberius prosequitur Bernardus *serm. 27. per totum.* Excerptam aliquid. *Et Deus extendit cælum sicut pellem. Pulcherrima pellis, quæ in modum magni tentorij vniuersam operit faciem terræ, & Solis, Luna, stellarumque varietate tam spectabili humanos oblectat aspectus. Quid hac pelle formosius? Quid cælo ornatus? tamen cum decore sponsæ minime conferenda.* Et infra, postquam docuit, animam iustam non tam cælum ipsum, quàm ipsius cœli cælum esse: iuxta illud, *Psallite illi, qui ascendit super cælum cæli.* id est, qui animam iustam inscendit, quæ cælum quoddam est cœlo sublimius, hoc est, non secus supra cælum euectum, quàm cælum hoc, quod spectamus, supra terram extollitur. Ad pelles rediens sic demum addit: *Hoc cælum extentum sicut pelles non utique spatij locorum, sed affectibus animorum.* Et subinde, vbi cunctos Beatorum ordines enumerauit, atque ex omnibus tanquam ex multis pellibus vnâ pellem, aut tentorium componi dixit, sic atexit: *Cur non & propter animam, quæ de cælo est, cælo æquè similem se esse gloriatur, præsertim cum vita testetur originem & similitudinem confirmet dignitas, vnum Deum adorat & colit quomodo Angeli, Christum su-*

per omnia amat quomodo Angeli, casta est quomodo Angeli, idque in carne peccati quod non Angeli; querit postremò & sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod euidentiùs cælestis insigne originis, quàm in regione dissimilitudinis retinere similitudinem? gloriam vitæ cælestis in terra ab exule usurpari? in corpore denique penè bestiali vivere Angelum? Et post pauca: Est ergo cælum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, vel certè sol est zelus iustitiæ, ac feruens charitas, & luna continentia. Quo modo enim claritas, ut aiunt, luna non nisi à cælo est, sic absque charitate continentia meritum nullum est. Hinc enim ait Sapiens: O quàm pulchra est casta generatio in charitate, (sic ipse legit.) Porro stellas dixisse virtutes non me pœnitentem congruentia similitudinis. Quomodo enim stella in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminent in aduersis; ergo virtus est, sydus, & homo virtutum cælum. Hactenus Bernardus, qui animam cælo similem luculenter probauit, siue cælum significet cælestes sphaeras Beatos continentes, siue accipiat continens pro contentis, nimirum cœli pro Beatis ipsis. de quibus illud enuntiatum autumat: & cæli cælorum laudent nomen Domini. Quantum autem placeat Christo Salomoni vero in hoc tabernaculo, seu potius cælo animæ iustæ morari, ac manere, apprimè declarat idem Bernardus: Nec mirum, ait, si libentiùs inhabitat cælum hoc Dominus I E S V S: quod utique non quomodo ceteros cælos, dixit tantum ut fierent, sed pugnavit ut acquireret, occubuit ut redimeret. Ideo post labores voto potitus, ait: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et beata, cui dicitur: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Et demum sic addit: Ergo exemplo illius, quæ sursum est mater nostra, hæc quoque quæ adhuc peregrinatur, habet cælos suos homines spirituales, vitæ & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Hi pluentes pluuiam salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis; hi enarrant gloriam Dei, hi extenti sunt sicut pelles, & legem Dei digito Dei scriptam in semetipsis ostendunt, & Euangelium pacis, quoniam Salomonis sunt pelles. lege ibi plura.

Sed si anima à peccatis ad gratiam translata sicut pelles Salomonis formosa existit, hoc est, cœli ad instar venusta; si etiam Christus Dominus in ipsa tanquam in cælo degit, quid de illa dicendum, quæ adhuc in suorum delictorum fœcibus immerfa hæret? *Nigra*, inquit, *sum sicut tabernacula Cedar*. Porro *Cedar* (ut suprâ ex Isidoro & aliis notabam) dæmones adsignificat: atque ad eò sensus est, *Nigra sum ac deformis sicut tabernacula dæmonum*, id est, sicut infernus ipse ac gehenna, quæ cacum, nigrum, & obscurum dæmonibus tabernaculum præbet. Sic enim duæ similitudines sibi mutuo respondebunt, itavt anima olim cum in peccatis manebat, inferno ad similem, iam nunc postquam gratiæ decorem adepta est, cælo æqualem se esse affirmet.

Quid plura? Dionysius Richelius de comparatione decoris sponsæ cum Salomonis pelilibus paulo aliter sentit; non enim illam cum cælo ipso, sed cum quolibet Beato cælum incolente (quem Salomon etiam Rex pacificus repræsentat) compositum putat, itavt sit sensus; formosa sicut pelles Salomonis, sic nimirum decora sicut Salomon in tentorio Regio, id est, sicut Beatus quoque in cælo existens. Cum qua expositione connecti debet altera pars, *Nigra sicut tabernacula Cedar*, sic scilicet nigra & deformis, sicut Cedarens in tentorio suo, id est, sicut dæmon quispiam infelix in inferno degens. Itaque iuxta hanc expositionem Salomon differentiam assignat longè maximam, quæ versatur inter animam peccatis infectam, & eam, quæ à peccatis emundata est. Hæc enim etiam in via, & in exilio similis est Beatis in cælo agentibus, quippe quæ æternæ beatitudinis dulcedinem iam iam delibat: illa verò similis est dæmonibus ad inferos detrusis, quippe quæ ipsius gehennæ tormenta & cruciatus iam iam degustat. Et meritò illa beatitudo, qua gaudent iusti; & passio, seu cruciatio, quam sustinent impij in hac vita, in tabernaculis esse dicuntur, quia utraque in via est: illa enim ad perfectam beatitudinem & felicitatem in cælo, hæc verò ad perfectam damnationem apud inferos contendit.

Bernardus per *tabernacula Cedar*, corpus hoc mortale corruptioni obnoxium intelligendum putavit. *Quid enim*, inquit, *tabernacula Cedar, nisi nostra sunt corpora? In his tanquam in tabernaculis militamus prorsus nolenti ad regnum, Dominus item lux est, & in quantum quisque cum eo non est, in tantum in tenebris est, hoc est, in Cedar (nam Cedar tenebra interpretatur. Flebilem proinde illam vocem agnoscat suam: Heu mihi quia,*

quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Denique plura ad animam spectantia lege in Appendice expositionis propheticae. Nam quæ ibi Patres de Ecclesia serunt, ad animam euocare non est difficile.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA
de B. Virgine.

NIGRA sum, sed formosa. Ut interpretatio horum verborum ita quadret in Deiparam, ut cum sono allegoriæ cohæreat, dicendum hæc ab ipsa dicta tunc cum in templo erat, tanquam à gynæceo, ubi diutiùs animæ suæ formam expolierat, ut ad eum modum exulta & ornata nuptias Christi non expectaret tantum, sed etiam ambiret: tunc nimirum, cum ad matrimonium cum Ioseph copulandum iam iam educebatur. Et sanè non vna est de forma & pulchritudine Virginis sententia. Rupertus Mariam hinc *formosam*, propter virginitatem, dictam voluit. Guilielmus & Picus propter gratiam. Honorius & Hailgrinus, propter dignitatem matris Dei. Istæ verò formæ acceptiones diuersas horum verborum expositiones parturiunt. De singulis dicam.

Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem. Nigra scilicet specie tenuis, sed re ipsa formosa. Nam, quia è templo egressa Ioseph in coniugem tradita sum, virginitatis pulchritudo mihi periisse ad speciem videtur. Sed quia ipsi nubens, virginitatem, quam Deo olim promiseram, integram & illæsam semper seruauit, reuera formosa sum, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Suprà quidem in expositione prophetica ex Ambrosij sententia coniugatos tribulationem carnis habentes cum appetitionibus suis, cum molestiis & angoribus huiusce sæculi assiduò certantes, Cedaritarum tentoriis similes esse; virgines verò qui expugnata iam carne multa pace & tranquillitate animi gaudent, candidos prorsus ac niueos, cum Salomonis pellibus confereudos esse diximus. Lege ibi plura. Ait enim Ambrosius, *Nigra per carnem, decorata per virginitatem.* Eatenus ergo Virgo nigra apparebat, quatenus coniugio tradita virginitatem amisisset, & ipsius matrimonij leges, & onera perferre videbatur. *Sicut tabernacula Cedar*, id est, sicut corpus aliquod, in quo habitat concupiscentia menti & rationi bellum mouens. Et sicut ea, quæ propterea nupsit ne vreretur, iuxta illud, *Melius est nubere, quam vri.* Sicut Cedareni, qui ideo tabernaculis vtuntur adustis ne ipsi à sole sibi impendente torreantur. Sed quia saluus ille permansit semper pudor atque virginitas, reuera *formosa* erat, *sicut pelles Salomonis*, propter corpus omnino concupiscentia vacuum, atque adeò carnis pugnas, & appetitus seditiones prorsus ignorans, ab ipsaque Spiritus sancti umbra & virtute ceu candidissimi cuiusdam tentorij velis, contactum & obumbratum: ac demum Salomoni vero Christo dignum maiestate sua hospitium exhibens. Sic exponi debet locus iste, si duæ similitudines diuissim capiantur.

Quòd si illas duas similitudines coniungere satius duxeris, sic nimirum, ut tam hæc, quam illa nigredinis simul & pulchritudinis symbolum præbeant: quam explanationem permulti ex Patribus amplectuntur (ut ad sonum allegoriæ obseruauimus) poterit certè sensus non inelegans conformari, qui rationes illas contineat, propter quas Virgo Deipara sapientissimo Dei consilio matrimonio iuncta fuit. *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Vtraque enim tentoria rudibus, atrisque animalium pellibus contra Solis æstum & reliquas temporis iniurias velari solita: atque his reiectis ac replicatis niuea prodebant vela, aulæa & cortinas, quas sub præfatis pellibus contegebant. Altera ergo ratio, propter quam decuit, ut Virgo nuberet sanctissimo viro Ioseph, ea est, quam tradit Basilus in *homil. de Christi generatione*, ut scilicet ipse Ioseph virtutis illius esset *testis locuples, & custos fidelis*, testis scilicet, quia ipsam exploratam habebat, & custos etiam, non solum, quia ad ipsum spectabat vxoris pudorem ab alienis tueri, sed etiam, quia proprio cedens iuri, id vtique seruasse dicendus est, quod violare nunquam præsumpsit. Ait ergo Maria, *Nigra sum, sed formosa*, id est, nupta quidem sum, sed Virgo immaculata, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quia sicut pelle mortuorum animalium his tentoriis obrensæ

non

non vitiant, aut inficiunt, sed potius seruant & tuentur carbasi & hyssi candorem sub eisdem delitescens: sic etiam matrimonium meum cum Ioseph initum, quod carnale & corruptibile quid sapere ac præ se ferre videbat, virginitatis ac pudoris mei niueum splendorem non utique læsit, sed magis seruauit, atque protexit.

Eodem modo præfatis similitudinibus subiici potest secunda ratio, propter quam Deiparam nuptias copulare oportuit. Eam tradunt Ambros. lib. 2. in Lucam, & Bernard. homil. 1. super Missus est. Audi Ambrosium: *Desponsata est virgo, ne temerata virginitatis adureretur infamia, cui grauis alius corruptele videretur insigne præferre. Sciebat enim Dominus teneram esse Virginis, & lubricam famam pudoris. Seruatur ergo Mariae sicut pudore integra, ita inuictabilis opinione virginitas. Nec decuit sinistra virginibus opinione viuentibus velamen excusationis relinquere, quod infamata quoque mater Domini videretur.* Hæc Ambrosius. Quibus verbis docet non solum id Deiparæ donatum à Deo, ut per incorruptionem carnis pudor eius esset integer, sed etiam, ut istius pudoris fama (liceat sic dicere) virgo semper maneret, dum nihil vnquam corruptionis admitteret. Itaque cum duo in Virgine integerrima esse oporteret, hæc sunt virginitas corporis, & virginitas famæ, maluit Deus aliquid matri suæ in hominum æstimatione & opinione de corporis virginitate perire, quam dictæ famæ virginitatem per eandem hominum opinionem violari. Ergo ad huius famæ integritatem, quam matrimonium initum cum Iosepho ab omnibus obloquentium iniuriis & corruptelis defendit atque prohibuit, sic addit: *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem*, id est, nupta quidem sum, sed nuptiæ nullum detrimentum pudoris mihi attulerunt. *Sicut tabernacula Cedar sicut pelles Salomonis.* Nam nuptiæ meæ cum Ioseph contractæ non aliter bonæ famæ candorem contra obreccationem contumelias protegent, quam pellicea integumenta contra temporum iniurias, Cedarenorum, Salomonisque tentoria candida ac splendida contutantur. In qua expositione illud etiam vide, eam quæ famæ consulebat suæ, cum tentoriis militaribus aptè comparari: quia sæpius eos, quos aliarum rerum detrimenta sustinere non dedecet, pro bona fama tuenda ardentè pugnare ac repugnare oportet.

Tertia ratio nuptiarum B. Virginis refertur ad honorem & gloriam ipsius matrimonij, illamque expressit Basilus homil. citata, hisce verbis, *Virgo erat virgo desponsata, & apta coniugali officio obeundo putata, ut & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur.* Itaque Basilus ideo Deiparam nupsisse dicit, ut nuptiis decor & gloria inde accresceret. Sensus igitur horum verborum sic institue, *Nigra sum, sed formosa*, id est, nupta simul & virgo sum; neque propterea à nuptiis me subtraxi, quia virginem manere oportebat, sed ideo potius virgo ad matrimonium veni, ut illi splendorem compararem. *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quasi dicat, cum Ioseph matrimonium iniens, Cedarenorum tentoriis similis forsan videri poteram, sed reuera pelles Salomonis imitata sum; quia statum assumens in quo coniugati aliàs sicut Cedaritarum tentoria esse solent, inquieti, tumultuosi, & bellis plenis: ego quidem in illo instar pellium Salomonis obtinui, id est, sicut tabernaculum Salomonis, pacificum atque tranquillum fui: quia nimirum illud coniugium, quod cum Ioseph ego contraxi, eiusmodi fuit pacis, tranquillitatis ac beneuolentiæ plenum, quod aliis coniugiis non modò exemplum, sed etiam honestatem & decorem maximum reliquit. Itaque illa verba, *Sicut tabernacula Cedar*, non significant id quod erat virgo Ioseph tradita, sed id quod esse videbatur considerata conditione illius status. Illa verò *sicut pelles Salomonis*, significant certè id, quod reuera erat ad exemplum, & decorem eiusdem status, eodem sensu, quo nigra simul & formosa dicitur. nigra utique ad speciem, ac formosa secundum rem.

Erat ergo Maria Ioseph nupta sicut tentorium Salomonis, non castrense, sed viatorum: quia sicut hi, qui vias agunt, tabernacula sic mouent, aut defigunt, prout ipsis vel alicubi manere, vel in alium locum contendere placet, aut displicet: sic etiam Beata Virgo in omnibus rebus ex nutu Ioseph viri sui pendebat, qui à Deo edoctus illam vel manere, vel loca vertere, & mutare iubebat. Et sanè hæc est quarta ratio, propter quam sanctissimam Deiparam in connubium dari oportuit, ut nimirum vir eius in longioribus viis, quas conficere opus erat, ipsi comes esset ac dux. Sic Theophylactus, & Origenes in cap. 1. Matth.

Quinta denique ratio, quam Ignatio adscribit Hieronymus, & quam Thaumaturgus identidem tradit *serm. 3. de Annunt.* ea est, ut scilicet partus eius celaretur diabolo, dum Christum putat non de virgine, sed de uxore generatum. verba sunt Hieronymi, & Thaumaturgus sic ait: *Cur desponsatam, ne citius latro mysterium cognosceret. Quòd enim per virginem Rex venturus esset, improbum non latebat: atque virginis vocem quotidie obseruabat, ut ubi mysterium hoc adimpleretur, ibi infamiam prae pararet.* Inter alia militiae gerendae praecepta, quae Vegetius tradit Imperatori, illud satis nobile, ut scilicet tunc cum praelium conferitur à Regio tentorio ad humile cuiuspiam militis tabernaculum secedat: vel, quod satius est, ipsum Imperatorem tabernaculum humile sit, & ad externam speciem sordidum, quamuis intrinsecus splendidum ac praediues: quia cum hostes missilia & tormenta dirigere, atque fortiores impetus facere soleant in tentorium Imperatoris, securius ac melius latet in humili & ignoto. Quorsum hæc? *Nigra* (inquit. Virgo) *sum, sed formosa.* Nupta scilicet sum, atque adeò nigredinem aliquam exterius præfero; quasi virginitatis iacturam fecerim: sed nihilominus formosa & candida, id est, immaculata virgo maneo: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis,* hoc interius, illud exterius. Nam Christus cœlestis Imperator hoc usus est stratagemate, hostem suum latere volens: sic enim me sibi tabernaculum instruxit, aptauitque, ut ad speciem quidem atrum, humile & commune essem, *sicut tabernacula Cedar,* propter nuptias, quas contraxi, tamen de intus splendidum, candidumque forem *sicut pelles Salomonis,* propter virginitatem, quam in conceptu, in partu & post partum incolumem, intemeratamque seruaui. Et sanè huius stratagematis pars quoque putanda est electio matris humilis. de cuius humilitate paulo post dicam.

Quid plura? Cum hac expositione cohæret interpretatio Ruperti, qui locum istum de suspitione ac zelotypia sanctissimi coniugis Ioseph edisserit, hisce verbis: *Nigra erat in opinione Ioseph viri eius, qui inuenit eam in utero habentem: & cum esset vir eius, nolebat eam traducere, sed volebat occultè dimittere eam. Ergo in oculis eius nigra erat, & est adhuc in oculis eorum, qui cum sint filij matris suæ, pugnant nihilominus contra eam, contradicendo nobis confitentibus eam salua virginitate de Spiritu sancto imprægnatam. Quapropter illa dicere potest & veraciter dicere, Nigra sum, sed formosa. Nigra, inquam, quia prægnans inuenta sum; sed formosa, quia salua virginitate de Spiritu sancto imprægnata sum. Quàm nigra, & quàm formosa? Nigra quidem sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis. Sicut enim Ismaël, ad quem pertinet Cedar, niger ac ferus homo, iure fuit eiectus cum matre sua, dicente Sara: *Eyçe ancillam, & filium eius,* &c. ita & ego iure eijcienda visa sum, ita ut vir meus Ioseph nollet me traducere, sed occultè dimittere me. Ergo nigra ego sicut tabernacula Cedar, quia sicut ille cum matre sua, ita ego cum eo quod conceperam, videbar eijcienda viri mei domo, & hereditate indigna. E contra sicut pelles Salomonis; quia sicut exterior cultus, & omnis dignitas sapientissimi illius Regis incomparabiliter splenduit, ita ut nullus Regum ei potuerit unquam comparari: ita & virginitatis meæ splendor præ omnibus Sanctis & filiis Regni Dei est admirabilis, &c.* Hactenus Rupertus. Hæc tamen expositio licet accommodata videatur, in eo superiori facile cedit, quia cum allegoriæ sono minus cohæret. nam suspiciones Ioseph post Incarnationem Verbi diuini, & post mysticas cum Christo nuptias iam celebratas contigerunt. Hæc autem verba Sulamitis ad tempus antenuptiale pertinent, ut sæpè monuimus.

Iuxta secundam expositionem B. Virgo *formosa* dicitur propter decorem gratiæ, & sanctitatis. Hæc autem formæ acceptio non vnum nobis horum verborum sensum exhibet. Alia ad summam B. Virginis humilitatem spectat, hoc modo: *Nigra sum, sed formosa.* Si forma in hoc loco gratiam adsignificat, certè nigredo formæ opposita peccatum ipsi gratiæ aduersum notare debet; atque adeò sensus erit: Ego quidem nigram, id est, peccatricem me æstimo, quamuis nihil gratiæ & sanctitatis animam meam condecorantis mihi desit. Sed quomodo hæc æstimatio & opinio sui in Mariam cadere potuit, quæ pulchritudinem gratiæ penè infinitam, qua prædita erat, planè agnoscebat? O mirabilem Deiparæ humilitatem! Audi Ioannem Gerson *in serm. de humilitate, in Cæna Domini, Alphab. 40. lit. Z.* vbi postquam præmisit, Paulum non fallaciter, sed verè se omnium peccatorum primum compellasse, sic deum attexit: *Dicere aliquid grandius meditor: nescio si potero: iuuante me Deo, puto, imò certè credo quòd Maria Paulum in humilitate transcendit. Vellem ergo scire, nunquid fuerit*

fuert hac maior humilitas, ut Maria se tanto veriùs inter peccatores primos nominaret, quanto humiliùs à Deo in se ipsam exiens suum imperfectum lucidiùs nouit. Poterat ergo sic intelligi, & si non horrent pia aures sic dici, non quidem de peccato contracto, absit; sed de labilitate ad peccandum. Nam creatura rationalis qualibet, seclusa Dei manutentia speciali, & actuali, tanto labilior & pronior est ad casum & defectum, quanto in naturalibus, aut etiam in gratuitis superior est: quia nimirum plus habet creatura omnis de vanitate & tendentia ad nihilum, quanto plus de entitate sortitur. Signum euidentis huiusmodi fuit in Lucifero, & in Adam, & alijs multis, quorum nobilitates & perfectiones quid fuerunt eis nisi pondus grauius ad ruinam maiorem. Hoc igitur sentiebat Maria eo profundiori humilitate, quo lucidiùs contemplabatur. Hinc Augustinus vocauit Mariam puelam abiectam, & vilem in oculis suis. Hactenus ille. Cuius sententiam & rationem alij postea Doctores probarunt. Quapropter Maria non modò nigram, sed inter nigros nigerrimam, sine iniuria veritatis, seipsam ex humilitate vocare potuit. Atque eo veriùs, & certius id pronuntiare ipsi integrum fuit, quo erat gratia & sanctitate candidior; quia nimirum candor ille immensus, quem ipsi gratiæ ingens magnitudo afferebat, suapte natura secluso actuali Dei auxilio in peccatorum nigredinem à summo illo candore distantiore recidere potuit. Addit, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quæ duæ similitudines iuxta præscriptum sensum diuim capi debent, & sic acceptæ superioris sententiæ energiam facile declarant. Nam Cedar, ut in superiori Appendice monui, *testaceum* sonat, id scilicet, quod suapte natura fragile est. Maria ergo, quæ se omnibus gratiis decoram, diuitemque nouerat, *sicut pelles Salomonis*, non tamen veretur nigram & peccatricem se dicere, *sicut tabernacula Cedar.* Ideo nimirum se nigram & peccatricem vocare ex humilitate non detrebat, quia suæ naturæ testaceam fragilitatem planè agnoscebat, quo maioribus, ac dignioribus gratiis ornata & offirmata erat, eo miserabilior esset ruina. Rursus ideo se tabernaculis adsimilem dicit, his scilicet, quibus Salomon utebatur in viis, & quibus Cedareni loca etiam mutare solebant, ut significaret secluso Dei auxilio, in gratiis & donis Dei nihil constans & perpetuum, sed omnia esse mobilia, siue in melius, siue in deterius. Atque adeò, quemadmodum B. Virgo Salomonis tentoriis adsimilis ex auxilio Dei semper in melius progressa est, ita etiam vicissim recedente Dei gratia, Cedarenorum tabernacula imitata contrario cursu in deterius abire potuit. Hæc de humilitate Mariæ.

Alio etiam modo sensus huius loci institui potest, si forma accipiatur pro gratia, & sanctitate, quem tradit Ioannes Picus supra citatus. Hic enim verba ista cum superioribus nectens, de originali B. Mariæ iustitia edisserit, ad hunc modum, *Nigra sum, sed formosa*, id est, *si species rerum externa consideretur, nigra, hoc est, in peccatis concepta censerì possùm. Sed si veritas constet, formosa, & ab omni peccati contagio immunis sum.* Nam quod ad externam speciem attinet, quatenus ex parentibus peccato infectis ut ceteri, & ex commercio carnis ut ceteri propagata sum, communis etiam mihi cum ceteris videtur fuisse nigredo, communis scilicet gratiæ originalis iactura, & commune naturæ peccatum: sed speciali Dei priuilegio per Christi merita à communi lege excepta formosa prorsus & decoram nunquam non fui. Audi Picum hæc pulchrè versantem: *Filia non Belial, aut Babylonis (quod veraciter fortasse dicere poterat ob illatam contumeliam) sed Hierusalem, ob gratiam, quam pro maledictis reddo, & spem correctionis, quam agnita veritate suspiro, nigra sum, sed formosa, quia si quid nigrum, non continuò & turpe est.* Nigra igitur sicut tabernacula Cedar, ex vniuersali propagine, ex eadem Protoplasti seminali cum ceteris ratione, ex simili matrimony ratione, sed non ideo turpis: turpitudinem enim non propagatio fecunditatis, non seminis ratio transmittit, sed natura inordinatio. Ideo formosa sicut pelles Salomonis, quam non pro conditione, sed pro sola clementia, ut per gratiam, ceu olim typicæ pelles Salomonis illius tam detestanda iniuriæ immunitatem acciperem, quam verè ex me opera Spiritus sancti desumpta, quam Salomonis pellis habet per naturam. Hæc ille. *Filias Hierusalem*, id est, pacis, compellat eos, quibus suam immunitatem ab omni culpa, commendare, ac persuadere vult Maria, ut vel ex eo constet, pacem & concordiam fidelium ex eo pendere, quod omnes de illius gratia originali candidè sentiant. Vel aliter, *Filias Hierusalem* vocantur prædestinati, qui ad cœlestem Hierosolymam pertinent, eiusque municipes sunt in hac vita: his enim suam innocentiam facile persuadet Virgo sanctissima.

Comparationes verò illas attentius obseruare potest, nam illa prior, *Sicut tabernacula*

macula Cedar, peccati originalis naturam, & effectus eius describit. Nam Cedar (vt supra animaduerti) tenebras, testam, & mœrorem sonat. Et Cedarehorum tabernacula militaria erant in castris ad præliandum defixa. Est igitur originale peccatum macula & nigredo animæ, & priuatio candoris gratiæ, quod nimirum homini tenebras adducit, id est, ignorantias & errores quamplurimos: testaceum reddit, hoc est, fragilem, & in actualia peccata deciduum ac labilem: mœrorem illi ingerit, id est, eius, quæ ex peccatis consequi solet pœnitudinibus atque doloris, quàm plurimas occasiones offert: ac demum, liceat sic dicere, in castris ponit, vt scilicet assiduos & nusquam intermissos carnis, & spiritus appetitus, & rationis seditiones & bella sustineat. Ait ergo Maria, *Nigra sum, sicut tabernacula Cedar*. Quasi dicat; apud eos, qui me nigram, & originali peccato commaculatam putant, tabernaculis Cedar similis sum, atque adeò ignorantia, ac plurimorum errorum tenebras, testaceam quandam fragilitatem ad contrahenda actualia peccata, & de his susceptum mœrorem ac pœnitentiam, & demum appetitionis ac spiritus assidua bella mihi imponunt. Sed planè decepti hoc affirmant quotquot affirmant: nam licet in eorū opinione & æstimatione hoc videar, tamen reuera aliud sum, *Formosa sicut pelles Salomonis*. Iustitiæ originalis ista descriptio est. Nam Salomonis tentoria erant vtique splendida, candorem multum præ se ferentia, pacifica, viatoria, regia, plurimam & pretiosam introrsus suppellectilem in se continentia. Talem se esse dicit Deipara, propter gratiæ originalis decorem, nimirum veritatis candore, & diuinarum rerum cognitione splendescentem, rationis & appetitus concordia pacatam omnium infusarum virtutum suppellectile ornatam, in via ad merita augenda & cumulanda, non verò ad peccata, aut demerita contrahenda. Illud enim quod viatorum proprium est, scilicet mereri, mihi sine mensura donatum. Hoc verò quod à via recta deerrantium est, videlicet peccare ac demereri, mihi penitus ademptum: ac demum Angelorum, hominumque Regina effecta sum, tot enim tantaque dona pro tot tantisque malis originalis iustitiæ mihi asportauit.

Ad tertiam formæ acceptionem contendo, quæ est Hailgrini, & aliorum, qui Mariam *formosam* hoc in loco dictam volunt, propter dignitatem matris Dei. Iuxta quam acceptionem *nigredo* aliquid huic dignitati maxime oppositum significare debet. Quale hoc? Non aliud certè, nisi conditio seruilis, ad quam B. Virgo per humilitatem sese demisit, cum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Nam, vt aliàs docui, & probaui, *cap. 8. Prouerb. vers. 19.* nihil à dignitate matris alienum magis, quàm seruitus erga proprium filium, in quem iure naturali patriam potestatem mater sortitur. Et sanè in sacra Scriptura nobiles & ingenui viri חורים *churim* appellantur, id est, albi, aut candidi: & è conuerso כדרים *kedarim*, id est, nigri & pullati appellantur homines obscuro & serui (vt ad eam vocem obseruauit Helias.) Ait ergo Maria, *Nigra sum, sed formosa*, id est, quamuis diuina electio me ad dignitatem matris Dei assumpserit, qua nulla est pulchrior atque decentior; tamen opinione & æstimatione mea *nigra sum*, id est, humilis ancilla. Hispanè diceremus, *yo me tengo por su negra*; ita enim vulgus ancillas vocat maximè obscuras. Huic interpretationi inseruit obseruatio Hebraizanum, qui notant in hoc loco pro *nigra* subesse שחורה *sehora*, cui affinis est שחור *sehoh*, ex eadem radice, id est, aurora. Quia nimirum lux auroræ est suffusca, talis videlicet, vt propter candorem affulgentem vulgo dici soleat, & *Alba del dia*, vt proinde vox illa candorem fuscum, & nigredinem subalbam notare videatur, qualem repræsentat aurora: quo nomine satis aptè eiusdem Virginis maternitas adumbrata est apud Vatem in *Psal. 110.* vbi pro illis verbis, *Ex utero ante Luciferum genui te*, in primitiuis ad verbum est, *Ex utero auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ*, vt proinde non temerè factum dixerim, vt eodem nomine, quo Maria ex humilitate se nigram & ancillam pronuntiat, mater futura significetur, id est, aurora pulcherrima, cuius ex utero iustitiæ solem progredi oportebat. Hoc est enim humilitatis proprium, vt quod sibi ipsi quis derogat, id ipsum in gloriam, splendoremque conuertat.

Addit, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Ad superiorem sensum venustè aptari potest adlusio illa ad Agar ancillam, & Ismaëlem filium, quam hîc excitauit Rupertus, ita vt sit sententia. Ego quidem æstimatione mea similis sum tabernaculo Ismaëlis (nam Cedar pro Ismaële dictum monet Rupertus,) me scilicet similem reputo Agar ancillæ filium seruum, & humilem procreanti. Quasi dicat, vix mereor

Ismaëlis serui ancilla mater esse, quam nihilominus ad Regis Christi matrem excellentiam diuina electio promouet, formosam sicut pelles Salomonis. Aliquid huic simile pronuntiauit Hailgrinus, qui non de propria ipsius Virginis, sed de aliorum æstimatione sic serit: *Nigra sum, sicut tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis iustitiæ, sed sicut cetera matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum maioris ac tenebrarum. Veruntamen ego formosa sum sicut pelles, dedicata vero Salomoni Christo. Nam sicut illa pelles Arcam typicam continuerunt, sic ego intra mea viscera veram Arcam continui, Christum videlicet, cuius caro significatur per Arcam, cuius anima designatur per urnam auream, quæ erat in Arca, & deitas demonstratur per manna.*

Appendix superioris expositionis.

Diximus ea, quæ in sono allegoriæ, & cum filo vitæ Marianæ magis cohærent, reliqua minus germana sunt. Dionysius Carthusianus de compassione interpretatur ad hunc modum: *Nigra sum, sed formosa. Fuiisti enim, ô suauissima Virgo, nubilo dolorosissima compassionis in passione filij cooperta, eratque tunc in te duplicatus parturientium dolor; & nisi te omnipotentia filij tui conseruasset præ doloris vehementia rupto, ut creditur, corde expirasses. Veruntamen in tot tribulationibus atque doloribus mansisti formosa, quia hæc tua compassio erat tibi ineffabiliter meritoria, & per eam promeruisti efficaciam & facultatem succurrendi omnibus nobis.* Itaque per nigredinem compassionem intelligit, per quam Mariæ anima pullata & tristis aderat Christo patienti, sed interim multam sibi gratiam, & pulchritudinem accersebat, ac digna fiebat, ut non pro se tantum, sed etiam nobis exaudiretur. Subnectit Dionysius: *Quia si Paulo dicere licuit ad Coloss. 1. Suppleo quæ desunt passionum Christi in corpore meo, pro corpore eius quod est Ecclesia: quanto plus sacratissima matri hoc dicere fas est.* Et sanè longè verius de Maria hoc asseritur, quàm de Paulo, cuius passio adimpleuit passionem Christi, quatenus per illam non solum sibi efficaciter salutem quæsiuit, sed etiam toti generi humano, cuius salus Mariæ quoque meritis congruis parta est, ut sæpè aliàs monuimus. Dicam aliquid quod Virginis gloriam & splendorem auget. Certè passio & mors Christi reliqua eiusdem merita eapropter consummasse dicitur (ut communis fert Theologorum sententia,) quia licet ad promerendam hominibus gratiam & salutem quodcunque singulare Christi Domini opus satis valoris obtinuerit, tamen in præfinitionibus Dei propter alia eiusdem Christi merita & opera nihil reipsa hominibus donari decernitur, nisi præuisa & acceptata eiusdem passione, & morte. Non quia isthæc passio condignitatem aliorum operum compleat, nam ex seipsis factis condignitatis habebant; sed quia decretum & nutus Dei ita res disposuit, ut hæc opera sine passione nihil reipsa obtinerent. Sicut ergo passio Christi reliquis eiusdem operibus & meritis complementum addidit, sic passio Mariæ ipsius Christi passionem & mortem compleuisse dicitur, non quia dignitati operum Christi complementum aliquod addiderit; absit: vel quia ipsa per se meritoria essent ex condignitate salutis nostræ, sed quia similem ad modum secundum æternas præfinitiones Dei nullum donum ab ipso Deo proficiscitur Christi passione & morte partum, nisi præuisa passione Mariæ, filium suum voluntariè pro communi redemptione offerentis, atque tradentis. Hoc autem ita proprium est ipsius Virginis, ut nec cum Paulo, nec cum alio, vel Angelo, ipsi commune sit. Vide ea, quæ fusè docuimus *cap. 8. Proverb. vers. 18.* & in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 2. 2.* de modo quo Virgo mediatrix officio apud Deum functa est. Igitur ob eam causam B. Virgo nigra & formosa dicitur; nigra scilicet, propter passionem, formosa, propter merita, quorum magnitudine ita Deo placuit, ut non solum pro sua, sed etiam totius generis humani salute Deus faciem eius susceperit.

Adde etiam alio sensu huic affini, sanctissimam Deiparam *nigram* simul & *formosam* dici posse; nigram scilicet, propter passionem, formosam propter innocentiam: nam vel ideo passionem illius Deo tantopere placuerunt, quia sola cum passionibus innocentiam omnimodam coniunxit. Cum his duabus interpretationibus cohærent duæ similitudines, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* quas sic edisserit Dionysius: *Nigra eras sicut tabernacula Cedar, quia tunc cum stabas iuxta crucem, reputabaris vilis, iniqua, deformis, sicut impijssimi seductoris mater infelix, cum esses pulchra instar pellium Salomonis, & cæliciformi pulchritudine perornata assimilata decori viri pacifici, qui extendit cælum sicut pellem.* Sed qua ratione Maria tempore passionis deco-

rem cœli, aut ipsius Christi in cœlo manentis cum tanta deformitate tribulationum & dolorum coniunxit, *vt tabernaculis Cedar*, id est, *adustorum* (sic intellige,) & per hæc infernum ipsam damnatorum sedem concipe: huic enim Deiparæ dolores confereudos censuit D. Bernardinus, affirmans Virgini patienti accommodari posse verba Psalmi: *Vita mea inferno appropinquauit*; nec non illa: *Paulo minus habitasset in inferno anima mea*. Quia nimirum dolor & cruciatus, quem ex filij passione suscipiebat, omnem pœnam sensus, quam damnati sustinent, facile superauit. Sed qua, inquires, ratione ista duo, cœli videlicet gaudia, & cruciatus inferno maiores, vnà simulque in Virgine conuenire potuerunt? Aliquis certè dicere posset inter alia tempora, in quibus B. Virgo per vices ad claram & beatam Dei visionem admissa fuit, aliud certè fuisse ipsum passionis tempus, in quo quemadmodum Christus cum visione beatifica tot dolores atque cruciatus ingentes corporis, ac vehementissimam animi tristitiam coniunxit; ita etiam in B. Virgine miraculosè vtraque conuenirent, scilicet Deum clarè, vt in se est, videre, atque mente animoque vehementissimè cruciari. Id verò persuaderi potest ex eorum sententia, qui claras Dei visiones valde frequentes in Virgine fuisse autumant. Nam si aliàs, cur non in tempore passionis? Neque id alienum videtur à mente Carthusiani in *lib. 1. de praconio Virginis cap. 28*. Si id concedas, suppetet quidem ratio aliqua, ob quam in tanta dolorum ac cruciatuum vehementia exanimata non interit; quia vires quas dolor exhauriebat, fruitio & gaudium de Dei clarè viso restituere poterat. Tum etiam facilis via occurrit ad ostendendum modum, quo eadem Virgo passionis tempore omnes prædestinatos ac reprobos agnoscere potuit, vt pro illis sigillatim suos & Christi cruciatus offerret, nimirum in verbo ex vi visionis, iuxta probabilem opinionem. Sic fert sententia nouioris Theologi, quæ neque displicet prorsus, quia ad Virginis gloriam spectat; nec placet omnino, quia nullum fundamentum satis robustum habet. Si tamen non repudietur, satis declarat, qua ratione Virgo patiens vnà cum filio *nigra fuerit sicut tabernacula Cedar*, inferno maiores cruciatus sustinens. & *formosa sicut pelles Salomonis*, cœli ipsius gaudia ac beatitudinis solatia simul delibans.

Cæterùm si dictam sententiam abneges, & Virginem in passione ac morte filij meros ac puros dolores hausisse dicas; certè illius angores supra filij sui mœrores eo ex capite augebis (quamuis ex aliis multis capitibus illis facilè cedant) quia nimirum in Christo summæ tristitiæ, quam illi passio afferebat, summum gaudium ex visione beatifica coniunctum fuit; at verò in Virgine mera ac pura erat tristitia, nullis solatiis temperata & diluta. Cæterùm si rem probè teneas, non deerat tunc B. Virgini ingens quoddam solatium ex humani generis salute ac redemptione profectum, quam morte filij & sua oblatione perfici ac consummari videbat. de cuius gaudij magnitudine satis multa diximus *Proverb. 8. vers. 19. sub finem secundæ expositionis de Deipara*. Hoc gaudium (vt alios dimittam) appellauit Ioan. Gerson, *perfectissimum canticordium, & cælestem harmoniam*, quia B. Virgo cantante quodammodo, & præ lætitia gestiente, corde filium suum pro nobis neci dedit. Habes ergo iam modum, quo illa duo, *sicut tabernacula Cedar*, & *sicut pelles Salomonis*, cœlum nimirum & infernus in Mariæ anima conuenire & conspirari potuerunt. Nam ad filij cruciatus & mortem aspiciens, præ doloris & angoris magnitudine inferni mœrores sibi perpeti videbatur, tantus erat erga filium amor. At verus humani generis salutem & redemptionem passione ac morte filij perfici ac compleri considerans, tanta perfunde batur lætitia, vt in cœlo esse, & cœli solatia iam iam carpere apud se æstimaret: tanta erat ipsius erga genus humanum charitas & miseratio.

Alio etiam modo Virgini patienti extrema illa verba: & *sicut pelles Salomonis*, tribuit Hailgrinus, *Sicut pelles* (inquit) *protegebant totum tabernaculum*, verba sunt Mariæ. *Sic sub umbra protectionis meæ. Ego quidem similis pelli rubricatæ, quia per compassionem doloris tincta sum in filij passione, similis etiam pelli hyacinthinæ contemplatione cælestium & amore*. Honorius verò in sigillo hæc immiscet. *Nigra sum*, hoc est, *nata à pauperibus & tabernacula Cedar*; id est, *sicut aliqua expectantibus*. Formosa sicut pelles Salomonis, id est, mater Christi veri ac pacifici Regis. Reliquas Patrum expositiones habes supra.

Vers. 5. Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam custodiui.

E X P O S I T I O P R O P H E T I C A
de Ecclesia.



NOLITE me considerare, &c. Huius loci propheticum sensum germanum aucupari, non est facile. Id certum, sponsam loqui de tempore iam elapso, atque adeò ista verba ad eam Ecclesiam spectare, quæ Christum, eiusque aduentum præcessit. Aliis ergo reiectis, duplicem interpretationem adscribam. Prima est Pselli, & Nysseni, quæ cohæret cum secunda expositione corticis de fratribus litem Sulamiti mouentibus, atque eam hæreditaria forte spoliatibus. Hi ergo per vineam illam, quam Sulamites suam vocat, paradisum intelligunt, in quo homo conditus fuit: per filios matris Dæmones, quorum liuor & inuidia primos homines è paradiso extorres fecit. Sententiam verò sic conformant. *Nolite me considerare quòd fusca sim*, quòd scilicet postea multis peccatis infecta fuerim, quòd idololatriæ & infidelitatis maculas contraxerim, ne exprobrare mihi: quasi isthæc maculæ & labe indelebiles sint, non enim cum his nata sum, sed Sol quem diutiùs adorauit & coluit, eas impressit mihi. Nam *filij matris meæ*, id est, Dæmones, quos ratione creationis fratres, seu conciuos eiusdem mundi compello, *pugnauerunt contra me*, id est, litem mouerunt mihi, quatenus suis me tentamentis ad peccandum impulerunt; & statim peccati ream hæreditaria sorte per Dei sententiam priuadam curarunt. *Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*. Per vineas plures, multas intelligit sectas, & religiones valde dissimiles, in quas genus humanum ex paradiso pulsum, illico distractum fuit. Vel diuersas ac valde disinctas mundi regiones, in quas prædictum genus hac illac oberrans migravit. Hæc enim distractio & diuisio præcipua causa fuit diuersarum religionum atque sectarum in mundo. Itaque sensus est: illi fratres, vel potiùs infensissimi hostes mei (Dæmones dico) me in diuersas mundi regiones, & in plures item sectas, tanquam in plures vineas discedere, & vineam illam meam hæreditariam, scilicet paradisum voluptatis relinquere coegerunt. Vineam, inquam, illam, in qua Deus ab initio hominem posuit, *ut operaretur & custodiret illam*. Ad hunc modum Sulamites, id est, Ecclesia significat prædictas infidelitatis, & aliarum culparum notas nequaquam sibi genuinas esse: vt propterea non sit mirabile, si ipsas per medicamenta gynæcei, hoc est, per auxilia legis, ac demum per Baptismum tandem aliquando deterferit; atque adeò pura, mundaque ad nuptias cum Christo copulandas iam iam veniat.

Præscriptam expositionem tradit expressiùs Psellus, cuius hæc sunt germana verba: *Tota, inquit, lucida sum facta ab opifice Deo, verum tentationem sol aestuans exsiccando vsit me.* (Theodoretus addit,) *Denigrata sum dum creaturas adorauit, & solem hunc ad spectabilem colui pro Sole iustitiæ. Filij matris meæ pugnauerunt contra me: me scilicet oppugnarunt, ac transgredi coegerunt spiritus illi prauaricationis. Hos enim filios quoque matris appellat, quandoquidem & Angeli à Deo conditi sunt. Posuerunt me custodem, &c. id est, ego in paradiso formata & collocata fui à Deo, vt præceptum illius seruarem religiosè, nec prohibitas comedere ex arbore vetita. At, heu, lege non seruata, inde aliò transilire coacta sum?* Cum Psello concinit etiam Nyssenus, qui *homil. 2.* plura quoque de hac re ferit, cui illud proprium est, vt per vineas plures, quibus asseruandis se addictam dolet sponsa, diuersa vitiorum genera in vniuersum intelligat. Sic enim scribit: *Intelligenda autem est vinea idem quòd paradisus. nam illic quoque iussus est homo custodire paradisum: negligentia verò in custodiendo illum exclusit ex paradiso, & effecit vt abductus ab Oriente habitaret ad Occidentem. Propterea occasui apparet Oriens. Cantate enim, inquit, qui ascendit super Occasum, vt cum lux tenebris illuxerit, à radio transmutentur tenebræ, & fiat rursus pulchra, quæ erat nigra.* Iam tenes verba. Homo (ait Gregorius) à paradiso, quæ ad Orientem vergebat, pulsus ad Occidentem translatus fuit: atque adeò tamdiu in tenebris mansit, donec Sol iustitiæ Christus ad Occidentem

tem suæ passionis mortisque deductus, occiduas tenebras dispulit, & eundem hominem nigrum & tenebrosum radiorum suorum collustratione pulchrum reddidit. Subnectit Nyssenius: *Posuerunt me custodem in vineis: quod quidem periude est, ut quod dicitur: Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.* Et rursus: *Posuerunt eam tanquam tabernaculum in vinea, & tanquam fructuum custodiam in cucumerario.* Et post pauca: *Quoniam Deus posuit hominem ad operandum, & custodiendum paradysum, hoc dixit sponsa: Cum Deus animam meam posuisset ad vitam, delicia enim paradysi vita erat, in quo Deus posuit hominem ad operandum, & eum custodiendum. Inimici me traduxerunt à custodia paradysi ad studium ponendum in vineis, quarum botrus generat amorem, & vana bilem. Eiusmodi vinea erat Sodoma, tale sarmentum Gomorrha, per quas ira diaconum effusa est in malis torcularibus Sodomitarum. Licet autem in hodiernum usque diem videre multos homines curatores & custodes eiusmodi vinearum, qui diligenter in se, sua vitia custodiunt, perinde ac si timeant ne malum prodant. Vides improbos custodes idololatriæ, &c.* Hæc Nyssenius: quæ germanum huius loci sensum continent. Qui paucis intercalatis paradysi vitam & innocentiam, à qua excidit homo per culpam, sub nomine ac similitudine vineæ describens, pulchra verba subnectit: *Vineam meam non custodiui. Vineam est immortalitas, vinea impatibilitas, & Deo assimilatio, & ab omni malo alienatio. huius vineæ fructus est puritas. Hic est splendidus, pulcher & maturus ille botrus, qui peculiarem & eximiam formam præ se fert, & castitate dulces reddit animæ sensus. Capreolus vineæ est cum vita aeterna coniunctio & connexio: excrescentes palmites sunt virtutum celsitudines, quæ ascendunt usque ad altitudines Angelorum. Folia autem quæ germinarunt, & quæ quieto spiritu in ramis quatiuntur, sunt multiplices diuinarum virtutum ornatu, quæ simul germinant cum spiritu. Hæc omnia possidens cum eorum fruitione gloriarer, vineam meam non custodiui; ideo facta sum nigra, & formam indui atram, & tenebricosam.* En qualiter primum illum iustitiæ, & innocentiae originalis statum in vinea quadam vberè ac felici contemplatus est Nyssenius, cuius verba, ne longior sim, tibi expendenda trado.

Fatetur etiam sponsa obiter his verbis se ad Christi nuptias non modò incultam, & inornatam, sed etiam indotatam venisse; quia nimirum vineam illam, quæ olim sibi hæreditario iure obtigerat, iam suorum conciuium, vel fratrum iniuriis amiserat. Quod in Ecclesiam ad nuptias Christi venientem aptè quadrat: hæc enim nihil bonæ dotis, aut meriti ad gratiam attulit, per quod ipsius gratiæ compos fieret: nam ex quo Dæmonum sese oppugnantium vi & iniuriis innocentiae originalis iacturam fecit, nihil in ipsa reliquum fuit quod tanquam meritum, aut dispositio ad gratiam, vel coniunctionem cum Deo assequendam facere posset. hanc vim habet illud, *Vineam meam non custodiui*, id est, iustitiam originalem, & omnes illius fructus, videlicet omnia auxilia, & cogitationes congruas, quibus charitas & animæ coniunctio cum Deo, paratur, & reliquas illius vineæ propagines, quas Nyssenius suprâ enumerauit, perditum iui.

Ad hanc expositionem, quæ nomine vineæ paradysum concipit, accedit proximè alia expositio Nysseni, qui per vineam ipsam legem naturæ intelligi posse affirmat. nam inter alia sic ait: *Inimicorum insidia hominem his quæ habebat, nudarunt: ut qui non custodierit naturam, quæ ei data fuerat à Dei benignitate.* Naturam autem appellat legem homini à natura inditam, quæ secundum rectam rationem agere ac viuere suadet. Iuxta quam vineæ acceptionem sensus sic conformatur: *Nolite me considerare quòd fusca sim,* (verba sunt Ecclesiæ illius antiquæ) ne scilicet mihi valde probrosum sit quòd nigredinem infidelitatis, & aliorum grauium criminum ex Solis & aliorum idolorum cultu mihi attraxi: nam *filij matris meæ*, id est, Dæmones, conciuies & conuictores mei, *pugnauerunt contra me*, atque adeò suis tentamentis ac suggestionibus tantum valuerunt, ut me ad mores, leges, & vsus Gentium cum natura & ratione ipsa pugnantibus traduxerint, *Posuerunt me custodem in vineis.* Vnde factum, ut *vineam meam*, id est, legem naturalem minimè custodierim: eius verò transgressio tantam mihi turpitudinem ac deformitatem attulit. Quibus verbis probat id, quod contendit (vide energiam huius expositionis,) scilicet eam deformitatem & nigredinem, qua tunc infecta erat, non tantum non esse naturalem, & genuinam sibi, sed potius contrariam ipsi naturæ, utpote quæ ex transgressione legis naturalis descenderat; atque adeò prædictæ legi, & ipsi quoque naturæ contrariam esse necessum erat. Quapropter naturam sibi restituere, hoc est, homines ad naturalia reducere, & gra-

ria ornamenta tandem aliquando recuperare per ipſam gratiam & auxilium Dei non fuit impoſſibile. Id enim Sulamites, ſeu Eccleſia perſuadere vult in hoc verſu, ſcilicet fieri potuiſſe, vt dictam nigredinem, labes & maculas deterſerit, & antiquam formam ac ſpeciem recuperaret; ac proinde ad nuptias cum Chriſto copulanda idonea, & matura iam eſſet. Id verò nullo argumento efficaciore conficere poterat, quàm oſtendens eam deformitatem eſſe contra naturam.

Denique cum his etiam expoſitionibus cohæret alia interpretatio trium Patrum apud Theodoretum, qui per vineam illam, cuius cuſtodiam & culturam omiſerat ſponſa, ipſummet hominem accipiendum eſſe dicunt; qui quatenus omnes alias in ſe vno compendio quodam colligit, ac complectitur creaturas & naturas, vinea diuerſis vitibus conſita ritè appellatur: vel etiam mundum vniuerſum, qui creaturarum multiplicem diuerſitatem, tanquam vnius ſationis diſſimiles vites coërcet; ſic enim aiunt: *Vinea eſt ad imaginem Dei facta natura humana, quæ omnes quæ in vniuerſo ſunt, rationes obtinuit, quippe quæ mixtis in ſe quodammodo creaturas omnes in ſe continet, ac comprehendit. Veruntamen cum propria natura rationem non ſeruaret, ſed in varias diſtracta opiniones Deos multiplices coleret, propriam vineam non cuſtodit. Neque enim recta per mundum, veluti per eius imaginem ad eius Archetypum reſpexit, hoc eſt, ex rebus procreatis ad earum contendit Authorem.* Hæc illi: quæ à ſupradictis non abludunt. Sensus verò eſt eiufmodi. Homo non eſt vna aliqua ſingularis arbor, ſed vinea potiùs dici debet, multis conſita vitibus & arboribus, quia Deum ipſum per ſimilitudinem ſibi impreſſam, & reliquas creaturas per naturæ gradus, quibus perficitur, in ſe cohibet. Rurſus mundus etiam iſte propter multiplicem creaturarum diuerſitatem quam complexu ſuo ambit, rectè vinea appellatur. Ait ergo Sulamites, vel potiùs Eccleſia: Hæc nigredo ac deformitas, quam mihi ignoratio veri Dei, & infidelitas olim attulit, non erat natia, ſed ex eo mihi adhæſit, quia conciuium meorum, hoc eſt, dæmonum vis & iniuria in valde diuerſas de diuinitate ac religione opiniones & ſectas me abire coëgit: atque adeò *vineam meam non cuſtodit*, id eſt, ipſam naturam humanam, quæ quatenus Dei ſimilitudinem, & omnes alias creaturas ſummatim in ſe colligit, ad vnius Dei cognitionem & cultum, hominem adducit, non colui. Vel cunctam mundi vniuerſitatem, quæ ſimilem ad modum inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intelligenda & conſpicienda offert, non cuſtodit: id eſt, non colui, & exercui contemplatione, cogitatione & animo, vt ex illa fructum iſtum cognitionis veri Dei perciperem, atque in illius cultu, & obſequio permanerem. Quæ ratio eodem modo perſuadet, nigredinem illam infidelitatis, quam hîc excuſare contendit ſponſa, non eſſe natiam, atque adeò deleri & ſuppurari potuiſſe. Quia cum homo per culpam ea, quæ naturæ propria ſunt, nunquam amiſerit, vel abiecerit, & ipſum etiam mundi naturalem ordinem non violauerit, aut perturbauerit, non fuit certè impoſſibile per Dei gratiam has vineas, quarum culturam olim omiſerat, iterum exercere ac recolere, vt ex illis fructum cognitionis & amoris veri Dei denuò percipere ac demerere integrum eſſet. Hæc eſt vis, & poteſtas verborum, quæ præfati Patres uſurpant.

Et fanè tres ſupraſcriptæ expoſitiones inter ſe, & cum ſecundo ſenſu corticis huius allegoriæ apprimè cohærent. Eſt tamen alia interpretatio, quam prior ſenſus eiufdem corticis offert, iuxta quem nigredo in hoc loco pro ignoratione rerum diuinarum ſpecialiter accipi debet, iuxta ea, quæ diximus in expoſitione prophetica ſuperioris verſus, vbi nigredinem naturalem ex opacitate quadam lucis experite euenire diximus; myſticam verò ex obſcuritate mentis ac ſpiritualis ſplendoris, hoc eſt, cognitionis rerum diuinarum quadam incapacitate accidere monſtrauimus. Rurſus per vineam illam, cuius cuſtodiam omiſit ſponſa, legem antiquam, aut etiam vetus Teſtamentum capere oportet, vt Philo & Honorius excogitarunt. Succedat ergo memoriæ id, quod ad ſonum allegoriæ diximus, ſcilicet pugnam & contionem ſponſæ cum filiis matris ſux, id eſt, cum conciuibus fuiſſe de pudicitia & virginitate; quia nimirum multitudo procorum eam petentium, urbem relinquere, & ad ſylvas diuertere ipſam compulſit, vt honori conſuleret ſuo. Iuxta quam expoſitionem ſpiritualis ſenſus ſic confirmari debet: *Nolite me conſiderare quòd nigra ſim* (verba ſunt Eccleſiæ antiquæ) ne ſcilicet mihi per vos illud probro vertatur, quòd olim plurimam rerum diuinarum ignorantiam habui, ac cõſequenter multa ex ignoratione deliqui, multa peccaui; quia, *filij matris meæ*, id eſt, huius mundi conciuēs, aliarum

aliarum videlicet nationum ac religionum homines, quibus nunquam non iniusta fui. (id enim Hebræorum valde proprium, ut ab illis reliquæ nationes sicut religione, ita etiam animis plurimum abhorrent, propter eam, quæ inter ipsos intercedebat, latissimam religionis dissimilitudinem) illi, inquam, fratres mei *pugnauerunt contra me*, id potissimum contendentes, ut puritatem fidei meæ ipsis prosti- tuerem, atque plures Deos tanquam plures procos admittens cum ipsis fornicarer (nam idololatria fornicationis nomine in Scriptura sacra passim censetur.) Hinc factum uti ad dictarum nationum vineas, id est, mores & instituta quasi per vim abducta, *vineam meam*, id est, Scripturas sacras, & Testamentum mihi à Deo traditum minimè vel custodierim, vel coluerim. Quapropter plurimam ignorationis nigredinem, & quæ cum hac ignoracione cohæret, infidelitatis & multorum criminum sceditatem ac turpitudinem ex dictarum nationum consortio mihi attraxi: quatenus *decolorauit me Sol*, id est, Solis profana adoratio, (ut tenent Chaldæus & Theodoretus) vel publica criminum diffamatio; nam hanc Sol notare potest, ut docet Honorius hîc, ita ut sensus sit, *decolorauit me Sol*, id est, fama publica delictorum meorum infecit me: hæc enim Solis radios, & claritatem imitans admissa crimina non detexit solum, sed etiam venustatem meam quasi aspersam maculis denigravit.

Vel, si mauis, per vineam illam, cuius custodiam deserere coacta est sponsa, ipsam Iudæam intellige cum Philone Carpathio, ex qua Hebræi ab exteris nationibus expugnati, sæpe in exilium pulsi, & ipsarum nationum religioni, moribus, institutisque obseruire coacti sunt. Licet etiam prædictæ vineæ aliam significationem accommodare, nempe *legis*, cuius custodiam persæpe omisit Synagoga, ut aliarum nationum instituta sequeretur. Hæc enim omnia germanum prophetiæ sensum vix euariant: cuius scopus est, sponsæ, id est, veteris Synagogæ delicta purgare & excusare. Excusatio verò in eo ponitur, quòd si quid peccauit, non ex prauitate & malitia, sed ex ignoracione peccauit: hanc enim nigredo potissimum adsignificat, ut modò dicebam. Huius verò nigredinis, seu multæ ignoracionis causam non fuisse aliam, nisi odium Gentilium, qui dissimilitudinem morum ægrè ferentes, ipsi bella assiduò mouebant, ut illam ad impias religiones traducerent: atque adeò neque Scripturas euoluere, neque legem purè seruare, neque in terra promissa, hoc est, in Iudæa tutè manere eatenus potuerat.

Ab hac expositione non longè abit Chaldæus Paraphrastes, qui sic locum istum enucleauit: *Nolite me despicere* (verba sunt Synagogæ ad cœtus Gentilium) *quòd nigrior vobis sum, quia feci iuxta opera vestra, & adorauì Solem & Lunam. Quia Prophetæ falsi fuerunt causa, ut deuolueretur ira furoris Domini super me; & docuerunt me, ut seruirem idolis vestris, & ambularem in institutis vestris. Domino autem saculi, qui est Deus meus, non seruiui, neque ambulauì in legibus eius, neque custodiui præcepta eius, & legem eius.* Pro falsis Prophetis subiice ipsos Gentiles Iudæis bellum mouentes, & reliqua cohærebunt.

Concinit etiam Rabbi Salomon, qui inter alia sic ferit: *Filij matris meæ, nempe Ægyptij, inter quos educata sum, quique conscenderunt mecum, turba promiscua exarserunt in me, & sollicitatione & illecebris posuerunt me custodem vinearum, ubi adusit me Sol. Quasi dicat adegerunt me ad cultum Deorum, & vineam meam, quam à maioribus acceperam, scilicet cultum veri Dei non seruaui.* Hæc de sensu prophetico, qui litteræ magis affinis est.

Appendix superioris interpretationis ex Patribus.

Nolite me considerare, &c. Ex dictis in superiori versu constat, qualis sit nigredinis, qua sponsa olim infecta dicitur significatio apud Patres. Liquet etiam quænam sint Solymitanæ fœminæ, apud quas Sulamites suam nigredinem purgatam desiderat. Iam nunc videre oportet quid Sol iste adsignificet, cuius radiis sese adustam, & offuscata dicit: *quoniam decolorauit me Sol.* Ut igitur illos omittam, quos nuper recensui, afferentes Solem hîc sumendum ut sonat, pro solari rota, cui Gentiles passim diuinos honores deferebant, sunt certè plures qui Solem metaphoricè accipientes, alij quidem in bonam, alij verò in malam partem interpretantur.

Chaldæus suprà per Solis æstum irati Dei furorem concipit, sic enim ait: *Prophe-*

*ta falſi cauſa fuerunt, vt deuolueretur ira furoris Domini ſuper me: id eſt, non ſecus incumberet ſuper me, quàm Sol radios ſuos rectà deſuper vibrans. Pende quàm ſit miſerum iram diuinam ſic pati: nam ſicut Sol radios ſuos directè in caput regens non facit locum vmbriſ; ſic ira Dei ad eum modum incumbens non relinquit locum veniæ & protectioni diuini. Apponius per Solem dæmonem intelligit, ſic enim ait: *Oſtendit utique nigredinem, non utique ſecum fuiſſe formatam, ſed nimia vicinitate Diaboli fuiſſe attractam. Nam qui ſe altiſſimo Deo aſſimilare, & in Angelum lucis transfigurare non metuit, quomodo non etiam iuſtitia Solem mentiatur.* Additque huius Solis radiis inurentibus Eccleſiæ faciem olim offuſcatam, per lauacrum regenerationis ad candorem adductam. Accinit Pſellus, qui per Solis æſtum Diaboli tentamenta intelligit, ſic enim ait: *Tota lucida ſum facta ab Opifice Deo: verum tentationum Sol exaſtuans exſiccando uſit me, & aſpectu ſuo me colorauit.* Huc referri poteſt lectio Symmachi, *Quoniam tetigit me Sol.* Et ſanè illæ tentationes grauioreſ ſunt, in quibus Diabolus ſe Solem mentiatur, & per falſam quandam, & commentitiam lucem tenebras ſuas diſſimulat. Hoc autem proprium eius lucis, quam Diabolus, Solem mentitus, aſſendit, quod ſcilicet non tam illuminat, quàm vrit, æſtumque animis immittit. Sic enim ferè accidit, vt animi, quos Dæmonis lucidæ impreſſiones, & ludibria fefellerunt, poſtquam ab eo pulſati ſunt, vel ad iram, vel ad libidinem, vel ad aliam quampiam inordinatam affectionem, proni maneant.*

Caſſiodorus, Beda, Bernard. *ſerm. 28.* & Iuſtus Orgelitanus per Solis æſtum tribulationes, labores, & perſecutiones intelligunt à Deo immiſſas. Comprobat hoc Beda ex parabola ſeminis, cuius pars in petram decidens orto Sole, propter humoris defectum ſiccata dicitur: cuius allegoriæ ſenſum tradidit Chriſtus, illis verbis: *Facta autem tribulatione propter verbum continuò ſcandalizati ſunt.* Iuſtus verò ſic ait: *Nolite me deſpicere in perſecutione conſtitutam; æſtus enim tribulationum ſuſtinui, & decorem temporalis iucunditatis amiſi.* Venuſtiùs Beda: *Sicut hi, qui domi in umbra reſident, candidiores ſape habent artus, at qui in vinea, vel alio quolibet ſubduali opere ſe exercent, multo plerunque Sole membra fuſcantur: ita & ſancta Eccleſia, quo inſtantius ſe ad certamen ſpirituale accingit, eo feruentiores contra ſe antiqui hoſtis inſidias ſentit. Sapiùs enim exprobratur iuſto quod rectè agit, & pro bonis operibus maledicitur, iuxta illud, *Maledicimur, & benedicimus, &c. Sed tamen huius blaſphemia & maledictionis fuſcationem parvipendendam, imò propter ipſam gaudendam fidelibus, docet Dominus: Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſum vos.* Hæc Beda, quæ cum his, quæ ad ſonum allegoriæ diximus, apprimè concinunt; ſcilicet ſponſam nigredinem ſuam non tantum excuſare apud alias fœminas, ſed etiam commendabilem reddere, dum aſſerit illam tuendi pudoris gratia à ſe contractam, atque ad eò ſimilem vulnere quod miles ex bello accepit, acceptumque oſtentat. Nam Bedæ mens eò ſpectat, vt probet eos nœuos & notas, quas Eccleſiæ propter fidei & probitatis integritatem, impiorum hominum perſecutio illiſit, vel affixit, non eſſe turpes, ſed elegantes, & venuſtas. Huc ſpectat illud Bernardi: *Nolite me notare quaſi deformem, quia cernitis ingruente perſecutione minus florentem, minus ſecundum gloriam ſeculi coloratam. Quid exprobratis nigredinem, quam feruor perſecutionis, non conuerſationis pudor inuexit.* id eſt, non pudoris iactura, ſed perſecutiones, quas pudicitia ſeruandæ gratia ſuſtinui, mihi attulerunt.*

Reliqui Patres per Solem iuſtitia Deum, aut Chriſtum Dominum concipiunt; ſed diuerſorum diſſimilis valde mens. Ambroſ. *in Pſalm. 118. ſerm. 12.* ſequitur lectionem illam ſuprà datam, *Quia non aſpexit me Sol.* Et ſimilitudinem petitam vult ab hyemali tempore, cum Sol ad Capricornum vergens Septentrionales partes minimè irradiat. Sic enim ait: *Quia velut pruinis, geluque hyemali conſtrictam Gentilis erroris, Eccleſiam Gentilium Sol iuſtitia diu indignam exiſtimauit, quam ſerena vultus ſui luce luſtraret. Nonne tibi videtur hyberni rigor temporis, quando notus erat in Iudæa tantummodo Deus?* Additque hyemi ſucceſſiſſe æſtatem in qua Sol iuſtitia quaſi ad alterum tropicum veniens, Gentilium irradiauit Eccleſiam, & errorum quibus olim conſtringbatur, frigus diſſoluit ac diluit. Qui ſenſus congruit cum altera expoſitione myſtica, quam nonnulli conferunt ad illa verba Eccleſ. 1. *Oritur Sol, & occidit; & gyrans per meridiem reuertitur ad Aquilonem,* per Meridiem Iudæam, per Aquilonem verò Gentium multitudinem interpretantes. Cæterum idem Ambroſius *in ſerm. 2.* Solis à Septentrione ad Meridiem redeuntis motum ad Synagogæ fauorem transfert: nam in-
ter

ter alia sic scribit: *Ecce qui Gentibus non lucebat antè, nunc lucet: nunc illis oritur, qui oriebatur mihi: ergo qui illis nunc remittit, remittet & mihi. Nolite arbitrari quòd penitus reliquerit me Sol, dissimulauit à me, quia non seruaui mandata eius; reconciliabitur cum viderit meorum pœnitentiam delictorum.* Quæ verba de Iudæorum extrema conuersione sub finem mundi, facit Ambrosius, qui sic demum absoluit: *Ergo fuscatur quando non videmur à sole, sed quando videmur, albescimus.* quæ verba à naturali rerum ordine abhorreere videntur: nam contrà potiùs accidere consuevit; Solis enim vicinitas nigredinem, absentia verò candorem afferre solet. Huic autem difficultati occurrere licet ex Gregorio Nysseno ad superiorem versum, vbi planè affirmat hîc non agi de colore nigro formæ impresso, sed de nigredine quam tenebræ afferunt vultibus. Vnde eos, qui in tenebris sunt, de eodem colore tinctos, & imbutos dicimus. *Quomodo enim nocte (verba sunt Nysseni) cum tenebris, quæ dominantur nigrantur omnia, etiamsi natura sua sint splendida; adueniente autem luce in his, quæ tenebris & caligine erant obscurata, non manet similitudo illa tenebrarum, ita etiam traducta anima ab errore ad veritatem, tenebrosa quoque vitæ forma simul mutatur ad lucidam gratiam.* Origenis interpretatio ad mentem Ambrosij magis esse videtur: nam *homil. 2. ex quatuor*, vbi inter Solem istum visibilem, & Solem iustitiæ Deum hoc interesse affirmat, quòd ille Sol, cum propiùs quempiam aspicit, nigredinem inspergit: cum verò è longinquo intuetur, candorem inspirat. Hic verò Sol, nempe Deus, absens vtique nigredinem, præsens verò candorem adducit.

Cum Ambrosio sentiunt Theodoretus hîc, & Chrysostomus *homil. 37. in Matth.* Sed audi Origenem, translationem illam LXX. *Quia despexit me Sol*, sic versantem: *Sol iste visibilis ea corpora, quibus à summo libramine insederit, infuscat & vrit; ea verò quæ procul sunt, & ab ista collibratione longiùs posita, in suo candore conseruat. Sol verò spiritualis Christus, in cuius pennis sanitas esse dicitur, è contrario eos, qui ad libram sui splendoris consistunt, illuminat, & omni fulgore circumdat: eos verò qui obliquè incedunt, necessariò etiam ipse obliquè non tam aspicit, quàm despicit, atque adèò nigri efficiuntur. In quantum enim incapaces fuerimus lucis, in tantum tenebris & nigredini dabimus locum.* Et infra: *Ab hoc lumine si nos peruersè incessemus, despici dicemur; & ipsum nobis peruersè incedentibus, peruersum quoque incedet, iuxta illud Leuitici 26. Si non fueritis emendati, & incesseritis mecum peruersi, incedam ego etiam vobiscum peruersus. Siue, vt in alijs exemplaribus legimus, & si incesseritis mecum obliqui, incedam & ego vobiscum obliquus.* Et post aliquantum iterum dicit ad vltimum: *Et quoniam ambulauerunt in conspectu meo obliqui, & ego ambulabo cum eis in furore obliquus.* Hactenus Origenes, cuius verba de rectitudine intentionis concipi possunt, ita vt propterea Deus Sol iustitiæ homines despiciat, vel obliquè aspiciere dicatur, quia ipsi eum per rectam intentionem nequaquam intuentur, sed (liceat sic dicere,) animi sui consilia obliquant & detorquent, dum non propter Deum, nec propter honestatem, sed propter alios terrenos, profanosque fines operantur; quia eiusmodi intentiones indirectè valdè aptè animum infuscate dicuntur, iuxta illa verba Christi Domini: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosus erit.* scilicet propter obliquum & indirectum Solis non tam respectum, quàm despectum. Et sanè hæc expositio in Synagogam, & antiquam Ecclesiam (de qua hîc sermo est) rectè quadrat: hæc enim ferè in his, quæ agebat, ad humana & terrena spectabat præmia. Quapropter ipsa erga Deum obliqua erat, & Deum quoque erga se obliquum experiebatur.

Rursus idem Origenes infra similitudinem Solis & Dei aliter conformat, quia nimirum hæc est Solis propria natura, vt pro diuersitate materiæ in quam incidit, dissimiliter agat: alia enim candore suo illuminat, alia infuscat, v.g. crystallum, vitrumque splendidum reddit; carni verò fuscum colorem imprimit. Sed quid inde subtextit, *Ita Sol iustitiæ eisdem radijs, quibus illuminabat populum Israël, Pharaonis cor infuscabat, indurabatque.* Et post pauca; *ibi aduri & infuscari aliquem à Sole iustitiæ contingit, vbi peccati, carnisque materia subsistit: vbi verò abest peccatum & caro, atque spiritus adest, Sol neque adurere dicitur, neque infuscate, iuxta illud: Per diem Sol non vret te, neque luna per noctem.* Hæc fermè Origenes; quæ vitæ secundum carnem actæ, & eius quæ secundum spiritum ducitur, dissimilitudinem apprimè declarant. Et rursus discrimen gratiæ & auxiliorum Dei facile demonstrant, quæ splendoribus suis alios quidem collustrat, aliis verò tenebras adauget, alios emollit, alios indurat.

Philo Carpathius locum istum sic extulit : *Nolite considerare me quod fusca sim, quoniam circumspexit me Sol.* De Sole verò iustitiæ sic edisserit : *Nolite antiquam peccatorum meorum nigredinem obseruare, quia iam inde postquam Soli iustitiæ Christus me circumspexit, per misericordiam eius, & regenerationis lauacrum alba ac splendida effecta sum,* (itaque Philo Solis radios non nigredinis, sed candoris, hoc est, multæ cognitionis diuinarum rerum causam sibi extitisse dicit.) quam expositionem sic demum fulcit : *Propterea David ait : Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. & alibi : Et erit splendor Domini Dei nostri super nos. & alibi : Sicut tenebra eius, ita & lumen eius. Facta est igitur Ecclesia candore vitæ lucida, quæ antea tenebris obducta erat.* Et sanè emphasim habet vox illa *circumspexit* ; significat enim Solem radiis suis vndique ambientem, itavt nullum locum umbris relinquat, quia nimirum plurima illa rerum diuinarum cognitio, qua Christus Sol iustitiæ Ecclesiam suam circumfudit, antiquæ legis umbras, & figuras expellens, ipsam copiosissimè irradiavit.

Angelomus per Solem etiam Christum intelligit, sed nouo schemate. *Sol, inquit, decolorauit me, id est, præceptis ac doctrina sua ostendit, quia pulchra non fui in præceptis legis.* Quasi dicat, noua illa pulchritudo, ac nouus candor, quem mihi Euangelij dogmata attulerunt, facile delararunt me olim quando in legalibus eram, deformem valde ac decolorem fuisse ; quatenus prior illa forma longè impar erat huic quam suscepi. Itaque illud *decolorauit*, perinde est ac decolorem ostendit.

Anselmus & Honorius aliter etiam de Christo edisserunt : volunt enim sponsam nigredinem suam addita causa excusare, hoc modo : *Nolite attendere labores & ærumnas, propter quas modò nigra appareo, sed considerate causam, propter quam hæc sustineo, quia non pro crimine, aliquo hæc patior, sed pro Christo, qui est Sol iustitiæ, cuius amoris ardor me sic mundo obscuram, & decolorem reddidit.*

Denique alio sensu Origenes *homil. 1. ex duabus*, hæc Deo tribuit, de obsequio & reuerentia ipsi deferenda exponens. Sic enim habet : *Ne admiremini coloris esse me tetri, quia Sol despexit me, pleno quippe radio in me luminis sui fulgor illuxit, ita ut eius sim calore fuscata.* Neque enim ut decuerat, & ut Solis dignitas expetebat, illius in me lumen excepi. vbi Origenes verbum *despexit* in germana significatione excipit, quasi deorsum aspexit, id est, in illam sibi directè subiectam plenis radiis incubuit. Causam ergo suæ nigredinis, id est, ignorantia rerum diuinarum offert sponsa hisce verbis : quia nimirum sub Sole posita non quidem ab illius radiis declinauit obtutum, sed eos in se directè vibratos oculis apertis haurire ausa est. Quapropter eius acies perstricta fuit, & pro luce & candore intelligentiæ multæ ignorationis nigredinem sibi attraxit. Nam qui *scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Hoc sibi vult illud, *Neque enim ut decuerat, & prout Solis dignitas expetebat, illius lumen excepit.*

Attegit Salomon : *Filij matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, &c.* Hunc versum de translatione Ecclesiæ à Iudæis ad Gentes interpretantur multi ex Patribus. Cassiodorus, Anselmus, Beda, Iustus Orgelitanus, Honorius, & Isidorus ; quibus adstipulatur etiam Bernardus *serm. 29.* hæc verba Ecclesiæ primitiua tradunt, quæ in Iudæa primùm nata fuit : sed ipsismet Iudæis contra illam insurgentibus, patrium solum relinquere, & ad Gentes transire coacta est. *Filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Anselmus, *Matris* (inquit) *id est, Synagogæ, quæ me generavit in carne, & debuisset esse mater spiritualis, sed non fuit.* Bernardus rationem offert, propter quam filios matris, non autem filios patris nominat. Rursus illud inquit, quid causæ sit quòd cum Ecclesia tot persecutiones à Gentibus sustinuerit, eas tantum commemorat, quas à Iudæis eadem matre satis perpeffa fuit. Eam verò rationem affert, quia bellum intestinum, quod fraternam charitatem violat, longè molestius, & immanius est. Ita ut reliqua ab externis, & alienis illata bella cum eo collata quasi nulla sint. vbi plura miscet de charitate fraterna. *Pugnaverunt contra me.* Pugnas quas Iudæi Synagogæ filij contra recentem Ecclesiam susceperunt, enumerat Iustus Orgelitanus hîc. *Posuerunt me custodem in vineis.* Anselmus, Honorius, Isidorus & Cassiodorus, *Ecclesiis* (inquit) *Gentium me præfecerunt*, id est, odiis suis causam dederunt, ut dictis Ecclesiis præficerer, quia *vineam meam non custodiui*, id est, Iudæa excedere coacta sum. Sic Anselmus & Beda. At verò Iustus Orgelitanus de Paulo exponit, qui ad gentes traductus Iudæorum curam deseruit. Beda etiam aliquos producit, qui nomine vnus vineæ Euangelicam doctrinam, & per plures vineas multiplicia legis præcepta, Hebræorumque traditiones intelligunt. Iudæorum autem

tem vim, & iniurias eò spectasse dicunt, vt Ecclesiam primitiuam Euangelium Christi deferere, & iudaizare, leges, traditionesque suas seruare & tenere compellerent, scilicet circumcisionem, immundarum carnum abstinenciam, & alia eiusmodi. Eandem expositionem refert, & aliis tribuit Ambrosius *serm. 2. in Psalm. 118.*

Secunda expositio est Origenis *homil. 2. ex quatuor*, Theodoretus, & Angelomi. Ambrosius *serm. 2. in Psalm. 118.* Philonis, & Gregorij, qui per filios matris sanctos Apostolos intelligendos esse autumant. Sensus verò sic conformant. *Filij matris meae.* Origenes Apostolos filios esse dicit illius cœlestis Hierusalem liberæ, de qua Paulus *ad Galat. 4.* quæ cunctos fideles in prolem suam censet. Consonat Angelomus, & Theodoretus, qui de Apostolis intelligit illa verba *Psalm. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Alij verò Apostolos ipsius Synagogæ filios secundum carnem hîc appellatos volunt, atque adeò Ecclesiæ germanos fratres. *Pugnauerunt contra me.* Gregor. Magn. *Apostolorum* (inquit) *prædicatio superueniens contra omnes verbo pugnavit, regnumque Dæmonum expugnauit.* Angelomus, *Ipsi, ait, pugnaverunt contra Ecclesiam dum in fide prædicationis suæ infidelitatem eius quasi quibusdam lanceis confoderunt, qui destruxerunt omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & debellantes Ecclesiam ab errore suo illam fundauerunt ad iustitiam.* Ambrosius per sponsam Synagogam intelligit, & tunc Apostolos aduersus illam depugnasse dicit, cum eam deferentes dixerunt: *Ecce conuertimus ad Gentes, &c.* Reliqui Patres Græci non legunt *contra me*, sed *in me*, in auferendi casu. In his verò Origenes præfata verba sic recenset: *Pugnauerunt ergo Apostoli non aduersus eam, sed in ea, hoc est, in sensibus & corde eius, vt destruerent, ac depellerent omnem infidelitatem, omne vitium, omnesque doctrinas falsas. Fuit ergo Apostolis commune grande bellum donec ex Ecclesia mendacij turres, & muros peruersæ doctrinæ subruerent, donec iniquitatis argumenta prosternerent, atque operantes hæc in corde eius demones debellarent.* Eadem ferme scribit Theodoretus. Philo hanc pugnam Apostolorum pacificam ac sanctam appellat, quæ scilicet non contra Ecclesiam, sed pro Ecclesia fuit.

Posuerunt me custodem in vineis. Gregor. Magn. *Apostoli Ecclesiam custodem in vineis posuerunt, quia primos credentes Ecclesiis per totum latè mundum, vt eas congregarent & custodirent, præfecerunt.* Sic etiam Angelomus. Philo Carpathius legit in singulari, *Posuerunt me custodem in vinea.* Et interpretationem petit ex *cap. 21. Matth.* vbi Iudæi primum appellantur custodes vineæ; sic enim habet: *Tradidit eam custodibus, vt fructum afferrent temporibus suis.* Sed tamen hæc vinea ipsis demum ablata, & aliis commissa dicitur: *Auferetur ab eis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus.* Sed quid inde? Sensus sic instituit Carpath. *Apostoli me posuerunt custodem in vinea,* (verba sunt Ecclesiæ ex Gentibus collectæ,) *illi scilicet vinea me præfecerunt, quæ ideo Iudæis ablata fuit, vt mihi traderetur.* Et consecrariè ad hæc subnectit, *vineam meam non custodiui.* id est, ea mihi vinea donata fuit, quæ non mea, sed aliena erat, atque adeò vt mihi traderetur ab his, qui ipsam diutiùs obtinuerant, auferri oportuit. Theodoretus. *Tradiderunt, inquit, mihi Apostoli veluti vineas quasdam, diuina mandata non solum vt colerem & exercerem, sed etiam vt custodirem, ne qua improba bestia fructum perderet, &c.* Origenes, *Vineas, inquit, accipiamus singula quæque legis volumina, ac Prophetarum.* Et infra: *Sed & Euangelistarum scripta, & Apostolorum litteras possumus similiter vineas accipere, quas huic quæ ex Gentibus congregatur, pro qua etiam dimicauerunt, custodiendas, colendasque tradiderunt.*

Denique addit: *Vineam meam non custodiui,* Origenes consecrariè ad dicta, *Per vineam,* inquit, *illam possumus conditionem intelligere, quæ vnusquisque exercebatur ante fidem, & quam credens Christo, reliquit ac deseruit.* Et post pauca: *erant enim apud Gentes plurimæ doctrinæ tum falsæ, tum etiam noxiæ, quæ per doctrinam Apostolorum superatæ sunt.* Quapropter puto quod omnino criminis loco ducatur si custodierit aliquis huiusmodi vineas, & agrum colat ultra venenatis & noxijs consitum disciplinis. Theodoretus per hanc vineam, cuius custodiam omisit Ecclesia, antiquam religionem, & pristina vitæ suæ instituta, & mores corruptos concipit. Consonat Angelomus, qui sic ait: *Vinea Ecclesiæ antiqua consuetudo erroris est.* Gregor. Magn. in hac vinea Iudæam contemplatur, quam primitiuum fideles relinquere coacti sunt, quia custodiri aspernabatur. Ambrosius legem intelligit, quam propter summam eius grauitatem nec custodierunt, nec custodire potuerunt.

Tertia interpretatio est etiam Ambrosij, qui ad illa verba, *Filij matris meæ, &c.*

Possunt

Possunt, inquit, & Propheta intelligi, qui monendo & denuntiando, ut vineam suam custodiret Synagoga, nihil utique profecerunt, & ideo ipsa confitetur, quia populum suum custodire non potuit. Hæc ille.

Quartam expositionem offert Imperfectus, apud Chrysostomum, qui cum sic locum istum extulisset, *Filij mei dimicauerunt in me*, sic illum expendit: *Viperarum natura est rumpere viscera matrum suarum, & sic nasci: quoniam ergo Iudei assidue persequentes Prophetas corruerunt matrem suam Synagogam, sicut ipsa lugens dicit in Canticis, Filij mei dimicauerunt in me. Ideo Ioannes vocauit illos, Genimina viperarum.*

E X P O S I T I O M Y S T I C A de Anima.



NOLITE me considerare quòd fusca sim, &c. Ex his, quæ de Ecclesia hætenus seruimus, multa ad animam conuertere integrum est: sed vltèrius sic commentari licet. Anima quæ olim peccatis infecta fuerat, id persuadere vult. Primò, non esse impossibile peccatorum nigredinem eluere, quia hæc ipsi non naturalis & genuina erat, sed ascititia & aliena. Secundò eam formam, & venustatem, quam deterfa peccatorum nigredine comparat anima, non esse fucatum, & alienam, sed insitam, & inhærentem. Itaque sic ait: *Nolite me considerare quòd fusca sim.* ne scilicet antiquam peccatorum deformitatem obseruare velitis; quasi ipsam depone-re non potuerim, quia ad imaginem Dei primum condita fui, atque adeò nihil pulchritudinis & venustatis mihi tunc deerat, sed postea *decolorauit me Sol*, id est, æstus concupiscentiæ, ac libidinis, tentationumque immodicus calor me denigrauit, ac multis peccatorum maculis infecit. Nam *filij matris meæ pugnauerunt contra me*, id est, sensus externi affectusque & appetitus corporei, qui mihi in fratres primum donati sunt, eadem matre, id est, natura sati, vt scilicet nunquam non vnanimis, atque concordis essemus, contra me insurrexerunt, bellumque assiduum mihi mouentes, *posuerunt me custodem in vineis*, id est, adegerunt me, vt eas viuendi rationes colerem, quæ à ratione & honestate erant valde alienæ. *Vineam meam non custodini*, id est, vitam rationi conformem, & consentaneam (hæc enim verè mea erat) nequaquam agerem. Hic sensus germanus & cum allegoriæ sono maximè conformis. Singulas eius partes appendamus.

Scopus huius sententiæ est, ostendere, peccatum & culpam non esse naturæ rationali conformia, sed potiùs ab eadem aliena, & illi aduersantia. Ita enim Augustinus peccatum definit: *Dictum, factum, aut concupitum contra rectam rationem.* quod nimirum exhorret ac repudiat rationalis natura. Contra verò virtutem, & probitatem eidem naturæ maximè congruentia esse; id enim propriè bonum & honestum est, quod rationi consentaneum & conforme existit. Nil certius. Quàm contrarium naturæ & alienum à ratione sit peccatum, facile declarat D. August. *de Ciuitat. lib. 11. cap. 17.* qui ideo vel maximè vitium & peccatum contra Deum esse dicit, quia naturæ contrarium est, non è conuerso. *Vitium* (inquit) *ita contra naturam est, vt non possit nisi nocere naturæ. Non enim esset vitium recedere à Deo, nisi natura, cuius id vitium est, potiùs competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala grande testimonium est naturæ bonæ.* Quia nimirum non esset mala talis voluntas, nisi adesset natura bona cui aduersaretur. Et infra *lib. 12. cap. 1.* *Omne* (inquit) *vitium natura nocet, ac per hoc contra naturam est.* Et vltèra: *Rectè vitij vituperatio est, quòd illo de honestatur natura laudabilis.* & in *lib. 3. de libero arbit.* *Omne* (inquit) *vitium eo quòd vitium est, contra naturam est: vt enim virtus est homini naturalis, ita & vitium contra naturam censetur.* Quomodo autem virtutem naturalem appellet Augustinus, paulo pòst dicam. Illud certè subtilius quod idem Augustinus in *lib. 14. de Ciuitate cap. 11.* de hac contrarietate vitij ac naturæ serit. Nam cum sibi obiecisset, vitium & peccatum esse naturæ proprios & connaturales effectus, & inde confici non esse contraria naturæ ex qua fluunt; ita respondet: vitium ex natura promanare non quatenus aliquid est productum, quicquid enim eiusmodi est, bonum prorsus & vitio contrarium existit; sed quatenus ex nihilo effecta fuit. Peccatum enim non cum natura, sed cum nihilo, ex quo natura effecta est, affinitatem habet. Sed cur (inquies) peccatum ad illud nihilum spectat, ex quo natura rationalis producta est? Quia ipsum per se nihil est

est : ideo verò nihil est, quia carentia, & priuatio boni existit. Hæc Augustinus. Sed vterius addendum est id, quod est nihili, in quo peccatum consistit, talis esse virtutis ac potestatis, vt naturam ipsam cui adhæsit, quantum in se est, ad nihilum illud ex quo producta est, redigere & reuocare nitatur. Ita enim persuasum est magnis Theologis, hominem per peccatum lethale non solum gratiæ, & aliorum spiritualium bonorum iacturam, sed sui etiam reductionem ad nihilum profus mereri. Quapropter vel ideo cum nihilo, ex quo natura producta est, peccatum congruere dicitur, quia quod ad ipsum spectat, eam ad illud ipsum nihilum reuocare molitur, ex quo fluxit. Hinc autem oppositionem maximam vitij ac peccati cum natura rationali depromere licet. Est enim ei adsimilis, quæ inter naturam, & nihilum, inter esse, & non esse, intercedit : atque adeò non contraria tantum, sed contradictoria vocari debet.

Sed vt huius nihili, in quo peccatum consistit, potestatem, & vim melius intelligas, vterius dico, illud non tantum ipsius naturæ rationalis destructionem moliri, sed etiam omnium aliarum creaturarum; nec creaturarum solum, sed etiam Dei. Vtrumque certum. Nam hoc in doctrina D. Thomæ valde tritum, qui sæpius affirmat, peccatum quantum in ipso est, eò spectare, vt Deo diuinitatem eripiat, atque ipsam de medio tollat. Illud verò facile persuaderi potest; quia cum omnis alia creatura mundialis propter hominem condita sit eo ad nihilum redactò, ipsam etiam continuo ad nihilum recidere necessum est. Rursus omnis creatura Dei figmentum existit: quapropter malum quod ad destructionem Dei conatur, omnium etiam creaturarum annihilationem intendit. Hinc verò lux affertur illis verbis, quibus Chaldæus locum illum Ecclesiastis paraphrasticè exposuit. Sic enim habet cap. 9. vers. 18. *Et peccans vnus perdet bonitatem multam.* Pro quibus sic Thargum, *Et vir peccator vnus, qui est in generatione, occasionem affert vt perdat bonum magnum ex toto mundo.*

Sicut autem vitium & peccatum à natura rationali alienum est; ita virtus etiam à iustitia eidem conformis, & si licet dicere, connaturalis existit. Sic Augustinus, cuius verba nuper adscripsi, *Virtus* (inquit) *homini naturalis est*, id est, naturæ valde consentanea, & amica: quia sicut peccatum ad ipsius destructionem, & corruptelam, ita etiam virtus & iustitia ad eiusdem conseruationem & tutelam in primis tendit. Et sicut malum in dissonantia cum natura humana situm est, ita etiam bonum in consonantia & conformitate cum eadem natura positum est: nec minus hoc amicum naturæ, quàm illud inimicum existit. D. Ambrosius in lib. 1. offic. cap. 46. virtutis excellentiam ex eo deprehendit, quia est cum natura conformis. Nam inter alia sic habet: *Decorum est secundum naturam viuere, secundum naturam degere; & turpe, quod est contra naturam. Ait enim Apostolus, quasi interrogans: Decet ne mulierem non velatam orare? Nec ipsa natura nos decet. Quòd vir quidem si comam habeat, ignominia est illi, quoniam contra naturam est. Et iterum: Mulier quidem si capillos nutriat, gloria est illi, est enim secundum naturam, quia capilli pro velamine dati sunt illi; hoc est autem naturale velamen. Personam igitur nobis & speciem natura ipsa dispensat, quam seruare debemus: vtinamque innocentiam illius seruare possimus.* Hactenus Ambrosius; qui naturæ hoc tribuit, vt non solum substantiam, & existentiam nobis impertiatur, sed etiam boni honestique leges & canones inserat, dicetque, vt secundum illos viuere ac conuersari possimus, ac summam innocentiam esse ducat, nunquam aliquid admittere quod naturæ inimicum sit. Qualiter autem natura magistra sit virtutis, fusiùs explicat idem Ambrosius cap. 18. eiusdem lib. Chrysostomus etiam homil. 26. in epist. ad Corinth. virtutis & iustitiæ conformitatem cum natura copiosè declarat. Vbi naturæ quidditatem vestigans, ita demum concludit: *Quando autem dico naturam, ipsum Deum dico; is enim est, qui naturam est architectatus ad imaginem suam.* Quasi dicat, nihil est consonum, aut dissonum naturæ, quod non sit etiam amicum, aut inimicum Deo; quia Deus naturam ita sibi conformem, & consonam architectatus est, vt quicquid naturæ concors, aut discors sit, id etiam sibi conforme, aut difforme non possit non esse.

Iam igitur ex dictis planum sit, qualis sit sponsæ, id est, animæ scopus: quæ illis verbis, *Nolite considerare quòd fusca sim*, &c. hoc seriò persuadere contendit, eam scilicet nigredinem peccatorum, quam olim contraxerat, non esse natiuam, vt proinde deleri non queat, sed potius contrariam naturæ, quæ nimirum ab extrinse-

co impressa sit contra ipsius naturæ ingenitos impetus. Ex aduerso autem iustitiæ, ac virtutis pulchritudinem naturæ suæ valde conformem existere, atque adeò illam in gynæceo pœnititudinis ac timoris Dei, per auxilia gratiæ diuinæ recuperasse potuisse. Illud etiam ex eodem principio probare ibidem contendit, formam & venustatem, quam deletis peccatorum maculis sibi comparauit, non esse fictam, neque fucis ac pigmentis ascitam, sed veram atque germanam: non vtique naturalem (gratia enim supra naturam est;) bene tamen natiuam, hoc est, naturæ ipsi conformem, & consentaneam: id nimirum seriò denuntians, peccata per dictam pœnitentiam & infusionem gratiæ non quidem regi, & quasi additis pigmentis operiri, ac dissimulari, sed elui & ad purum detergi. Quomodo autem id probat? subiectis verbis:

Nolite me considerare quòd fusca sim, id est, quòd fusca fuerim (hæc enim verba ad tempus præteritum referri debent, vt sæpe animaduerti) *quia decolorauit me Sol*. Per Solem hîc æstum concupiscentiæ, aut tentationum intelligit, vt statim dicam. Sed compara hæc verba cum superioribus, *Nigra sum, sed formosa*, olim scilicet nigra, & deformis; iam nunc recepta pulchritudine formosa. Olim, inquam, deformis & nigra, propter Solis ardores, quos sustinebam in syluis: iam nunc decora, postquam eos vitauit in vmbra sedens. Adscribenda sunt hîc verba R. Salomonis apud Genebrardum: *Non enim* (inquit) *hunc nigrorem traxi ex matris meæ visceribus, sed Solis adustione: qui vmbra nactus remittitur, & in albedinem transit*. Illa verò lectio D. Ambrosij, *Ne consideretis quòd fusca sim, quia non est intuitus me Sol*, ne sit contraria textui, sic edisserenda est: Nolite rationem aliquam habere præteritæ nigredinis, quia postquam in gynæceo ad vmbra confedi, non est intuitus me Sol. Id autem satis fuit vt candor rediret, & nigredo illa discederet, quam mihi olim in syluis sub dio agentis Solis æstus impresserat. quod formæ recuperandæ non solum rationem, sed etiam facilitatem demonstrat; quia nimirum talis erat contracta nigredo, vt solius vmbra beneficio emendari, & in albedinem migrare posset. Hoc autem non obscure declarat illis animabus, quibus æstus Solis, id est, concupiscentiæ ardor aliquas peccatorum maculas affixit, opportunum valde remedium ad eas purgandas esse, à Sole ad vmbra venire, id est, à publica conuersatione in priuatam & secretam recedere, ac secum morari. Huc spectauit sanctissimus P. N. Ignatius, qui in libello spiritualium exercitiorum, eos, qui vitæ antea delicta diluere, & ad puriorem ac perfectiorem viuendi rationem transire cupiunt, per vnâ, aut plures hebdomadas in secessu quasi ad vmbra sedere voluit, vt nimirum candorem illum innocentæ, & iustitiæ, quem Solis ardor, id est, conuersatio publica & profana detraxerat, vmbra restituat. Quia verò fieri non potest, vt homo semper in vmbra maneat, sed ex illa ad Solem redire necessum est, opportunè adest nobis Gregor. Nyssenus, qui his, qui ad Solem progrediuntur, optimum contra illius ardores, & radios exhibet remedium. Nam postquam per Solem tentationes accipiendas esse statuit, sic demum infit: *Si autem Sol nominatur aduersa tentationum irruptio, nulli auditorum hoc videatur nouum, cum in multis tale quidpiam doceat nobis inspirata Scriptura. Etenim in secundo Cantico Graduum hanc facit benedictionem ei, qui auxilium à Domino habet: Per diem Sol non vret te.* quod perinde est ac si dicat: Tunc cum ad Solem progressus fueris, ab eius æstu nequaquam læderis. Sed qua demum ratione id fiet? Subnectit Gregorius: *Propheta Isaias describit veluti quandam pompam verbi narratione; dicit enim: Filias gestatas humeris, & filios vectos lecticis, & arcentes æstum umbellis* (id est, conquitæ soles.) *Per quam pompam describitur vita, qua degitur in virtute per puerilem aetatem; ostendens id, quod est nuper natum ex gratia, simplexque & carens malitia: per umbellas autem solatium æstus quod accedit animis ex continentia & puritate.* Et infra: *Vmbrosa autem fit nobis vita & roscida, extincto æstu per umbellas temperantiæ.* hæc enim est quæ concupiscentiæ ardores restinguit, & candorem animæ illæsum seruat. Hanc adhibere oportet omnibus illis, qui honestatis, & virtutis viam capeunt. Per continentiam verò & temperantiam mortificationem, castigationem carnis, & quidquid ardentis libidinis æstus refrigerare potest, intelligo.

Quia decolorauit me Sol. Ad Nyssenum, qui in Sole tentationum incurfus contemplatus est, accedit Diuus Hieronymus in cap. 9. Amos Propheta: qui ideo decoloratum & combustum ab æstu tentationum sponsæ vultum fuisse affirmat, quia Soli non fuerat assuefacta. Sic enim ait: *Nigra sum, & speciosa, quia decolorauit me Sol: corpora vmbra, ocioque marcentia tentationes & æstus sæculi perferre non possunt: quæ autem ad*
luctam

luctam, & ad certamina preparantur Sole siccata superant mundi iniurias, &c. Nota emphasim verborum: nam Hieronymus illa duo, *Nigra & formosa sum*, ita copulat, ut id quod illam nigram reddidit, decorem & formam nequaquam imminuat. Nam licet tentationes, & æstus sæculi animam ardore suo denigrent, & leuiore aliquas maculas illi inurant, tamen ipsam exercitatione sua robustiorem ac fortiorem ad easdem tentationes sustinendas præstant. Sicut corpora illa, quæ Soli iam assuefacta sunt, ad eiusdem Solis æstus perferendos robustiora fiunt illis, quæ in umbra semper manserunt. Iuxta quam expositionem alia est facies huius sententiæ. Ait enim anima iusta. Ne id mihi probrosus valde sit quod tentationum æstus sustinui, & ab his tantisper infecta & denigrata sum, (id enim sibi vult illud *quod fusca sim*, nam color fuscus remissiorem albedinem sonat,) quia æstus ipse tentationum, qui me ad eum modum modicè decolorauit, idem me fortiorem, ac robustiorem ad maiores tentationes vincendas præstitit. Hæc Hieronymus: quæ licet huic allegoriæ accommodari queant, non tamen sunt ad rem nostram. Si tamen ab his Patribus accipiamus per Solis æstum tentationes notari, certè pensari debet potestas vocis originalis, & translationis Septuag. quæ sic restitui debet: *Sol rectis radijs asperxit me.* Hinc autem manauit Symmachi lectio, *torrefecit me*, quia nimirum Sol in ea tantum, quam vocant zonam Torridam, rectos in terram vibrat radios suos. Antiquis certè Philosophis persuasum fuit, zonam Torridam prorsus inhabitabilem esse, quia Solis ardores, quos in illa vehementissimè vigere putabant, incolis suis importabiles fore ducebant. Sed tamen nostrorum Hispanorum ad Indos enauigatio Antiquorum errorem detexit, ac planè ostendit sub zona Torrida temperatissimas quasdam Regiones iacere, in quibus incolæ degunt, album colorem illæsum seruantes. Huius autem temperie rationem nouiores Philosophi ex eo petunt, vel quia venti, auræque assiduo in illis regionibus perflantes Solis ardores refrigerant; vel quia alia, quæ in eisdem imperant cœli astra frigiditatem influunt: atque adeò quod Sol accendit, & calefacit, ipsa temperant, & remittunt. Quorsum hæc? Certè Sol ad eum modum irradians, æstumque suum in tellurem rectà deriuans, grauissimas ac vehementissimas tentationes significat. His verò tentationibus se prius denigratam ac decoloratam affirmat anima, his se torrefactam & combustam dicit, sed non ideo suam omnino culpam excusat, quasi fieri non posset, ut sub Torrida tentionum zona degens non combureretur, ac torreficeret, ut falsò quidam sibi persuadent, affirmantes se vehementioribus tentionibus ideo cedere, quia illis obistere, earumque vim declinare non possunt. Hos enim facile erroris & falsitatis insimulant plures alij, qui inter vehementissimos tentationum æstus quasi in Torrida zona versantes refrigerium ac temperiem inuenerunt; quia scilicet tunc sancti Spiritus iucundissimos flatus, aurasque gratissimas, atque totius cœli benignissimos influxus sentire atque experiri licebat. Itaque id volo ac contendo hisce verbis non obscure significari, nullam esse tentationum tantam vim, tantumque pondus, quod anima cœlestibus auxiliis suffulta peruincere non queat, iuxta illud: *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c. sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.*

D. Bernardus per Solem hinc concupiscentiam omnem notari voluit, quæ similiter æstu & ardore suo animas denigrat, & pluribus peccatorum maculis inficit. Cui ea, quæ hæcenus de tentationibus diximus, aptari sponte queunt. *Quia decolorauit me Sol.* Et sanè de hoc inordinati appetitus & concupiscentiæ calore concipi possunt illa verba Iudith 8. *Venit æstus super caput eius, & mortuus est;* quia concupiscentia, tanquam Solis æstus in rationem incidens suo calore ipsum opprimit. Huic etiam non infusè aptare licet illa verba Ecclesiast. *Tripliciter Sol exurens montes, & radios igneos exsufflans, & resurgens radijs suis obacat oculos.* quæ verba, nisi fallor, accipienda sunt de Æthna, Vesuuio, & aliis eiusmodi montibus, qui sulphureas glebas intra viscera continentes Solis ardore aliquando incensi, ignis fluuios, ac cineris vim maximam eructant, vulgo *volcanes*. Id sibi vult vox *tripliciter*, quæ accipitur promultipliciter, id est, valde plurimum dictos montes incendens, & inflammans. Non aliter concupiscentiæ ignea vis hominis internas passiones tanquam sulphureas quasdam glebas incendens, nunc ad iram, nunc ad luxuriam, nunc ad superbiam incitat, ita ut harum inordinatissimarum affectionum veluti fluuios quosdam igneos passim eructet, ac profundat. Audiendus hinc Gregorius Nazianzenus *orat. 3. Apolog. de Iuliano* differens hisce verbis; *Verum quemadmodum Æthneum ignem narrant*
Salaazar in Cantica. Tom. II. S 2 Æthna

Æthna radicibus abscondi, ab una parte exundantem, ac vi retentum, atque compressum, prius quidem horrendum quendam sonum edere, fumumque propinqui mali iudicem vertice suo euomere: quòd si fortè amplior, exuberantiorque fuerit, rapidiorque quàm coerceri queat, tunc finibus suis extrusum, sursumque tendentem, ac supra foramina sua sese effundentem finitimas terras incredibili illo incendio peruastare. Eodem quoque modo illum reperire licet aliquantisper quidem se ipsum, & sophisticum suum decretum in potestate tenentem. Caterùm si quando ira impotentia redundantior esset, aduersus pium, diuinumque nostrum agmen nuda & aperta persecutione grassari, &c. Quod autem hîc Nazianzenus de ira, id ipsum de superbia, de luxuria, auaritia, & aliis prauis affectionibus concipere fas est, quas appetitus & concupiscentiæ ardor veluti solaris æstus inflamat. Qui vel ideo tripliciter exurere dici potest, quia tres illos ardores assiduò iacit, quibus Ioannes totam mundanæ prauitatis summam complexus est: hi sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Vtteriùs,

Filij matris meæ pugnaverunt contra me. Vt hunc sensum teneamus, qui cum allegoriæ sono magis cohæret, triplex expositio formari potest. Alteram nobis offert D. Ambrosius in lib. de Isaac & anima cap. 4. vbi sic ait: *Filij matris meæ pugnaverunt aduersum me; hoc est, impugnaverunt me corporis passiones, carnis illecebræ, &c.* Passiones autem corporis vocat quinque sensus externos, & appetitus inordinati affectus qui contra animam conspirare solent. Hos ergo si prædicta verba rationi demus suæ matris filios, id est, animæ, cuius ipsa proles existit, sobolem genuinam meritò appellat. Anima enim tam internos, quàm externos corporis sensus procreat ac nutrit. Si verò ab anima dicta sentiamus, mater vtique erit naturâ, à qua tam anima, quàm corpus, & vtriusque vires, seu potentiæ tanquam à parente communi editæ sunt. Hæc igitur anima sic ait: Appetitus, & sensus, quos natura communis omnium parens mihi fratres procreauit, vt vnanimis semper ac concordis essemus, fraterni amoris iura violantes, contra me incitati sunt. *Pugnaverunt contra me.* Hoc bellum appetitus cum anima non obscurè descripsit Apostolus ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ex quibus verbis constat, non solum bellum, sed etiam quæ ex bellis eueniunt captiuitates & seruitutes reperiri inter animam, corporisque passiones. Hierem. *Thren.* 3. addit prædas, & spolia. *Oculus* (inquit) *meus deprædatus est animam meam.* Salomon commemorat vulnera & ictus. Prouerb. 10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem.* In primitiuis est, *Qui secat, vel scindit oculos, &c.* Iob etiam cap. 31. eas quæ in bellis contingere solent, inducias & fœdera comminiscitur, *Pepigi* (inquit) *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* & plures aliæ eiusdem rationis similitudines ad significandam pugnam animæ cum sensibus & appetitionibus ex militari deductæ occurrunt in Scriptura. Cui expositioni adstipulatur translatio Septuag. quæ sic habet: *Filij matris meæ pugnaverunt in me,* in auferendi casu. quæ verba significant bellum internum & ciuile intra ipsum hominem commissum, animæ scilicet, ac corporis viribus inter se mutuo confligentibus: quod bellum longè grauissimum, ac sæuissimum, quia intestinum, & ciuile. Bellorum autem ciuiliū ærumnas, calamitates, & miserrimam conditionem, lege apud Augustin. de Ciuit. lib. 3. cap. 23. & seq. Inde enim non pauca ad hanc animæ, & carnis intestinam pugnam traducere integrum erit.

Vtteriùs etiam illud notandum, quòd quasi de industria dicit sponsa, *Filij matris meæ,* quasi dicat, fratres mei ex matre, non autem ex patre. Nam ferè qui eiusmodi sunt, eadem matre, non verò eodem patre sati filij, non paruis dissidiis inter se confligunt. Ita igitur apud te statue, appetitum, & sensus corporeos fratres esse, eandem cum anima matrem, scilicet naturam ex generatione & procreatione sua sortiiri, non verò eundem ex regeneratione patrem habentes. Nam cum animæ à Deo Patre omnium regenerentur per gratiam, illæ certè non fiunt huius regenerationis participes, sed inordinatas illas propensiones, quas ex prima origine hauserunt, omnino seruant, donec ab eadem anima quasi in prælio victi & mortificati cedunt, atque rationi sese dedunt. Quamobrem dictos appetitum & sensus corporeos his fratribus, qui eandem matrem habentes eundem patrem ignorant, meritò adsimiles esse dicimus, atque adeò domesticis, intestinisque discordiis nunquam non conflagrantes.

Secundam expositionem donat nobis Nyssenens, qui per istos eiusdem matris filios

lios omnia in vniuersum vitia, & rationi opposita concipi posse affirmat. nam inter alia sic ait: *Ideo dicit, filij matris mea: (per pluralem enim significationem ostendit multiplex vitium,) in me bellum conflagrant, non externis incursionibus belligerantes, sed in ipsa anima belli sedem figentes. Est enim in vnoquoque hoc bellum, &c.* Iuxta quam expositionem hæc verba rationi, aut virtuti debent attribui, quæ non ineptè vitiis filiorum matris suæ, atque adeò fratrum suorum nomen accommodant, quia nimirum ab eadem anima, & ab eadem libertate gignuntur; sed tamen eundem patrem, scilicet Deum, nequaquam agnoscunt, (Deus enim vitiorum author non est.) ideo intestinis ac ciuilibus bellis semper inter se dimicant. Et sanè fratrum inimicitias interminabiles vocat Aristoteles in Ethicis. & Plurarchus in moralibus, *Fratrum (ait) discordia aut non coit, aut cicatricosa coit.* id ipsum de bellis quæ inter rationem & voluntatem rationalem geruntur, sentire oportet. de quibus optimè D. Augustinus de ciuitate lib. 19. cap. 28. vbi sic serit: *In finibus (inquit) bonorum atque malorum, id est, vitiorum atque virtutum bellum noxium, perniciosumque grassatur. Quod enim bellum grauius, & amarius cogitari potest, quàm vbi voluntas rationalis sic aduersa est passioni, (id est, vitiis,) & passio voluntati, vt nullius earum victoria, tales inimicitia finiantur.* Et iterum lib. 15. cap. 4. *Absit (inquit) vt quandiu in hoc bello intestino sumus, beatitudinem & pacem, ad quam vincendo volumus peruenire, nos adeptos esse credamus. Quis enim est ita per omnia sapiens ac beatus, vt contra libidines & vitia nullum habeat omnino conflictum.* Conflictus iste fraternus interminabilis est: pax inter rationem & vitia aut nunquam coalescit, aut si quando coit, semper cicatricem post se relinquit. Inde ergo antiquæ nigredinis, id est, anteaactorum criminum excusationem petit sponsa, id est, anima iusta.

Quid plura? Tertiam interpretationem nobis accommodant Pfellus apud Theodoretum, & Origenes *homil. 2. ex quatuor*, qui per filios matris rationes & cogitationes humanas ac profanas intelligit, quæ mentem assiduò oppugnant, vt à virtute ad vitium, à veritate ad errorem pertrahant. Audi Origenem: *Referamus (inquit) hæc ad vnamquamque animam, quæ conuersa ad Deum patitur cogitationum pugnas malarum.* Hos verò cogitatus malos eatenus filios eiusdem matris dictos vult Pfellus, quatenus actus sunt rationis, à libera voluntate imperati, ab eadem tamen ratione tanquam filij degeneres plurimum deficientes. Cogita ergo animam & mentem tanquam sponsam his, quæ ad probitatem & honestatem permouent, bonis cogitationibus, & rationibus instructam, & stipatam. Et rursus his, quæ turpitudinem, & nequitiam suadent, malis identidem cogitationibus, & consiliis oppugnatam. Hæc igitur ait: *Filij matris mea pugnaverunt contra me, id est, mali cogitatus, & consilia improbitatem suadentia bellum mihi intulerunt.* Hi enim sunt hostes infensissimi & validissimi, qui animam, & voluntatem humanam assiduò oppugnant, sæpè etiam expugnant, victamque turpitudini & peccatis mancipant. Pseudo-Augustinus in sermone 76. ad Fratres in Eremito, hanc malarum cogitationum pugnam describit, his verbis: *Primum quidem cogitationibus malis repugnandum est, vt cum aliquid carnale, aut sordidum susurraverint, priusquam sauciet mentem sagitta deleatur, atque excutiat. Et infra: Hæc est prima victoria secreti certaminis nostri quod Dominus expectat & Angelus, cum cogitationibus malignis mens humana fideliter occurrit, & bonis operibus malos superat cogitatus. Et vt vincamus, arma nobis sunt valde necessaria: arma, inquam, militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia à Deo ad destructionem munitio malarum consilia destruentes.* Ab his ergo malis cogitationibus ceu à quibusdam fratribus suis eadem matre satis impugnatam, expugnatamque se dicit pia anima; atque hanc nigredini suæ excusationem præterdit: id est, commissa olim crimina tantisper, ea excusatione eleuans. Subdit statim,

Posuerunt me custodem in vineis. Vt sententia horum verborum cum superioribus cohæreat, sic confirmanda est. Tres Patres per vineas istas, ad quas custodiendas sponsa fratrum suorum iniuriis adacta fuit, omnium vitiorum materiâs accipiunt. D. Gregorius externa omnia & prophana, quibus distracta anima à cura & studio salutis suæ auocatur. Pfellus res intelligit creatas in vniuersum, quarum amor & studio dedita erat anima. Angelomus verò sic ait: *Cogunt eam terrenis rebus incumbere, actionibus sæculi vacare, ac res transitorias querere.* Omnia in idem recidunt, & cum his, quæ hactenus diximus, aptè cohærent.

Vineam meam non custodiui. Nyssenus, Pfellus, & alij per vineam paradysum concipiunt.

piunt, & in paradiso originalem iustitiam contemplantur, vt suprâ in prophetica interpretatione diximus: quorum sententia huic etiam expositioni præclare inseruit. Sic enim institui debet: Appetitus sensusque externi, vitia omnia, & cogitationes malæ, ideo vel maximè semper me impugnant, aliquando etiam expugnant, quia vineam meam, id est, paradisum, seu innocentiam originalem amisi. Huius enim iactura deordinationem appetitus, sensuum peruersionem, pronitates ad vitia, atque malarum cogitationum contra rationem inualescentes impetus mihi asportauit, atque adeò tot, tamque insana prælia sustinere coacta sum. Quapropter hanc propriam, quæ scilicet mihi cum ipso creationis dono tradita est, vineam amittens, alienas valde à me vineas colere cœpi, id est, vitiorum omnium materias & exercitia, qua à natura rationali abhorrent, plurimum amplecti, & in his operas meas ponere cœpi. Hic est contextus allegoriæ.

Nec multum discedit ab hac interpretatione alia eiusdem Nysseni contemplatio, qui per vineam istam, cuius custodiam sibi ereptam dolet Sulamites, libertatem arbitrij prolixè intelligit: quam meritò vineam suam appellat sponsa, quia nulla est tam propriæ animæ possessio, sicut libertas arbitrij, quæ omnium quæ in hominis potestate sunt, tam bonorum, quàm malorum proprietatem illi affert. Ait ergo anima: Omnes illi supradicti fratres mei, scilicet appetitus inordinati, sensus peruersi, vitia praua, & cogitatus mali, mihi bellum mouerunt, qui tantum contra me potuerunt, vti ad prauas, alienasque à mea natura vitiorum actiones quasi ad alienas vineas traducerent, vt non iam bonum quod volebam, sed malum potiùs quod odio habebam, exequi valerem. *Vineam meam non custodiui*, id est, libertatem arbitrij non seruauit, non colui. D. Augustin. *epist. 107. de orando Deo* affirmare audet hominibus per culpam liberum arbitrium aliquomodo perire, sic enim ait: *Diligere Deum opus est gratiæ, quam nobis attulit secundus Adam, non naturæ, quam totam perdidit in semetipso primus Adam.* Et infra: *Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati grauiditate perdidimus.* Idem verò sibi ipsi lucem præstat *de Ciuit. lib. 14. cap. 11.* vbi sic habet: *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit; reddi non potest. Vnde Veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Quibus verbis significat per peccatum non quidem ipsam liberi arbitrij interire naturam, absit; sed vsum illius inhiberi, & interdici ad bona quæque opera perficienda: quatenus per hoc fit, vt anima peccati rea omnem congruam, & efficacem cogitationem ad bona agenda, & mala vitanda prorsus amittat. Quapropter omnis anima dum peccatis obstricta est (liceat sic dicere) libertatem suam velut abalienatam, ne dicam alligatam & captiuam habet. Sic Augustin. loco citato: *Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.* Id igitur ait sponsa: *Vineam meam non custodiui*, id est, fratrum meorum iniurijs ad peccati consensum illecta, iam inde ab eo consensu *vineam meam*, id est, liberi arbitrij exercitium ad bona perficienda, & mala cauenda *non custodiui* (hoc enim verè meum est, quia meæ naturæ rationali maximè conforme,) & ad alienas, dissonasque mihi actiones, & operationes vitiorum omnium, quasi ad alienas vineas translata sum.

Hæc sunt quæ cum sono, & filo allegoriæ maximè concinunt; qualiter verò sponsa, vel anima per ea, quæ hætenus dixit, nigredinem, id est, labe peccatorum quæ olim admiserat, eleuet, atque excuset. Petendum est ex his, quæ suprâ in expositione prophetica de sancta Ecclesia præfati sumus.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

Nolite me considerare, &c. D. Gregor. Papa per *Solem* Christum accipit, & de comparatione ipsius cum anima intelligit ad hunc modum: Postquam iustificata atque adeò decora effecta sum, si quid fortè fuscum, vel subnigrum ex leuioribus culpis adhæret, nolite id obseruare, quia *decolorauit me Sol* iustitiæ Christus. *Nam quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit*, sicut stellæ in conspectu Solis. quæ verba nouam quandam ipsius corticis interpretationem nobis exhibent. Putat enim D. Gregorius sponsam coram sponso suo verba facere, vt ex superioribus constat; & eas quæ tunc aderant, fœminas, illiusque formam cum sponsæ

sponsæ decore & elegantiâ comparabant, alloqui ad hunc modum: Si fortè vobis hodie fusca, atque adeò minus formosa videor, nolite id obseruare, & attendere, quia sponsus meus Solis instar splendescens decolorauit me, id est, immensa illius pulchritudo meam venustatem non aliter offuscavit & obscurauit, quàm Sol reliqua astra. Quæ corticis expositio ideo attentius obseruari debet, quia non solum præscriptum S. Gregorij sensum spiritualem recipit, sed aliis etiam Patribus, qui in hoc loco per Solem Christum interpretati sunt, non parum lucis affert.

Accinit Gregor. Bernardus in sermone 28. qui hæc verba ad humilitatem sponsæ refert. *Decolorauit (inquit) me Sol, sui videlicet comparatione splendoris, dum appropians illi, ex eo me obscuram deprehendo, nigram inuenio, fædam despicio. Verùm aliàs formosus sum. Quid enim fuscam dicitis solius Solis pulchritudini succumbentem?*

Angelomus non de comparatione animæ cum Christo, sed de eodem Christo inspiciente ac districtius iudicante animam, intelligit, hoc modo: *Deus quando districtius iudicium tenet, tunc decolorat animam. Quasi enim radios suos suspendit Sol, quando opera nostra clementer considerat: quando verò districtè iudicat, & pensat opera nostra, tunc omnis anima fusca, & peccatrix apparet in conspectu eius.* Nullus enim in oculis eius mundus, & in Angelis etiam suis reperit prauitatem. *Oculi enim eius multo lucidiores sunt super Solem, intuentes vsque in absconditas partes, &c.* Quis ergo, tantæ luci obiectus non fuscus & ater continuò appareat?

Honorius de conuersione animæ & mutatione habitus sæcularis in religiosum ac vilem, concipit hoc modo: *Nolite considerare quòd fusca sim in vili habitu, sed attendite quòd hoc causa veri Solis Christi accipi, qui tunc me decolorauit, cum me de sæcularis ornatus colore ad hunc habitum perduxit.*

D. Bernardus serm. 28. per Solem etiam Christum intelligit. *Sol (inquit) iustitiæ decolorauit me Christus, cuius amore languero.* Certè languescens, exanimatus, & deliqua patientes color sanguineus candore dilutus fugit, & nunc in pallidum, nunc in plumbeum vertitur. Ideo subdit Bernardus? *Languor iste coloris quadam exterminatio est, & defectus in desiderio animæ. Vnde & dicit, Memor fui Dei mei, & delectatus sum, & exercitatus sum, defecit spiritus meus.* Rursus impatientes & indignabundi colorem mutare solent: tristes quoque ac mæstos color floridus relinquit. Vtrumque tetigit Bernardus. *Ergo instar utentis Solis desiderij ardor peregrinantem in corpore decolorat dum ad vultus gloriæ inhiantem, impatientem facit repulsa, & exercitat amantem dilatio.* Et infra: *renuit consolari anima mea, id est, presentium bonorum inani letitiâ despicit colorari.* Et idem dici potest de aliis affectibus, qui colorem vertunt. Hinc nata alia expositio eiusdem Bernardi, qui per Solis æstum, cuius ardore denigrata fertur sponsa, zelum iustitiæ & pietatis intelligit. Ex hoc enim fit, vt is, qui tali vritur zelo, diuersum erga diuersos vultum præferat, hilarem scilicet erga probos, erga improbos tristem & mæstum. Ait ergo Bernardus: *Vel Solem decolorantem dicit zelum iustitiæ, quo accenditur, & accingitur aduersus malignantes.* Quomodo zelus autem colores euariet, significat sequentibus verbis. *Tabescentem, inquit, me fecit zelus meus, &c. Defectio tenuit pro peccatoribus, &c. & super inimicos tuos tabescebam, &c.* his enim qui tabescunt, & defectiones sustinent, color varius esse solet. Et iterum de hac mutatione coloris etiam illud Sapientis cautè obseruat, *filie tibi sunt, noli ostendere latum vultum ad eas. Id enim est decolorari, scilicet remissis, & mollibus & fugitantibus disciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum serenitatis colorem exhibere.*

Ambrosius legit, *Quia non est intuitus me Sol.* Et in Psalm. 118. serm. 2. fuscum colorem ad obscuritatem refert, quam tenebræ & vmbra vultui conferunt. Et quidem id sibi vult nullam animam ex eo despici, aut contemni debere, quia luce diuina caret, & in tenebris est: quid facile à tenebris ad lucem venitur. Si enim quis in nocte sit profundissima, nocti quamprimum succedit dies Sole ad nos recurrente. Et si quidem Sol eclipsin, ac defectionem passus, aut sub nube conditus, lucem quibusdam eripuit suam, certè eclipsis Sole abeunte non est diuturna, & Sol etiam radiis suis nubes quamprimum extenuare, & consummare solet. Rursus, si quis in obscuro loco iacet, & clausis fenestris lumen prohibet, integrum est illi ocyùs fenestras referare, & obuium lumen excipere. Quid plura? Si Sol (v. c.) hyeme rigente ad Capricornum sese transtulit, & in his, quæ Septentrioni subiectæ sunt, plagis longam noctem, & rigentem glaciem efficit: tandem aliquando ad Cancrum rediens, eo longiorem diem præstat, quo diuturniorem noctem priùs induxerat. Accipe pau-

ta verba ex Ambrosio. *In tenebris ambulo, quia diem Christi nescio: nolite tamen despiciere me, quia qui reliquit, potest rursus aspicere & misereri. Et Gentibus non lucebat antè, nunc lucet, nunc illis oritur, qui orietur mihi; illis remisit, remittet & mihi. Nolite arbitrari, quoniam offuscata sum quòd penitus reliquerit me Sol, & iam non intueatur, dissimulauit à me (Solis dissimulationem eclipsin appellat Homerus τῖτα & εἰσπρόεσις) quia non seruauit mandata eius; reconciliabitur, cum meorum viderit penitentiam delictorum. Non videt me Sol, quia non recepi aduenientem, nec aperui fenestras, ut lumen vitæ intraret: cum aperuero, illuminabit oculos meos. Et in serm. 12. in eundem Psalm. de Ecclesia sermonem faciens, ex Solis accessu & recessu à Tropico in Tropicum, eandem rationem deriuat, ut in superiori Appendice notauimus. Itaque mens Ambrosij hæc est, nullam animam quantumuis Cimmeriis vndique peccatorum tenebris circumfusa sit, despici & pro nihilo haberi debet. Quia sicut in naturali rerum ordine cuilibet obscuritati, etiam teterrimæ, è proximo succedit lux, ita etiam nullæ sunt spirituales tenebræ tam atræ, atque cæcæ, quæ non valeant quamprimum in candidissimam lucem verti.*

Denique Sanctus Bernardus per Solis æstum fraternitatis amorem concipit: quæ expositio cum sequentis clausulæ interpretatione, cohæret, quam iam subiicio.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me; posuerunt me custodem in vineis, &c. Origenes Bernard. & Philo hæc verba de his accipiunt, quibus præfecturæ, & curæ animarum demandantur. Et quidem Bernardus in serm. 3. in Cant. primò de Prælato exponit, qui cum sui ipsius, ac domus suæ curæ gerendæ satis non esset, ad regendam Ecclesiam assumitur; atque de eius nomine sic fatur: *Sic eram (scilicet non satis idoneus ad salutem meam curandam,) & nihilominus fratres mei enixe hoc contendentes, repugnantem me tandem aliquando expugnarunt.* (Vide quantam vim fratrum ipsum cogentium, & adigentium sustinere debet ille, quem populis præfici oportet.) *Ac tandem me custodem posuerunt in vineis, non considerantes quid de mea ego facerem, vel fecissem, nec audientes arguentem magistrum, ac dicentem: Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit. Et infra: Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas & tribulos: vineis autem dominicis se ingerere non vereri.* Sed rursus idem Bernardus præmissa verba ad illos conuertit, qui ad præfecturas gerendas maximè idonei essent: qui nimirum à fratribus per vim & coactionem, quantumlibet repugnantem, ad curam animarum asciti, & assumpti, ita vineis, id est, Ecclesiis regendis diligentiam suam impendunt, ut suæ vineæ, id est, animæ ac vitæ suæ curam negligant. Ait Bernardus: *Vineam meam non custodiui. Idoneus planè ac dignus qui ponatur custos in vineis, quem propriæ cura vineæ à commissarum diligenti sollicitudine non retardat; dum non querit quæ sua sunt, neque quod sibi utile est, sed quod multis. & plura subtextit in hanc sententiam. Cui accinit Origenes homil. 1. ex duabus. & Theodoretus hic, qui sic scribit: Vineam suam, id est, animæ suæ utilitatem neglexisse, & aliorum commoda proprijs prætulisse. Caritas enim non querit quæ sua sunt, &c.* Origenes verò habet: *Dum plures custodio vineas, vineam meam non seruauit. Intelligite hoc de Paulo, & alio quocumque Sanctorum, qui pro omnium sit salute sollicitus, & videbitis, quomodo vineam suam non custodiens aliorum vinea custodiat: quomodo etiam ut alios lucrifaciat, ipse in quibusdam damna sustineat. Etenim cum esset liber, ex omnibus seipsum seruum fecit, ut omnes lucrifaceret.* Quid plura? Apponius qui hæc verba de Doctore ac Prælato accipit, multa suggerit in hanc sententiam: qui per vineam propriam omnem profanam, & humanam doctrinam concipit, quæ natura duce paratur; hanc enim incultam deferere debet is, qui populos de diuinis edocere voluerit, & ad sacratiores dogmata excolenda curam transferre. Vbi valde similes harum, quæ à domino commendantur vinearum recenset vites, cum neglectæ syluescunt, aut cultæ elaboratæ mitescunt. Lege ibi plura.

Ad Prælatos etiam & Doctores pertinet id, quod Author anonymus scribit in hæc verba in tom. 12. nouioris Biblioth. PP. *Filij (inquit) Ecclesiæ, ex quibus ego alter, pugnauerunt contra me, id est, imitantes me contra vitia sua pugnauerunt. contra me dicit, id est, è regione mei, ad similitudinem eorum, qui volentes imitari aliquos, ponunt se in conspectu eorum, ut plenè videant habitum eorum. & posuerunt me custodem in vineis, ut exemplo meo illas custodirent. Ego autem tantum illis custodiendis innitebar quòd vineam, id est, vitam meam non curabam, & mei ipsius nullam curam gereram.* Hæc ille magis argutè, quàm solidè.

Origenes *homil. 2. ex quatuor*, sequitur lectionem LXX. *Filij matris meae pugnauerunt in me*, in casu auferendi. Et in his filiis Angelos contemplatur, Dei nimirum Patris & cœlestis Hierosolymæ liberos, atque adeò iustæ animæ germanos fratres, qui scilicet in eadem anima & pro anima contra Dæmones decertant: qui nempe *propugnatores, & defensores, & tanquam tutores & procuratores*, additi sunt hominibus tunc, cùm illi pro semetipsis aduersùs Diaboli astutias repugnare non valent, iuxta illud: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Quid tum postea? Vineam (inquit) meam non custodiui; id est, instituta illa ac mores & propositum vitæ, in quo exercebatur secundùm veterem hominem, iudicare videtur laudabiliter à se non esse seruata, quia constituta est ab Angelis aliarum vinearum custos, sensum scilicet, ac dogmatum diuinorum, ex quibus possit vinum bibere quod latificet cor eius.*

Quid plura? Beda, cui adhærent etiam ex citatis Patribus quotquot sponsam propter tribulationes & passiones fuscam appellari voluerunt, sic locum istum edisserit: *Nolite considerare (ait iusta anima) quòd fusca sim*, hoc est, laboribus & angoribus plurimis, quibus assiduò exerceor, infuscata, *quia decolorauit me Sol*, id est, quia veritas fidei & Euangelij dogmata Sole ipso splendidiora, quibus me subieci, & quorum causa hæc sustineo, istum colorem atrum mihi impresserunt. Nam ex quo hæc teneo, & his adhæreo, *Filij matris meae*, id est, alij homines, & hi potissimum, qui mihi cognatione aliqua sunt coniuncti, bellum mihi implacabile indixerunt: *Quia inimici hominis domestici eius. Et, tradet quoque frater fratrem in mortem, &c. Quapropter posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodiui*, id est, coegerunt me, cùm non possem mihi ac vitæ meæ prospicere, nec iure meo agere ac viuere, eorum iniuriis cedere, & quasi mercenaria, decretas mihi ab ipsis operas suscipere & peragere coacta sum. Hæc expositio in Religiosos apprimè quadrat. Denique Honorius ad actiuos hæc conuertit, qui ommissa contemplatione, quæ maximè propria est cuiuscunque vinea, ad actionis negotia fratrum suorum necessitate inducti, imò coacti veniunt. Iuxta quam interpretationem locum habet altera consideratio Hugonis, qui animam hinc *fuscam* & subatram propter leuiorcs culpas ab ipsa commissas, dictam autumat: quas bene excusat, affirmans se illas ex Sole, & ex ipso exercitio & cultura vineæ suæ traxisse. Ita enim accidit sæpiùs, vt hi, qui in otio contemplationis quasi ad vmbra sedent, candidiorem conscientiam habeant, & puriorem vitam degant, quàm illi, qui actiuæ vitæ negotia transigunt. Sed non ideo actiuæ vita deferenda: nam quæ ex illius exercitatione adhærescere solent leuiorcs maculæ, quatenus ex tam decora occasione accidunt, non sunt valde turpes. Quæ verò ex necessariis actiuæ vitæ negotiis & exercitiis accrescit gratiæ pulchritudo maxima est. Ac proinde sic agere & exerceri longè melius est, quàm eo modo contemplari & otari. Huc accersere licet Bernardum, qui per Solis æstum fraternam charitatem intelligit, & inter alia sic scribit: *Decolorari à Sole est ignescere charitate fraterna, flere cum flentibus, vri ad scandala singulorum.*

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de B. Virgine Maria.

NOLITE me considerare quòd fusca sim, &c. Sensus horum verborum conferendus est cum his, quæ ad superius carmen diximus, atque iuxta omnes nigredinis acceptiones ibi traditas locus versandus. Rursus ordo ac series vitæ Marianæ minimè abrumpi debet; iuxta quam hæc verba ad ea, quæ Incarnationem præcesserunt, referri oportet (vt aliàs monuimus.) Prima igitur nigredinis significatio est illorum, qui B. Mariam ex coniugio *fuscam*, ex virginitate verò formosam inibi dictam volunt. Quapropter consecrariè ad eam nigredinis acceptionem sic locus iste edisserendus est: Nolite id in me obseruare quòd Ioseph tradita sum, quasi id virginitatis, quam Deo nuncupavi, candorem infuscet, *quia decolorauit me Sol*, (per Solem Deum accipio cum Ruperto, Dionysio, Hailgrino & aliis,) quia, inquit, Sol iustitiæ Deus quasi de industria istum coniugij colorem in me quæsiuit, vt eo colore, atque vmbra maternitatem Dei, quam mihi impertiri decreuerat, dissimulatione quadam tegeret. Quasi dicat: matrimonium istud à me contractum, color est ascititius,

titius, non genuinus; fucus eſt, non natura: vmbra eſt virginitatem protegens ac defendens, quia licet verum ac ratum matrimonium ſit, tamen ab omni carnis corruptione alienum exiſtit; atque adeò natiuum virginitatis candorem non aufert, ſed tegit atque diſſimulat. Vel aliter, vmbra à Sole efficitur per obiecti corporis interpoſitionem, atque eius quod tegit, corporis candorem ad ſpeciem offuſcat. Ad hæc nuptiæ à nubendo, ſeu, quod idem eſt, obumbrando & tegendo dictæ, non ſolùm, quia vxoratas mulieres flammeis velare ſolemne eſt, ſed etiam, quia vir vxori ſuæ vmbra & ſolatio præbet. Ait ergo Maria, *quia decolorauit me Sol*, ideo nimirum fuſca & decolor ad ſpeciem appareo, quia ipſe iuſtitie Sol Deus Opt. Max. mihi maritum donauit, cuius vmbra quamuis ſolatio & leuamini mihi omnino ſit, tamen dum illi ſubiicior, candor virginitatis meæ quodammodo infici ac deformari videtur. Nota vmbre naturam: nam corpora quæ ſub ipſa manent, ſpecie tenus infuſcat, & apparenti quadam nigredine tingit: tamen reuera ipſa vmbra candorem non modò ſeruat, ſed etiam adauget. Non aliter de coniugio Mariæ ac Ioseph conſtituere oportet: nam licet Deiparæ candorem, id eſt, virginitatem ad ſpeciem denigrare videretur, tamen reuera ipſam illæſam, inuiolatamque ſeruabat: ideo *custos virginittatis Mariana* paſſim à Patribus compellatur. Nam ſeruabat tantùm, ſed etiam ipſe virgo cum eſſet immaculatiffimus, conſortio, & conuictu, & teſtimonio Mariæ illibatiffimam pudicitiam in opinione hominum augebat, vt docet Bernardus *homil. 2. ſuper Miſſus eſt.*

Fratres mei pugnauerunt contra me. Hic per fratres iſtos eiufdem matris, id eſt, Synagogæ filios ſecundùm carnem, Sacerdotes intelligere licet, qui Deiparæ Virgini vt nuptias contraheret, perſuaſerunt, inſtiterunt, coegerunt; nam eorum inſtantiam pugnam contra ſe ſuſceptam vocat; ſed quid inde? *Posuerunt* (inquit) *me custodem in vineis; vineam meam non custodiui.* Ambroſius *in exhortat. ad Virg.* per vineam intelligit virginitatem: *Nemo auferat* (inquit) *anima veſtra vineam, & vilia olera ſeruat. Vineam enim quidam fructus virginittalis eſt; coniugia velut olerum plantaria ſunt; in quibus frequens zelus eſt, & ideo velut olera herbarum citò cadunt, niſi finem imponat ſeneſtus, aut ad perfectum vehat continentia, &c.* Quibus verbis duas vinearum acceptiones agnoſcere videtur Ambroſius; aliam pro hortis, in quibus olera ſeruntur, quæ vulgaris etiam eſt hodie apud Italos, qui pomaria & hortos paſſim vineas appellant. aliam verò pro ipſiſſimis vitium ſationibus. de his intelligendus eſt Ambroſius & iuxta iſtas vinearum ſignificationes hæc verba Virgini accommodare procliuè eſt ad hunc modum: Sacerdotes illi me ſtudio virginitatis repugnantem compulerunt, vt olitrix, hoc eſt, vinearum, vel potiùs hortorum oleribus conſitorum cultrix eſſem: vt nimirum matrimonium hortis olerum feracibus ſimile inirem. Atque adeò vineam meam virginitatem veram, in quam vineam vitibus ſatam non quidem veraciter, ſed ad ſpeciem, & in opinione hominum non custodiui, non colui, quatenus illam per dictum matrimonium & filij ſuſceptionem in æſtimatione hominum eiufdem virginitatis iacturam feci. In his autem legitimi ac rati matrimonij hortis, quos custodiendos, & colendos ſuſcepi, quamprimum pullulauit olus zelotypiæ, iuxta illud Ambroſij: *Coniugia velut olerum plantaria ſunt: in quibus frequens zelus eſt.* Sed ſicut olerum ferè maturitas non expectatur, ſed virentia adhuc & herbeſcentia ſucciduntur ad menſas, ac ferè cum fibris & radicibus extrahuntur, ne iterum germinent (inde enim eſt illud, *ſicut olera herbarum citò decident,*) ita etiam de zelotypia, quæ in ſanctiſſimo viro Ioseph tanquam olus è matrimonio ſucceuerat, factum putata. Non enim diutiùs expectauit Deus, vt nimirum temporis longitudine exſiccaretur, & veluti maturum decideret; ſed ab Angelo citiùs cum ipſis fibris & radicibus erutum, extirpatumque fuit.

Aliter etiam plures vineas colere, ac custodire dici poſſunt fœminæ matrimonium contrahentes, quia nimirum ex quo viris traditæ ſunt, non modò ſeipſas, ſed etiam virum, liberofque colere & obſeruare neceſſe habent. Atque adeò ſenſus horum verborum ſic conformari poteſt: *Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui.* Extremum hoc verbum *non custodiui*, vt quibuſdam placuit, non negat propriæ vineæ custodiam, ſed curam illius ſolam non fuiſſe affirmat hoc modo: Illi fratres mei, id eſt, Sacerdotes templi Dei, præceptis ſuis ac diuinæ voluntatis ſignificatione vrgentes tradiderunt me viro; atque adeò non meam tantùm vineam vnã & ſingularem, ſed plures colere, ac custodire opus fuit: id eſt, non tantùm me
ipſius,

ipſius, ſed etiam viri, & eius quem ſine viri congreſſu ſuſceptura eram, prolis cuſtos effecta ſum. Vel ſi negationem capias vt ſonat, illud *non cuſtodiui*, perinde erit ac ſi dicat, plurium vinearum cuſtos effecta ſum, ſcilicet viri, ac filij mei (adde etiam reliquos adoptiuos ac ſpirituales filios) quos ſic curauit, ſic obſeruauit, vt præ illis (ſi fas eſt dicere) mei ipſius curam negligere, & cuſtodiam non tenerem. Nota qualiter Maria vicem rependat Ioseph: is quidem virginittatis cuſtos ipſi additus fuit; Maria verò illius etiam cuſtodiam ſuſcepit, tantoque ſtudio ac ſollicitudine ſalutem, felicitatem & reliqua illius commoda curabat, vt huic curæ impenſè dedita ſuæ quodammodo ſalutis & commodi oblita videretur. Et idem etiam de Chriſto, & de aliis, quos per adoptionem fortita eſt, filiis affirmare licet. Quis enim credat, Paulum, qui aiebat, *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, &c. maiori erga homines charitate aſſiſſe, quàm Mariam Deiparam, &c.

Secunda ſignificatio nigredinis, quam in ſuperiori verſu dedi, eſt Ruperti, qui non de matrimonio, ſed de ipſa prolis grauidatione intelligit, quæ in Ioseph viro ſuo ſuſpicionem ac zelotypiam excitauit: atque huic ſuſpicioni à B. Virgine hiſce verbis occurſum dicit: *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* id eſt, (ſubtexto Ruperti verba,) *Nolite putare quòd ſim corrupta, quia quòd tumentem uterum habeo, quòd inuenta ſum in utero habens, non fecit vir, quia virum non cognoſco, ſed ita decolorauit me Sol: verus enim Sol, & Sole ipſo pulchrior Deus ſemetipſo me impleuit, de ſe ipſo uterum meum tumentem reddidit.* Et de Ioseph ſic attexit: *Non erat nequam oculus Ioseph, ſed quandam excuſabilem ignorantie nebulam habens citò purgatus eſt, dicente ſibi Angelo, quòd non flamma ignis de deorſum, ſed de ſuper Sol decolorauit quòd ſalua virginittate grauida eſſem*, &c. Redeat illud, ſicut tabernacula Cedar, & ſicut pelles Salomonis. Nam Cedareni & Iſmaelitæ, quos vulgo Mauros, vel Agarenos dicimus, hi ſunt maximè, qui illibatam Mariæ virginittatem denegant: quaſi fieri non potuerit, vt illius vterus ſine corruptione ingraueſceret, & cum integritate pareret. Quos alij hæreticorum proceres Iouinianus, Heluidius aſſequuti ſunt. Hi autem impium iſtud dogma ab Hebræis hauſerunt, qui primi purittatis Marianæ euerſores & oppugnatores extiterunt. Ait ergo Maria, O vos filia Hieruſalem, id eſt, fideles Eccleſiæ ſanctæ animæ, nolite cum his de mea virginittate perperam ſentire, *Nolite, inquam, conſiderare quòd fuſca ſim*, quòd ſcilicet virginittatis candore amiſſo fuſcum induerim colorem, *quia decolorauit me Sol*, id eſt, Sol iuſtitia prædicto modo impleuit me, non quidem virginittatis candorem auferens, ſed ad ſpeciem ipſa grauiditate diſſimulans. Quamobrem *filij matris mea pugnaverunt contra me*. Certè id Iſmaelitæ proprium eſſe ſcribit Honorius, vt non alienis tantùm, ſed ſuis etiam bellum aſſiduò moueant, pacem & concordiam odio ſemper habentes, iuxta illud: *Habitauit cum habitantibus Cedar; cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*. Id ergo ſpectans ſponſa, quæ priùs Cedaritarum tentoriis ſe ſimilem dixerat, conſectariè ſubnectit ſe non alienorum, ſed ſuorum fratrum pugnas ſuſtinuiſſe. Quæ expoſtulatione in Virginem aptè quadrat, cuius pudorem & virginittatem Agareni potiffimum & Hebræi (hic enim error vtrique nationi communis eſt) ab Abrahamo genus ſuum repententes, atque ad eò ipſius Virginis fratres ſecundùm carnem acerrimè poſtea impugnarunt. Sed quid inde? *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*, ſicut puella aliqua, quæ ciuium ſuorum ipſam petentium, ac pudorem illius violare contententium vim declinare volens urbem & fortunam ſuas deſerit, & frequentiam hominum relinquens ad ſylvas confugit, iuxta illud ſuprà adſcriptum:

Multi illam petiere, illa auerſata petentes

Impatiens, expersq; viri nemora auia luſtrat.

Sic etiam Maria Virgo ſanctiffima ab his nationibus, quæ virginittatem eius prauis dogmatibus violare ac vitare auſæ ſunt, diuertens, earumque multitudinem ac frequentiam fugiens, ad alias diuertit. Ac primum quidem Iudæam vineam ſuam electam, in qua nata erat, reliquit, & ad gentes ſe tranſtulit. Sic Dionyſius Carthufianus: *Idcirco (inquit) ego à Iudæis auerſa vineam Iudææ ac Synagoga deſerui, pro qua fui, & pro qua eram ſollicita; & facta ſum cuſtos, aduocata, mater, & domina Eccleſiæ ex Gentibus congregatæ.* Accinit Rupertus. *Iudæi (inquit) ſunt filij Synagoga, ab illis paſſa ſum, vel patiar pugnas verborum, pugnas linguarum virginittatem meam blaſphemantium.* Et hoc modo *poſuerunt me cuſtodem in vineis, id eſt, in Gentibus quæ non quidem erant, ſed ex mea cuſtodia factæ ſunt vineæ Domini.* *Poſuerunt, inquam, id eſt, vt ego ponerer*
effecerunt

esse cerunt per incrudelitatem suam. Caterum putauerunt quod si me repulissent, errare deberem in solitudine sicut Cedar, vel sicut Agar. Verum non ita est, nam pro vinea qua debuit esse mea, utpote gens mea, sanguis meus, & caro mea, multas vineas acquisiui, multas scilicet Ecclesias in Gentibus dilataui, quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant, de meritis meis presumentes, de intercessionibus meis confidentes, & pro eiusmodi custodia ad me iugiter clamantes, &c. Hæc Rupertus de Maria Hebræos deferente, & ad Gentes translata: quæ identidem de Ismaëlitis, & Agarenis enuntiari possunt, & de alia qualibet gente, quæ de ipsius puritate & gloria non satis candidè sentit.

Possunt etiam extrema verba aliter explicari: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Errores profectò & hæreses Ecclesiam distrahunt, & vnã vineam (talis enim est vnica Ecclesia) in plures vineas discindunt. Ait ergo Maria: Per errores quibus diuersæ gentes contra me, & contra gloriam & dignitatem meam decertarunt, factum denique est, vt vnã illam plenam, & vniuersalem ex omnibus nationibus collectam, & eadem fide præditam Ecclesiam non custodiam. Quia dum aliæ & aliæ Ecclesiæ per dictos errores ab vniuersali deficiunt, multarum vinearum custos effecta sum, quæ (si res cessisset è votis) vnus tantum esse debueram. Vide ea, quæ scripsimus in defensione immaculatæ Conceptionis, & in epistola ad Philippum Regem §. 2. vbi omnes antiquos hæresiarchas Marianæ puritatis, & dignitatis oppugnatores fuisse non perfuntoriè ostendimus: vt vel ex eo constet, omnes illos, qui Ecclesiam scindere, & distrahere conati sunt, Mariæ hostes fuisse: quorum iniuriis vnus vineæ custos, & cultrix fieri non est permessa. Rursus illud etiam notandum iuxta hanc expositionem, B. Virginem etiam earum vinearum, quæ a b vna diuisæ, & distractæ sunt, id est, earum Ecclesiarum, quæ à sanctæ Ecclesiæ vnitatem per suos errores, atque hæreses desciuerunt, custodem meritò appellari: quia ipsa seruante fit ne continuò pereant; & per ipsam demum fieri debet, vt recantatis erroribus ad vnitatem Ecclesiæ adducantur. De illa enim id passim pronuntiamus: *Gaude Maria Virgo, quæ cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* Sed quamuis hæc interpretatio Ruperti venustate non careat, tamen cum cortice & sono allegoriæ minus cohæret, ob rationem quam in superiori versu dedimus. quære ibi.

Tertia expositio per nigredinem sponsæ peccatorum fuscã naturam concipit, iuxta quam acceptionem nigredinis qualiter Virgo pura, & ab omni peccato immunis sine iniuria suæ innocentia ac veritatis detrimento semetipsam per humilitatis amorem non modò nigram, sed nigerrimam, & peccatorum maximam pronuntiare possit, ostendimus loco supra citato. Igitur confectariè ad eum sensum hæc verba accommodare licet, hoc modo: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* id est, nequaquam miremini quod purissima & innocentissima cum sim, me nihilominus fuscã, id est, peccatricem dicere, & æstimare non dubitem, *quia decolorauit me Sol,* quia nimirum innocentia, & puritas mea cum purissimo Christi iustitiæ Solis candore composita, nigredo, id est, peccatum & impuritas mihi videtur. Mariæ enim accommodare licet verba illa, quæ Gregorius Ecclesiæ dedit in hoc loco: *Quia quantumlibet Maria fulgeat, in comparatione Christi Solis iustitiæ fulgorem amittit.* Non solùm, quia splendor & puritas Mariæ Christi Domini splendori & puritati ita cedunt, vt cum illis collata vix appareant; sed etiam, quia quicquid innocentia & sanctitatis ipsi inerat, Christi meritis debebat Maria, vt eo sublato in summam impuritatem, & teterrimam peccatorum nigredinem actutum recideret; vt proinde meritò dica se à Sole decoloratam, quatenus Sol iustitiæ Christus quanta sit eius puritas declarat. Quid plura? Sol Virginem decolorauit, quæ illi cognitionis sui ipsius lumen afflauit, vt eo illustrata de se abiectissimè sentiret. Has omnes humilitatis rationes in Beata Virgine contemplatus est Dionys. Richel. de præconio Virginis lib. 3. c. 21. *Primum ex diuina altitudinis contemplatione & comparatione humilitas in Maria emanabat; & quia Virgo Deo illustrante id quod ex se erat, esseque Deo deferente poterat, plenius nouit, omnemque demum bonitatem atque virtutem desuper se sciens sortitam, & in singulis his se à bonitate diuina mantenentia vehementius, incessabiliusq; dependentem contemplabatur, sicut à fonte riuulus, sicut à Sole radius.* Etenim constat quod si vel ad momentum Solis lucem auferas, splendor ipse confestim transiit, sic prorsus si vel in ictu oculi diuina conseruationis clementia ab anima creata deficiat, omnis continuò virtus

virtus eius, atque perfectio discoloratur, & in nihilum redacta tabescit. Hæc Richelius, qui monet ibi sanctissimam Deiparam non quidem vt alij homines ex suis defectibus, aut peccatis, nihil enim eiusmodi in se vnquam deprehenderit, sed ex contemplatione diuinæ liberalitatis, & sui comparatione cum Deo, omnem humilitatem, & sui contemptum expressisse & hausisse: ac proinde meritò in hoc loco huiusce humilitatis causam non alteri, quàm Soli tribuit, *quia decolorauit me Sol.*

Filij matris meæ pugnaverunt contra me, &c. Hæc verba ad superiorem sententiam trahere non est facile; sed tamen cogita, B. Virginem matrem suam hîc appellare Euam, quæ fastum & tumorem illum, quo Deo similis fieri impensè concupiuit, ad filios suos deriuauit. De his ergo ait Maria, superbos & fastuosos Euæ superbæ filios (quæ mihi quoque secundùm carnem mater extitit,) huiusce humilitatis meæ hostes valde contrarios experta sum: nam cum ego vsque ad eò humiliter de me sentiam, ipsi contra superbè admodum sapiunt. Sed quid inde? *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Origenes in *Periarch.* in vitibus, quæ si proceris arboribus adhærescant, eas flagellis & clauiculis complectentes ad cacumen sensim proserpunt, humanarum mentium fastum, & elationem contemplatur: quæ cum suapte natura humiles sint, ad fastigia summa semper contendunt, semper adspirant. Ait ergo Maria: Per superbiam filiorum Euæ ac fratrum meorum factum, vt ego sim *custos*, id est, cultrix, elaboratrixque *vinearum*, id est, superbarum mentium, ceu vitium ad sublimia semper scandentium elaboratrix, cui scilicet illud in primis curæ est, vt elatarum cogitationum assurgentes pampinos palmitesque assiduò amputem. Audi ipsam contra superbiam falcem in suo Cantico distringentem: *Fecit potentiam in brachio, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Sibi enim vsurpauit munus illud, quod Deo tribuit Regius Propheta Psalm. 75. *Terribili & ei qui aufert spiritum principum; terribili apud Reges terræ.* In originibus ad verbum, *Terribili, & ei qui vindemiat, vel amputat spiritus ducum*, id est, fastus excindit ne ad celsa cacumina proserpant. Et apud Hierem. cap. 25. *Propagines fortium marcescere facit.*

Ioan. Rusbrochius Ecclesiæ dilatationem Virgini tribuens, *Ipsa* (inquit) *vites, id est, Christi palmites per totum latè mundum propagauit.* Vide energiam huius orationis. nam (vt aliàs notaui) *propagare vites*, iuxta proprietatem sermonis Latini est sarmen- ti ex vite progerminantis caput ad terram demittere, & defossam humatumque ad vicinia ducere, vt ibi regerminet. Hæc ergo B. Virginis propria cura, hic labor, scilicet fideles propagare, ipsos nimirum ex Christo tanquam ex vite productos, per studium humilitatis ad ima demittere, & (liceat sic dicere) cogitationes eorum ad celsiora aspirantes veluti humare, & defodere: vt quo humilius de se ipsis cogitant, eo lætius feliciusque progerminent. Sed quid est quod statim attexit? *Vineam meam non custodiui*, vel, quod idem est, *non colui.* Sensus est: Ego quidem nihil eiusmodi experta sum, nullum cuiuspiam elatæ cogitationis palmitem mens, vel animus meus vnquam protulit, ad celsiora fastigia assurgentem, quem rescindere, vel amputare opus esset: sed per demissionem animi, & contemptum mei semper depressa & humili reptans fui.

Sed in eadem acceptione nigredinis pro peccato & delicto iuxta quartam expositionem superioris versus quarta quoque supplet interpretatio horum verborum, quæ sic habet: *Nolite me considerare quòd fusca sim*, scilicet quòd fusca appaream, nam de apparente nigrore hæc intelligunt Doctores suprà adscripti, in quibus Ioannes Picus de originali peccato non quidem re ipsa contracto, sed specie tenus quatenus ex vitiosa radice genus traxit, & eidem per debitum contrahendi obnoxia fuit, fuscum colorem exponit, hoc modo: *Nolite originalis peccati nigredinem, quam ex conditione nature, & generis mei contraxisse videor, mihi tribuere, quasi re ipsa mihi affixa sit.* *Sequentem verò clausulam duplici sensu donari posse dicit*, vel ita vt prior illa clausula, *Nolite me considerare*, iterum resumatur (quod aliàs in Scriptura sacra non est insolens, quæ sæpius verbum, aut nomen suprà positum ne insulsè repetat, cum lepore supplet) ita vt sensus idem sit, ac si dicat: *Nolite me considerare quòd fusca sim: nolite considerare, quia decolorauit me Sol*, id est, neutrum mihi iniuriosè tribuatis, vel quòd peccati originalis nigredinem ex conceptu meo contraxerim; vel quòd Solem iustitiæ concipiens ac pariens virginitatis candorem amiserim: vtrumque enim factum, rectumque in me semper fuit, immunitas à peccato, & pudor corruptionis expers:

hæc enim mirificè inter se cohærent, & alterum ex altero efficacissimè probatur. Vnam etiam & alteram partem de originali peccato exponere licet, hoc modo: Nolite mihi originalis peccati atrum colorem affigere; nolite etiam id affirmare quòd in Conceptione & partu Solis iustitiæ Christi eas molestias & iniurias sustinuerim ex prole, quas mulieres reliquæ in peccati originalis pœnam sustinere coguntur, scilicet gestationis pondus, partus dolores, immunditias, & sordes: ab his enim omnibus libera fui, & prima libertas ex posteriori rectè conficitur.

Secundus sensus concipit verba vt sonant, ad hunc modum: *Nolite considerare quòd fusca sim*, ne scilicet in me fuscum originalis culpæ nigrorem ex eo requiratis, quia decolorauit me Sol, id est, quia Sol (verba sunt citati Authoris) *singulari inaccessaque innocentia sua prærogatiua me decolorem ostendit, quia nimirum solus sine peccato est, & supra omnem peccati aleam. Et infra se omnes alios reliquit.* Quia licet dicta Christi innocentia tanta sit, vt ex iure originis quatenus ex Virgine sine viri iniuria procreatus est, & per sanctitatem vnionis hypostaticæ, atque adeò per naturam non immunitas solùm, sed etiam incapacitas peccati omnimoda ipsi parta fuerit, tamen eandem innocentiam B. Virgini gratia & præseruatio afferre potuit: atque adeò licet infra Christum sit, licet in conspectu Solis iustitiæ fulgor & puritas eius dispareat, à tanta nihilominus peccati impuritate prorsus aliena fuit.

Huic etiam expositioni inseruiunt aliæ lectiones huius loci, nimirum illa, quam secutus est Ambrosius, *quia non est intuitus me Sol*, vbi Sol præ æstu accipitur, sensusque erit: Ne me originali crimine fuscata putetis, quia Solis æstus, id est, concupiscentia, libido, & fomes peccati non attingit, non adussit me. Hæc enim est altera ex robustissimis rationibus, quibus Deiparæ libertas ab omni culpa solidissimè comprobatur, quæ scilicet ex negatione effectus causam illius auertit. Si enim, inquit, Maria caruit fomite, & concupiscentia, qua originalis culpæ præcipui effectus existunt; ergo causam illorum necessariam ignorauit.

Altera translatio est LXX. *Quia rectis radijs aspexit me Sol.* Alij profectò Adami posterii in decursu vitæ per lethalia peccata auerti prorsus à Deo, per leuiore autem culpas (liceat sic dicere) ab eodem diuersti solent. His enim nominibus auersionis, & diuersionis vt solent Theologi ad significandam differentiam mortalium, atque venialium criminum. Ait ergo Maria: Me vtique Sol iustitiæ nec per culpas grauiore auersam, nec per leuiore diuersam vnquam reperit: atque adeò semper ipse rectos radios in me direxit, semper ego irretortos illius fulgore excepi. Sed quid inde? *Nolite me considerare quòd fusca sim*, ne scilicet mihi ab origine mea peccati nigredinem ingenitam putetis: si enim Dei gratia ab actualibus, etiam leuioribus culpis immunem me esse voluit; ergo longè certius me ab originali liberam voluisse putandus est, non solùm, quia omnes actuales culpæ ab originali descendunt, sed etiam quia peccatum originis macula est longè grauior, atque deterior, quàm actualis culpa leuior, ac veniæ vicinior.

Locum etiam habet in hac thesi lectio illa inter Græcos Patres celebris, *quia despexit me Sol*, quam Origenes ad sensum conuertit superiori expositioni per omnia oppositum: quia nimirum Sol me indirectis & obliquis radijs intuitus est. quam lectionem ad donum creationis, & prædestinationis gratiam referre licet. Hæc enim sunt præstantissima fundamenta; quibus B. Mariæ originalis iustitia efficacissimè persuadetur. Sol vtique omnium generationum vniuersalis & perpetua causa existit: atque adeò cum id nominis Deo tribuatur (vt monet ad hunc locum Angelomus) vniuersalis causæ rationem in ipso adsignificat, per quam omnium generationum, & creationum primus effector est. Rursus, Sol, cuius lux ac splendor antiquissimus est, & omnia lumine ac virtute sua peruadit, Dei quoque ab æterno omnia præuidentis, ac prædestinantis simulachrum est. Huc spectat illud Ecclesiast. 23. *Oculi eius multo lucidiores sunt super Solem*, &c. Quorsum hæc? Certè reliquos Adami filios ad primam existentiam Deus ab æterno prædestinauit ac præuidit, vt eos demum in tempore procrearet, non quidem alios propter alios, aut cunctos propter vnum, sed omnes & singulos propter se ipsos, illos nimirum rectà respiciens, eosdemque immediatè ad seipsum referens. Nam decretum creationis hominum sic institutum est, & omnium simul hominum quotquot fuerunt, aut erunt, existentias simul definitas longa oratione probauimus in defensione immaculatæ Conceptionis cap. 24. §. 2. & 3. solius autem Christi ac B. Virginis prædestinationes & primæ conditiones velut indirectæ

directæ fuerunt ; quia nimirum Christus Dominus iuxta veriore[m] doctrinam Theologorum non quidem propter seipsum , sed propter Adamum , eiusque filios prædestinatus ac conditus est ; & B. Virgo similem ad modum non gratia sui , sed Christi & hominum causa prædestinata & genita est : ita nimirum , vt si Adamus non peccaret , Christus Dominus nequaquam existeret , & Christo etiam Adamoque non existentibus , Beata quoque Virgo non gigneretur. Id ergo de seipsa prædicat B. Virgo per illa verba , *quia despexit me Sol* , vel , quod idem est (vt monet Origenes ,) quia obliquè & indirectè me aspexit , id est , quia me non vtique directè propter me , vel gratiâ mei , sed obliquè propter Christum , & ipsius Christi gratia prædestinauit , ac creauit. Hinc autem factum ne peccati originalis colorem fuscum attraxerim , nec attrahere debuerim. Quomodo autem iste prædestinationis , & creationis Marianæ modus , & ordo certior sit , ac solidior , ratio immunitatis eiusdem ab originali culpa , & debito illius , vberri[m]è diximus in dicta defensione *loco citato* , & *cap. 20.* & deinceps , lege ibi multa.

Aliter etiam lectio ista de perpetua innocentia Beatæ Virginis exponi potest , *quia despexit me Sol* , itavt iuxta præmissam nuper Ioannis Pici interpretationem resumatur iterum illud , *Nolite considerare* , itavt sensus sit : Ne me originis labe , & nigrore infectam credatis , ne scilicet putetis , quia Sol iustitiæ *despexit me*. Quomodo enim tantus filius tantæ matri honorem ac reuerentiam debitam non deferret ? Nam turpis valde despectio esset , & deformis admodum contemptus , si filius Dei matrem suam è tam misera peccati conditione eripere valens , ipsam nihilominus eidem subiacere permetteret. Hæc enim permissio in filio , qui omnem à parente sua iniuriam prohibere naturâ iure tenebatur , non tam esset omissio , quàm commissio ; non tam esset damnum non vitare , quàm dare. Quomodo autem ex reuerentia , & honore quem filius matri debebat Virginis , immunitatem à peccato originali aucupari liceat , fusè diximus in eadem defensione *cap. 25. 26. & 28.* & alibi sæpius.

Virgini quoque accommodare fas est translationem illam , quam secutus est Philo Carpathius , *quia Sol circumspexit me* , id est , quia Sol iustitiæ me vndique suis radiis circumfudit. Quod primò ad nobilissimum redemptionis modum reuocari potest , quo Virgo Deipara ab omni peccato asserta est. Alios enim Sol iustitiæ Christus penis , seu potiùs radiis suis , in quibus est sanitas & salus (vt ait Propheta) sic illustrat , sic fouet , vt tamen illos non vndique ambiat , sed (liceat sic dicere) vmbra[m] semper à tergo relinquat , id est , peccatum præteritum , quod mortis vmbra[m] appellare libet ; originale quidem semper , sæpius etiam actuale quasi à dorso demittit. Nam de antea actis peccatis sic loquutus est Apostolus , *Quæ retro sunt obliuiscens* , &c. Et Isaias ait : *Retrorsum non abij.* id est , peccata præterita non iteravi. Mariam autem *Sol* radiis suis *circumspexit* , circumfudit , nullumque vmbra[m] peccatorum fecit locum. Hæc est enim mulier *amicta Sole* , Apocal. 12. de qua extat illud Bernard. in serm. super *Signum magnum. Candidissimus* (inquit) *huius mulieris amictus* , cuius omnia tam excellenter irradiata cernuntur , vt nihil in ea non dico tenebrosum , sed ne obscurum saltem , vel minus lucidum , sed nec tepidum quidem aliquid , aut non feruentissimum liceat suspicari. Lege etiam quæ scripsimus in nostra defensione *cap. 39. §. 6.* ad illa verba , *Mulier amicta Sole*.

Non solum autem de originali iustitia hæc verba accipi possunt , sed etiam de originali gloria , quatenus in eadem defensione *cap. 32. §. 4.* probabiliter affirmari posse diximus , Beatam Virginem in suæ Conceptionis momento primo , remotis , religatisque vmbra[m] Deum clarè intuitam fuisse , itavt sensus sit : Nolite me considerare quòd fusca & decolor in Conceptione mea fuerim per originale peccatum , & per ignorantiam , quæ huic peccato adhærere solet , & per defectum rationis , qui illius temporis proprium vitium est , *quia circumspexit me Sol* , mentem scilicet , animumque meum ita irradiavit , ac circumfudit , vt non solum peccati tenebras non admiserit , sed etiam perfectam rationis vsuram , plenamque & ab omni ignorantia vitio alienam rerum diuinarum intelligentiam , & claram , exclusis vmbra[m] & ænigmatibus , Dei visionem per illud instans mihi contulerit , *Quia circumspexit me Sol*. Lege quæ de hac thesi attulimus *loco citato*. Absque aliis testimoniis , quibus doctrinam illam constabilire contendimus , subscribe reuelationem B. Amadæi veri ex familia Minorum sanctissimi , qui *cap. 9. §. 23.* de illibata Mariæ Conceptione inter alia sic fatur ex persona Gabrielis Archangeli : *Tunc* (id est , in ipso Conceptionis instanti) *Deus noster*

magnus & potens creauit animam Maria habentem omnia dona, omnem scientiam, siue omnes habitus & similitudines rerum omnium, sicuti nos (id est, sicut Angeli ipsi Beati) qui accipiendo unicam similitudinem, diuina scilicet natura, omnium rerum similitudines accepisse dicimur. Loquitur autem de specie clarè representante diuinam essentiam, quæ nimirum ex vi visionis creaturas quoque intuendas offerat. Et post pauca, B. Virgini per illud instans suæ creationis nullius scientiæ habitum fuisse denegatum seriò affirmat. *Nouerat enim (inquit) tunc Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Poeticam, artes mathematicas tam puras, quàm mixtas, tam superiores, quàm inferiores, nouerat Physicam, & Metaphysicam, & quæcunque sunt sub illis scientiis, nouerat optimè Theologica; nouerat etiam omnes artes, quas mechanicas dicitis: nouerat demum omnium regiminum, & vniuersitatis, & ciuitatis, & regni regulas, & iura, nihilque tunc latebat animum illum sanctum.* Quippe quæ iam tunc scientiarum omnium Encyclopædiam comprehenderat, vt eo etiam nomine à Sole circumspecta dici queat; id est, omnium quæ circa illam erant per scientiam infusam à Deo illustri valde cognitione donata. Iam ergo vos ô scientiæ maiori deinceps amplectar amore, maiori prosequar studio, quia in eo instanti quod mihi ante alia vitæ Marianæ momenta charum & pretiosum est, ipsius Mariæ mentem & animum adornaftis. Et vos quoque sapientiæ officinæ, scientiarumque omnium emporia ô Academiæ totius orbis nobilissimæ Parisiensis, Salmanticensis, Complutensis, & aliæ istarum affectatrices pergite vt facitis, Conceptionis Marianæ illibatam puritatem nuncupatis Sacramentis iurare, & quicquid huic puritati aduersatur euitare ac refellere: quia huic momento & instanti Conceptionis purissimæ in quo B. Virgo omnium quas colitis & adamatis, scientiarum vniuersitatem complexa est. Vestra vos deuotio, exercitatio, & vitæ ratio mirum in modum obstringit. Huic, inquam, momento, ex quo eadem Beata Virgo omnium scientiarum parens, & magistra esse cœpit; vt quas perfectissimè tenuit vobis traderet, ac permetteret. *Origo fontium, & fluminum mare, & scientiarum scientia domina Maria.* Verba sunt Bernardi in *Salue, serm. 1.* Subdit verò statim Amadæus: *Verbum specie, vel similitudine concreatam, sicut & nos distinctè cognoscebat: neque tamen videbat nisi interdum priuilegio speciali, quæ visio non erat permanens, sed vt quidam raptus.* quibus verbis nihil detrahit de superiori dogmate, sed docet præter lumen gloriæ quo anima illius ad momentum irradiata est, aliam cum anima illius speciem concreatam fuisse: per quam non minus clarè, quàm Angeli viatores Deum assiduò cognoscebat.

Illud tamen obiter negat Amadæus in præfatis verbis, quod aliqui nouiores Theologi affirmare ausi sunt, scilicet B. Virginem ad visionem claram Dei non modò in Conceptione sua admissam fuisse, sed reliquo etiam vitæ curriculo retinuisse ac seruasse, eo modo, quo Christus Dominus eandem claram visionem ab ipso Incarnationis momento acceptam per reliquam vitam seruauit ac tenuit. Hanc tamen priuilegij extensionem à Christo ad Deiparam neque veram, neque Virgini ipsi gloriosam reor: ideò verò illam falsitatis coarguo, quia nullum satis locupletem Authorem sibi numerat, nullam idoneam rationem affert: idcirco autem ipsi Virgini minimè gloriosam, & decoram esse affirmo, quia hoc priuilegium à plerisque bonis illam excludit, quæ pro statu vitæ maiorem gloriam, & decorem illi apportarunt. Nam primum fateri oportet, ipsam non habuisse fidem mysterij sanctissimæ Trinitatis. Alienum verò à ratione videtur B. Virgini, cuius fidem tantopere extollunt sancti Patres, præcipuam, & maximè nobilem fidei partem subtrahere, atque ad eandem fidei meritum magnopere extenuare. Rursus qui hæc asserunt, consecrariè fateri debent Deum ab eadè Maria iam inde à dicto Conceptionis suæ primo articulo fuisse comprehensum, spem quoque ac spei merita eidem prorsus adimunt: ac demum charitatis quoque valorem plurimum eleuant, dum illud quoque asseuerare tenentur, claram Dei visionem eiusdem Virgini amandi necessitatem adduxisse. Atque adeò dum libertatem dilectionis, quæ altera est ex conditionibus, causisque merendi, vel auferunt, vel imminuunt, præcipuum meriti caput eidem eripiunt. Sed dices, Christum Dominum cum clara Dei visione infinitum dilectionis meritum copulasse, quia nimirum quamnis circa substantiam & obiectum primum dilectionis vt sic, non esset liber, tamen circa materiam, & alia secundaria obiecta, & (si Deo placet) circa intensionem, aliasque circumstantias libertas ipsi facta tectaque manebat. Respondeo, in dilectione Christi erga Deum valoris mensuram non sumi ex libertate

bertate, sed ex deitate, aut vnione ipsum sanctificante: libertatem verò esse meram, & solam conditionem ad merendum. Nam quantumuis hæc libertas minor ac minor esset, opus quodcunque à Christo liberè præstitum infiniti meriti & valoris esse oportebat. At in B. Virgine, sicut in aliis hominibus maior libertas maioris meriti fons & caput extitit; & minor libertas operum bonorum valorem minorem reddebat. Quapropter quæcunque diminutio & extenuatio libertatis ipsi quoque bene merendi de Deo maiorem facultatem, & ipsorum bonorum operum pondus diminueret, atque extenuaret. Si ergo illi, qui Beatæ Virgini claram Dei visionem perpetuam, & nunquam interruptam à Conceptionis suæ primo articulo dedunt, præcipuam fidei partem ipsi adimunt, fidem illi, ac spem tollunt, & charitatis valorem tantopere eleuant. Quorum hoc illi attribuunt, quod pro eo tempore, quo merita sibi ac nobis profutura, cumulare & augere oportebat, tot ipsorum meritorum iacturas & detrimenta afferre opus erat. Ego quidem adduci non possum, vt hoc credam, quia neque ratio illud, neque authoritas obfirmant.

Sed obiiciet aliquis, Dionysium Richelium, qui in lib. 1. de præconio Virg. cap. 18. hæc ferit verba: *Filius Maria à Conceptionis suæ momento perfectus extitit comprehensor; ceteris ergo in hoc quo similior censenda est mater virginea. Neque alienum reor, si quod anima filij indefinenter impertitum est; matris etiam purissimæ sanctissimæque menti aut semel, aut quandoque, aut certè vbertim concessum quis asserat.* Vbi illa particula *vbertim* dictæ visionis perpetuitatem, non interpellatam significare videtur. Cæterum id non credo, nam vox illa *vbertim*, opponitur illi, quæ præcesserat, scilicet *quandoque*, atque adeò non continuationem, sed frequentiam, me iudice, ad significare dicenda est.

Ad susceptam verò thesin recurrens, ita decerno, ea quæ nos in eo cap. 39. *defensionis nostræ*, & B. Amadæus in præcitato loco scripsit de momentanea Dei visione pro Conceptionis tempore B. Virgini donanda, longè solidiora esse. Nam præterquam quòd locupletes valde assertores habet, nititur certè in quodam axiomate, & dignitate inter Patres satis celebri, nimirum omnia dona, quæ aliis Sanctis per reliquam deinceps vitam à Deo impertita fuerunt, quorum tunc capax erat in creationis suæ primo instanti vni Virgini affatim exhibita fuisse. de quo, vt alios dimittam, vnum hîc adscribam B. Thomam à Villanoua, qui in serm. 1. de Assumptione, hæc verba interferit: *Nihil vnquam alicui Sanctorum speciali priuilegio concessum est, quod non à principio vitæ cumulatiùs præfulgeat in Maria,* &c. Si ergo Moyfes cum legem à Deo accepit, & Paulus cum ad terium assumptus est cœlum, & alij fortasse aliquando, Deo ita annuente claram essentia diuinæ visionem adepti sunt, eam certè Virgini in vitæ initio, id est, in Conceptionis primo articulo tribuere fas est, & decorum est, vt proinde in eo articulo posita ita pronuntiare possit, *quia Sol circumspexit me*, vel, vt sonant Græci & Hebraici Codices, *quia Sol rectis radijs aspexit me.* Et ego similiter eundem Solem radios suos in me rectà vibrantem, rectis quoque illimis, & irretortis luminibus tunc excepi.

Quid plura: *Filij matris meæ* (inquit) *pugnauerunt contra me*, &c. Hæc verba cum superiori expositione, quæ de innocentia originali sanctissimæ Deiparæ locum istum edifferit, sic connexuit Ioan. Picus, *Fratres, inquit, mei eadem matre sati, id est, fideles Ecclesiæ filij meam innocentiam impugnauerunt, sed non expugnauerunt; atque adeò eorum impugnatio, & hostilias gloriam & splendorem mihi adauxit.* Ad quem sensum reuocare licet translationem LXX. *Filij matris meæ pugnauerunt in me*, in auferendi casu, quod aliàs perinde esse dixi, ac *pro me*. Nam illi, qui B. Virginis originariam puritatem oppugnant, dum contra ipsam arma conuertunt, pro ipsa potius decertare dicendi sunt, qui nimirum vnus impugnator innumerabiles propugnatores aduocat; & qui suspicionem culpæ Virgini mouent, victoriarum, & trophæorum occasiones eidem offerunt.

Possunt tamen aliter hæc verba edifferi: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, id est, filij Eux protoparentis meæ mihi bellum mouerunt; sed quonam modo? Quia nimirum hæreditariam ipsi ab origine sua labem trahentes me similem admodum eadem labe infectam esse videntur euincere. Sed re meliùs pensata, non tam *contra me*, quàm *in me*, & *pro me* pugnant. Nam ea, quæ ipsi pro peccato originali sustinent, meæ puritati adstipulantur, scilicet concupiscentia fomes peccati, & alia his similia: quia dum ego ab his omnibus libera inuenior, mea certè immunitas inde propugnatur ac defenditur, vnde impugnari & offendi videbatur.

Posuerunt me custodem in vineis ; vineam meam non custodiui. Immunitas à peccato, & originalis puritas hoc fecit. B. enim Virgo concupiscentiam nesciens, & peccati fomenta ignorans, tuta prorsus, ac secura propria vineæ custodia opus non habebat. *Vineam* (inquit) *meam non custodiui.* Non quòd seipsam neglexerit (verba sunt Pici,) sed quia virtute diuina custodita, & secura propria non egebat custodia, quia nimirum à fomite libera aprum de sylua ab intus insurgentem non habuit, & humilitate vallata singularem peccati ferum ab extrinseco inuadentem non sensit, &c. Sed quid inde? Quæ suæ vineæ custodiam ideo non curabat, quia in tuto posita erat, facta est aliarum vinearum custos, *posuerunt me custodem in vineis*, id est, reliquorum hominum aduocata, & patrona. *Quid times, quid trepidas anima mea* (inquit Picus) *tam sublimi & peruigili custode donata.* *Esto vinea electa, germen delectabile, virtutis botros facito, non labrascas vitiorum, & Mariam custodiam tuam aduigilantem senties.* Quæ nimirum eo diligentiore tibi exhibebit curam & custodiam contra tentationes & culpas, quibus assiduo inuaderis; quo ipsa ab omnibus culpis, & tentationum inuasionibus liberior existit, atque adeò de sui custodia minus sollicita, totaque ad eorum qui se fidei illius committunt, custodiam intenta est.

Vel aliter. *Vineam*, inquit, *meam non custodiui*, quòd scilicet ab omni peccato libera fui, & quòd alias, quæ ex peccato redundant, iniurias veravi, non ex propria obtinui virtute, ego enim meipsam custodire ac seruare non valui; sed Christi gratia & redemptio mihi prædictam immunitatem & libertatem attulit; hæc enim me custodiuit, ac seruauit. Et tamen hoc non tollit quo minus ego aliorum vineas custodiendas susceperim, quia id etiam Dei gratia mihi donauit, vt scilicet per Christum seruata & redempta, ad alias animas redimendas, & seruandas ipsi socia, & adiutrix forem. Quomodo autem in redemptione generis humani ab originali peccato, ipsius sodalis esse possem, si eiusdem criminis confors essem?

Quinta igitur & extrema interpretatio huius loci cohæret cum ea, quam in superiori versu quinto loco dedimus, vbi per nigredinem B. Virginis humilitatem, & eam, ad quam sese demisit, ancillarem conditionem significari diximus, quatenus apud Hebræos (sicut etiam apud nostrates) *nigri* pro *seruis*, *candidi* verò pro *ingenuis* ac liberis vulgò accipi consueuerunt. Ait ergo Maria: *Nolite me considerare quòd fusca sum, quia decolorauit me Sol.* Quasi dicat, nemini mirum videri debet quòd ego nigram & ancillam me æstimem, quia Sol iustitiæ me obscurat ac denigrat, quatenus in conspectu illius posita, & ipsi collata vix ancillæ nomen mihi sumere audeo. Atqui mater existis ô Maria, atque adeò libera & Regina, omnem enim seruitutem maternitas excludit: quomodo ergo ancillam te esse clamas, *Ecce ancilla Domini, Quia decolorauit me Sol.* Certè Sol obscuratus, & defectionem sustinens reliqua omnia corpora atra & obscura reddere solet. Quia ergo Sol iustitiæ Christus vsque adeò sese demisit, vt Paulus dicere non abnuat, *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*, &c. Propterea hæc Solis æterni obscuritas voluntariè suscepta me obscuram & atram reddit, id est, ancillam humilem dici, atque esse cogit, vt illi non dissimilis appaream. LXX. habent, *Quia aspexit me Sol*, quæ verba aptè quadrant in humilitatem Mariæ, quæ in Cantico suo ad Elizabetham dicto sic profata est: *Quia respexit humilitatem ancilla sua: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Sic nimirum respexit, quemadmodum cum Sol rectis radiis aliquid intuetur. Et sanè eximia Deiparæ humilitas hoc fecit vt Sol iustitiæ illam directè, reliquos verò obliquè & quasi per reflexionem intueretur. Luculentius dicam, in Mariam Christi gratia directis fulgoribus descendit, quatenus in ipsam primùm influit, & ad alios propter ipsam refluit. Nihil enim gratiæ à Deo in reliquos homines proficiscitur, nisi per Mariam; eius nimirum meritis & intercessione partum & quæsitum est. Ipsa enim est *speculum sine macula Dei maiestatis.* Siue, vt in Græcis Codicibus habetur, *Dei illuminationis, aut gloriæ.* Quia scilicet omnis diuina illustratio & gratiæ deriuatio in ipsam velut in candidissimum speculum rectà incurrens, ab ipsa & per ipsam in reliquos homines reflectitur. Quod non obscure significat Andreas Cretensis in *serm. de Annunciat.* cum ait: *Salve contemplatiua cognitionis speculum, per quod celebres spiritus Prophetæ incredibilem Dei ad nos descensionem adumbrarunt.* Quasi dicat, salve clarissimum speculum, quod totius cognitionis, & contemplationis diuinæ radios in te excepisti, & ex te omnis splendor in Prophetas refusus est, quo illustrati ipsius Dei ad nos condescensum describere potuerunt. Virgo enim sanctissima antiquis etiam Prophe

Prophetis lumen illud, spiritumque promeruit, quo perculsi futura ratiocinati sunt, vt aliàs dicemus. Quod ergo Andreas de fulgoribus prophetiæ hîc asseruit, id ipsum cogitare oportet de reliquis gratiæ diuinæ splendoribus, quos tam veteris Testamenti Patres, quàm Ecclesiæ fideles vel hauserunt hactenus, vel deinceps haurient: omnes enim à B. Virgine reuerberant, ac reflectuntur. Sed vnde, inquires, tanta Virginis gloria? Non aliunde certè, nisi ex humilitate: *Nolite*, inquit, *me considerare quòd fusca, vel nigra sim; quia rectis radijs aspexit me Sol.* Et suprâ dixerat, *Nigra sum, sed formosa*, vel, vt alij conuertunt, *nigra sum ac splendida.* nam vox originalis *formosam* simul ac *splendidam* sonat. Nota est speculorum compositio, quæ nimirum ex parte fulgida, ex parte opaca & nigra sunt: atque aded quæ sunt fulgida, lucem ac species, formasque rerum excipiunt; qua verò opaca & nigra, reddunt, atque reflectunt. Non aliter de Virgine cogita, quæ per humilitatem nigra, & fusca erat; per candorem animi fulgida ac splendida. Quapropter cùm Solis iustitiæ splendoris rutilis in ipsam rectâ incurrebant, certè candor animi in causa erat, vt dictos splendores exciperet; humilitatis verò opacitas vt refunderet: quia nimirum Beata Virgo dum se omni gratia indignam tam seriò profitebatur & sentiebat, tunc sanè & seipsam & Sanctos omnes eiusdem excipiendæ, per dedignationem suam dignos effecit.

Sed dices huic lectioni & expositioni planè aduersari translationem illam, quam secutus est Origenes, *Quoniam despexit me Sol.* Quam ipse sic edisserit: *Quia non directis, sed obliquis radijs me intuitus est.* Succedat memoriæ id, quod nuper dicebam de Prædestinatione B. Virginis ad existentiam, quam non directam, sed, liceat sic dicere, obliquam & indirectam, id est, occasione peccati, & propter Christum præfinitam docui, iuxtaea, quæ in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 24.* fusè tradidi: ita videlicet, vt donum creationis, quod aliis per Christi merita non fuit partum, soli Deiparæ per merita Christi contigerit. Sed quid inde? Certè inde præcipua humilitatis seges Beatæ Virgini suppetebat, vt suprâ quoque *vers. 1.* in expositione hypermystica non perfunctoriè explicauit; quia nimirum nihil in se comperire poterat, ne ipsum quidem creationis donum, quod Christo filio suo non referret acceptum: ac proinde per cognitionem sui vsque aded seipsam demittebat, vt nihil aliud sibi arrogaret, & quasi proprium vendicaret, nisi illud nihilum ex quo per Christi merita condita efformataque fuerat; atque aded etiam in natura naturam negaret, gratiamque agnosceret, dum ipsa quoque naturalia beneficia per gratiâ se accepisse pro certo habebat. Id ergo profitetur Maria hisce verbis: *Noli me considerare quòd fusca sim*, ne scilicet miremini quòd vsque aded humilis sim vt *nigram*, id est, ancillam Christi me esse fatear, *quia despexit*, vel *obliquè aspexit me Sol.* Seu, quod idem est, iuxta lectionem Ambrosianam, *quia non est intuitus me Sol*, supple rectè, & directè, quia nimirum Deus ipse iustitiæ Sol, qui est causa vniuersalis omnium creaturarum (sicut Sol corporum,) in meâ creatione & formatione non ad me directè, sed ad Christum filium meum intuitus est, cuius gratia condita sum, alioqui minimè futura. Quapropter quicquid sum, illius certè sum, atque meipsum nihil mihi arrogare ac proprium vendicare possum, nisi ipsissimum nihil, ex quo producta & procreata fui.

Quid plura? Omittenda non est lectio Philonis, *quia circumspexit me Sol*, quæ humilitatem etiam B. Virginis obseruauit. Equidem honores eos ac gloriolas quas homines tanta auiditate consecantur, *vmbras* appellat Tullius *1. Tusculan.* cui ad stipulatur etiam Gregor. Nazianzenus *orat. 3.* Audi ergo Mariam: *Nolite me considerare, &c.* Ne scilicet vobis mirum sit quòd fusca, id est, ancilla humilis æstimatione mea sim, quia circumspexit me Sol iustitiæ, id est, lumine suæ cognitionis me circumfudit. Quemadmodum ergo si solares radij vndique corpus aliquod ambient, nullas vmbras relinquunt; sic etiam diuinæ illuminationis fulgores me vndeque circumlustrantes omnes falsi honoris, & fucatæ commentitiæque gloriæ vmbras eliminant, fugant, ne quid earum consecari & persequi possem. Subdit statim,

Filij matris meæ pugnauerunt contra me; posuerunt me custodem in vineis. Cùm Beata Virgo se ancillam dixit, non modò humilitatem insinuauit suam, sed etiam obedientiam. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Rursus per istos eiusdem matris filios Angelos etiam signari ex Patrum doctrina, suprâ notauimus. Maria ergo cum summa humilitate obedientiam coniungens, Gabrieli Archan-

gelo, suo & aliorum Angelorum nomine (vt ait Gregor. Neocæsarienf.) *Incarnationem nuncianti, & persuadenti, per supra adscripta verba assensum denique præbui.* Ne quis tamen suspicari posset à tanta humilitate alienum esse quòd Beata Virgo ad tam excelsam dignitatem matris Dei acceptandam promptam nimis ac facilem se præberet, sic profatur : *Fratres mei pugnaverunt contra me, id est, vt summam illam dignitatem admitterem, Angeli fratres mei, & conciuēs me (si licet dicere) ex demissione animi repugnantem & obluētantem euicerunt, & expugnarunt.* An non repugnauit Maria cum ad vocem Gabrielis turbata est, illudque tandem adiecit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ita planè : sed Angelus suo ac sociorum nomine contra repugnantem pugnavit, donec ab illa consensum postea expressit : *Ecce ancilla Domini, &c. Posuerunt me custodem in vineis.* Custos vinearum seruum significat conductum, & mercenarium suas operas locantem ad culturam vineæ alienæ, vt constat ex illis verbis cap. 8. *Tradidit eam custodibus, &c.* Id ergo de se prædicat Virgo hisce verbis obedientiam suam commendans. Quasi dicat, Ego quidem non sum domina & hera, propriam excolens & curans vineam, atque operas, laboremque meum liberè ad nutum meum impendens : ancilla profectò & mercenaria sum, quæ operas meas Deo locaui, ipsi me conducendam tradidi, vt in omnibus rebus voluntatem ac nutum eius sequerer. Et sanè extrema illa verba, *vineam meam non custodiui*, ad obediētionem Beatæ Virginis retulit Nigidius, qui expositionem huius loci sic claudit. Notandum obediētiæ documentum, *Posita custos in vineis vineam suam non custodiuit, seque ipsam neglexit; quia verè obediens quisque ita à superiore iniuncta facit, vt propria deserat, & ita illis perficiendis insudat, vt sui curam omnem deponat.*

Appendix superioris expositionis.

PRÆTER ea, quæ hætenus diximus, & cum cortice allegoriæ magis cohærent; quia nimirum ad tempus antenuptiale pertinent, hoc est, Beatæ Virginis vitam ante Incarnationem describunt, occurrunt pauciores aliæ expositiones in Patribus, quæ eandem allegoriam sono tenus eidem Virgini accommodant. Honorius enim priora verba sic edisserit : *Nolite me considerare quòd fusca sim. Ne scilicet mihi hoc exprobetis quòd ex parentibus humilibus orta fuerim.* Puto autè hisce verbis ab Honorio adlusum ad modum loquendi tam Hebræis, quàm Latinis familiarem, qui viros nobiles splendidos, illustres & candidos; eos verò qui ignobiles sunt & degeneres obscuros vocare solent. Itaque ait : *Nolite id in me obseruare, nempe quòd fusca, id est, obscura sum, ab obscuris orta parentibus, quia decolorauit me Sol : id est, quia Sol iustitiæ elegit me humilem sibi matrem.* Quasi dicat, quia Sol per humilitatem decolorem effecit me, vt scilicet humilem effectam ad matris dignitatem idoneam inueniret : nam humilis filius non poterat non matrem humilem sibi adoptare.

Guilielmus & Hailgrinus per fuscum colorem compassionem Mariæ iuxta crucem, intelligit, hoc modo : *Nolite me aspernari, quia fusca ac decolor sum per sensum & dolorem passionis amantissimi filij mei, quia decolorauit me Sol, id est, quia ipse Sol iustitiæ defectionem, & eclipsin extremam passus me sibi similem esse voluit.* Possunt etiam huic interpretationi, quæ inter cæteras magis accommodatitias facilè princeps est, reliquæ translationes aptari : illa præcipuè, quam reddit translatio LXX. *Quia directis radijs aspexit me Sol,* quia nimirum sub hoc Sole iuxta crucem stans, tanquam sub zona Torrida aduri cœpi. Sed quomodo sub tanto ardore animum penitus angente atque torrente Virgo & mater sanctissima viuere potuit? Certè, vt aliàs dicebam, apud veteres ea opinio inoleuerat, illam cœlestis sphæræ zonam, quam Torridam vocant, aliàs lineam Æquinoctialem, propter Solis directos radios, vehementissimosque ardores inhabitabilem esse, nullumque hominem ad ipsam penetrare posse aiebant, quin Solis æstu percussus non statim interiret. Sed à nostri sæculi argonautis, qui ad nouum orbem transnatarunt, compertum est tandem sub zona etiam Torrida temperatas & ad incolendum aptas esse regiones; quæ nimirum vel ex cœli propriis influxibus, vel ex ventis assiduò perflantibus, ex fluuiis frequentioribus, ac demum ex fontibus & fluuiis quamplurimis è terra erumpentibus temperiem mutantur. Cogita ergo Beatam Virginem iuxta crucem stantem ac Solem iustitiæ suarum passionum ardores in ipsam directè deriuantem : & vix fieri posse credes, vt hæc sanctissima virago tam vehementes æstus sustineat ac viuat. Et sanè dubitare non li-

cer, ipsam tantis ardoribus percussam, quamprimum exanimandam iri, nisi illam cœlestis gratiæ influxus, sancti Spiritus auræ, & quæ ab ipso fluunt donorum impluuiæ, assiduò reficerent. Adde etiam perenne desiderium nostræ salutis, ac redemptionis, quod exæstuantem dolore, ac mœrore animum mirum in modum refrigebat. Hæc enim omnia ipsam ad eam temperiem adducebant, vt in tam vehemēti compassione nihilominus viueret.

Origenes conuertit, *quia despexit me Sol*, &, vt sæpè dixi, ad oppositum superiori sensum allicit. quasi dicat, non directè, sed obliquè aspexit me. Potest tamen hic sensus Mariæ iuxta crucem agenti non minus aptè accommodari, tunc scilicet cum illam Christus iustitiæ Sol non tanquam matrem, sed tanquam alienam quampiam fœminam affatus est, dicens: *Mulier, hic est filius tuus*; tunc enim non tam aspexisse, quàm despexisse, & quasi obliquè ipsam intuitus videtur Christus. Nota verò quanta sit consonantia, & concinnitas inter filium & matrem in hoc opere. Mater quidem filium, liceat sic dicere, obliquè aspiciebat, quia naturalibus affectionibus minimè obtemperans illum tanquam alienum passioni & morti pro salute generis humani voluntariè deuouebat. Quapropter filius erga matrem eodem modo se habens, & naturalem quoque affectum quodammodo exuens, cum illa tanquam cum aliena loquutus est, non matrem, sed *mulierem* vocans. Sicut etiam cum Patre per idem tempus egit: nam se ab illo non paternè amplexatum, sed quodammodo seuerè ac rigidè derelictum expertus, non illum Patrem compellauit, sed Deum. *Deus* (inquit) *Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Significans hisce nominibus tam patrem, quàm matrem filij incolumitatem communi saluti postposuisse. *Quia Sol* (inquit) *despexit me*. id est, è sublimi deorsum positam aspexit. Hæc enim est germana illius verbi significatio, id est, in crucem leuatus, veluti Sol supra verticem lucens inde ad me oculos deiecit, Christus enim inclinato capite emisit spiritum, atque ad eam matrem quæ iuxta crucem infernè stabat, oculos suos demittens simul ac colligens, sic expirauit. Quemadmodum Sol tunc deficere & eclipsin pati solet cum Lunam infra se positam directè respicit; Lunaque illos radios directos in se colligit. Quapropter ipse Sol naturalis id imitari volens quod in dicto congressu Christi patientis, & Mariæ compatientis spiritualiter contigerat in Saluatoris morte præter omnem naturæ ordinem & cursum, Luna ad locum alienum succedente eclipsin passus est.

Philo verò Carpathius ita conuertit: *Quia Sol circumspexit me*. Profectò circumspectio prouidentiam adsignificat, & ea circumspicere dicimur, quæ optimè curata volumus. Quantam ergo curam Sol iustitiæ Christus suæ matris circa crucem stantis susceperit, quanta diligentia & attentione eam circumspexerit, facillè demonstrant illa verba, quibus discipulum affatus est, dicens: *Hæc est mater tua: & suscepit eam discipulus in sua*. Per hæc enim factum, vt Beata Virgo Ioannis fidei & custodiæ commissa, amissi filij solatium aliquod haberet. De hoc moribundi filij erga matrem pietatis officio multa Patres. Audi vnum Ambrosium: *Hoc ergo testamentum filij est de matris integritate: hæc Maria locuples integri pudoris hereditas: hoc totius finis consummationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum, consummans omne mysterium bono fine pietatis*. O maximam filij circumspeditionem, qui nihil quod ad matrem illo tempore spectare poterat, improuidus incuratum reliquit, sed prouidentissimè omnia curauit. Nam duo erant quæ Deipara maximi faciebat; hæc sunt virginitas, & dignitas matris Dei; de vtroque autem moriturus iam filius eximie sollicitus fuit: virginitatem enim illi sartam tectamque esse volens, virgini discipulo tradidit, & maternitatis veritatem officio illo pieratis ad extremum exhibito, comprobauit, atque sanciuit. Vtrumque complexus est Ambrosius suprascriptis verbis. Hanc etiam prouidentiam filij erga matrem exaggerauit Cyprianus in serm. de Passione: *Nunc* (inquit) *Domine materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides sedulo benediētæ inter mulieres Apostolicam clientelam, & obsequium Virginis virgini discipulo tradis*. Quapropter videre mihi videor tunc temporis Sole iustitiæ ad occasum decurrente, sanctissimam Deiparam tanquam *hesperum cum filijs suis*. Hoc enim inter omnipotentis suæ præclara facinora recenset Deus, Iobum affatus, cap. 38. *Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facis*. In primitiuis est, & *vesperum cum filijs suis*. Lucifer ac Vesper vnus atque idem est planeta in cœlo, qui nimirum Solem præcurrens ante ortum Lucifer appellatur, & eundem Solem insequens ad occasum Vesper, aut Hesperus dicitur.

Maria

Maria igitur syderis istius nomina & officia in seipsa exhibuit: nam ante Solem iustitiæ Christum nata, vt eundem postea ex suis visceribus effunderet, Bosphoros, vel Lucifer fuit: iuxta crucem verò Christo occumbente stans, & post illius occasum superstes, Hesperus fuit. *Hesperus*, inquam, *cum filijs suis*, cum naturali & adoptiuo; cum Christo, & Ioanne: illum quidem amittens, & hunc, vt alterius vicarius esset, recipiens.

Quid plura? Sanctus Ambrosius legit: *quia non est intuitus me Sol*: idque Virgo Deipara de filio sub occasum mortis eunte pronuntiare potest. Iam scilicet, ex quo Christi in cruce occumbentis lumina clausit mors, *non est intuitus me Sol*; atque adeò omni solatio priuata, quando in tenebris sine Sole maneo, eiusdem Solis reditum & nouum ortum, hoc est, resurrectionem expectans. Mitto alia quæ lectori comminisci fas est.

Filij matris meæ pugnaverunt contra me, &c. Honorius hæc verba sic explicuit, vt illud, *contra me*, non sit aduersum me, sed quasi coram me, & in oculis meis pro me, atque adeò sic ferit: *Filij matris meæ*, &c. id est, *Propheta filij, Synagoga prædicauerunt de me: vel Apostoli & doctores filij gratia pugnaverunt contra me, id est, pro me (in oculis meis) prædicando contra hæreticos illos, qui dixerunt filium meum non esse hominem, sed phantasma: non Deum, sed purum hominem; ac me non de Spiritu sancto, sed de homine peperisse. Hi scilicet Apostoli posuerunt me custodem in vineis, id est, exemplum virginitatis in omnibus Ecclesiis, vineam verò meam, id est, virginitatem non ego custodiui, sed Spiritus sanctus in conceptu & in partu mihi umbram suam obtendens.* Sed tamen hæc aliquam vim afferunt verbis.

Melius Guilielmus, qui duas offerre videtur expositiones. Aliam, quæ cum superioris hemistichij interpretatione de Virginis passione concinit, hoc modo: *Filij matris meæ*, id est, Iudæi Synagogæ liberi; atque adeò fratres mei contra filium meum bellum suscipientes me potius impugnabant. Sed quid inde? *Posuerunt me custodem in vineis suis. Ipsorum iniuria non ad ultionem, sed ad misericordiam me prouocarunt. Nam vt eorum vineas, id est, animas, salutemque procurarem, ac custodirem, vineam meam non custodiui, id est, filij mei animam non seruauit, sed exposui, obtulique ad mortem, ipsamque vitam meam non curauit, sed in discrimen adduxi.* Propterea illic accommodat Guilielmus verba illa Christo propria: *Posuit animam suam in redemptionem pro multis.* Altera expositio est: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me: quia cum impugnarent ipsi contra suam salutem, (verba sunt Guilielmi) illos contra me pugnare putabam: de hominum salute non minus eram sollicita, quàm de mea.* Nam cum Maria duos sibi numeraret filios, Christum scilicet, ac genus humanum, vtriusque filij pugnas suas putabat, sed has quidem longè acriores, & molestiores, quàm illas centebat. Ideo naturalem filium à Iudæis impugnatum quasi in certamine emori boni consuluit, vt spiritualem filium à morte vendicaret. Huic sententiæ aptari potest lectio illa, quam tenuit Imperfectus, locum istum edisserens, *Filij mei pugnaverunt in me*, id est, duo filij prædicti, Christus nimirum, & genus humanum intra viscera mea pugnant, liceat sic dicere, acies suas alter contra alterum explicabat: pro naturali filio decertabant omnia naturalis affectionis desideria, quibus matrem filij sui vitam, & incolumitatem prosequi addecet. Pro spirituali verò filio stabant omnia spiritualis affectus vota, quibus humani generis salutem, & redemptionem eadem sanctissima Virgo concupiscebat. Prælium commissum est; post diurnam verò pugnam vicit spiritalis filius, cessitque naturalis, atque generis sui amantissima mater, & clementissima Regina hunc pro illo morti libenter obtulit. Atque ita factum, vt Maria plurimarum vinearum custos effecta suam vineam non custodiret, id est, plurimos filios alienos per adoptionem sibi assumens, & in tutelam suam recipiens, proprium ac naturalem filium, eiusque vitam & incolumitatem non seruarit, sed exposuerit.

Denique Hailgrinus explicans quæ sit erga nostrarum animarum vineas Mariæ custodia, inter alia sic ferit. *Facta est custos vinearum multarum, vt sciat quis palmas sit in vite, quis extra vitam, ne vaga & incerta suas impendat operas.* quod de cognitione & discretione prædestinatorum, à reprobis, intelligendum est; vt proinde omnis illa anima, quæ B. Virginis erga se prouidentiam, custodiam & culturam experitur, se vtique in prædestinatorum censura relatam meritò credere ac sentire debeat. Mitto alia leuiora.

Vers. 6. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

EXPOSITIO PROPHETICA
de Ecclesia.

REPETENDA sunt memoriâ ea, quæ fusè diximus in Isagoge huius commentarij de partitione dierum nuptialium. Nam *cap. 3. §. 4.* ostendi primam nuptiarum diem esse vtique tertiam Sabbati, & in nostra hebdomada feriam secundam; vulgò Martes, in qua die sub noctem ad vesperam sponsa vela gynæceo, vel à paternis ædibus exportata in domum sponsi traduci solebat. Vide ibi plura. Ac rursus in *cap. 6. §. 2. & 3.* longiori etiam oratione ostendimus iuxta sensum propheticum in magna totius mundanæ durationis hebdomada per dictam diem tertiam à Sabbato & post Sabbatum, tempus scriptæ legis notari, sub cuius finem veluti ad vesperam nuptiæ Christi cum Ecclesia per Incarnationem pactæ, celebratæque sunt.

His præconceptis vt prophetiam sub his verbis delitescentem eruamus, contemplari oportet Ecclesiam veterem, vel Synagogam fidelem ante aduentum Christi post legem acceptam circa medium tempus quod inter ipsam legis acceptionem & Christi Domini aduentum, circa Meridiem positam; per id enim tempus Prophetæ vixerunt à Samuele, & deinceps, vsque ad Zachariam, atque adeò per lucem maximam & splendidissimam, quam illi suis præclaris vaticiniis mundo inuexerunt, illius diei, quem lex scripta reddebat, Meridiem effectum meritò dicimus. Tunc ergo cum pro mensura illius lucis desideria Patrum excrescerent, & tota in Christum, eiusque nuptias suspiraret Synagoga, tantarum morarum velut impatiens, hæc pronuntiasse putanda est: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie?* id est, ô tu quem vehementissimè ardeo, vehementissimè suspiro, dilecte mi, fac vt sciam vbinam per istius diei, in cuius fine ad nuptias Incarnationis te venire oportet, meridiem manes: nam te ad me, vt necesse est, minimè aduentante, si fieri posset, vellem prorsus ad te contendere, & tibi sisti; vellem scilicet tempus omne peruertere, & præscriptas, definitasque in prædestinatione Dei moras abrumpi. Sed quid te mouet ô sponsa, quid te stimulat ô Ecclesia veterum Patrum, vt tanto ardore nuptias concupiscas?

Ne vagari incipiam, &c. Iuxta primam, & secundam expositionem corticis, quam ex lectione LXX. expressimus, sensus est luculentus: *Ne sim quasi circumamicta iuxta greges sodalium tuorum.* Ne scilicet tam diu inter Deos alienos, qui sunt riuales sponsi mei, fidem meam assiduè tentantes, posita, tristis omnino ac mœsta iaceam operito capite, vt mos fert lugentium: seu tanquam extremo supplicio damnatam me æstimem velata facie (sic enim accidere solet fœminis de adulterio conuictis, vt nuper scripsi.) Quasi dicat, ideo abruptis moris ad te venire, vel te ad me quamprimum accedere matrimonij iungendi gratia impensè desidero; quia inter tot deos alienigenarum gentium, qui sunt riuales tui, posita, & ad illorum adorationem quotidie inuitata valde luctuosam vitam ago, vel, quod grauius est, in tanto sum periculo, & discrimine, vt à vera religione ad idolorum cultum traducta, tuam, cui pacta & promissa sum, fidem violem; vt iam iam me de spiritali adulterio conuictam æstimem, nisi ocyùs accesseris, & celebratis per carnis assumptionem nuptiis me tibi arctius copulaueris, deorum sponsæ tuæ insidiantium multitudine procul amandata. Hoc sibi vult illud: *Ne sim veluti circumamicta.* Pro qua expositione notanda valde obseruatio Lorini nostri, qui affirmat, inter Hebræos non solum coniugatas, sed & eas, quæ sponsalia celebrauerant, si mœchos admitterent, adulteras censeri, & omnibus adulterarum legibus subiacerent. Huic expositioni adstipulatur Chaldæus, qui per sodales sponsi idola, & falsos Gentilium deos in societatem diuinitatis cum vero Deo admitti volentes, intelligit. Cum quo sentiunt reliqui Hebræi; hi sunt Salomon, Aben Hezrah, Innominatus & alij. Rursus Glossa Hispanica, quam Ascensionensem vocant, cum verba illa, *Ne sim veluti circumamicta,* sic conuertisset. Para

no ser como embuelta en sono de los rebanos, &c. in commentario sic ait: *Parano ser embuelta como presa per adulterio.* Subiicio quoque verba Aben Hezrhæ, *Indica mihi, quo scilicet pacto pascebant Patres greges suos, ut complectamur vias eorum, nec commiscemur, vel fornicemur cum dijs alienis, qui tui similes esse volunt.* Hæc iuxta primam corticis interpretationem.

Si autem secundam teneamus, spiritualis sensus sub allegoria delitescens hoc tantum à superiori diffidebit, ut per amictam non quidem mulierem adulterio damnatam, sed puellam innuptam, quæ scilicet velum virginale faciem vnde quaque obnubens nondum abiecerat, & coniugarum peplum faciem & oculos liberos relinquens, necdum susceperat. Itaque antiqua illa populi Hebræi Ecclesia circa Prophetarum tempora tanquam circa meridiem posita, id postulat, id contendit, ut si fieri posset, sibi iam tunc ad sponsum venire, & cum ipso nuptias copulare liceat omnibus moris abruptis, *Ne sit amplius tanquam circumamicta*, ne videlicet longiori tempore innupta maneat, pallium innuptis solenne gestans, *inter greges sodalium*, id est, inter Deos alienos sponsi sui riuales, atque adeo exposita illorum insidiis. Sed vide energiam huius sententiæ. Meritò sanè id grauer ferebat sponsa; quod cum eius diei, quem lex scripta efficiebat, meridiem iam teneret, Prophetis tantam & tam splendidam lucem vaticiniis suis mundo affudentibus, ipsa nihilominus eatenus velata & circumamicta erat, ne tantam lucem relectis oculis aspicere valeret: adhuc enim velamen illud gestabat, de quo Paulus 2. Corinth. 3. *Id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti non reuelatum manet, quoniam in Christo euacuatur: sed vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, &c.* Qua propter id in optatis habebat Ecclesia illa antiqua, id postulabat, ut nimirum sponso suo Christo tandem aliquando tradita liceret ipsi velamen illud deponere, quod meridianam illam Prophetarum lucem liberis oculis aspectare non sinebat. Rursus ideo etiam nuptias maturari, & quamprimum celebrari cupiebat, ne amplius maneret inter greges sodalium, id est, multorum deorum, qui ipsam ad sui adorationem & cultum nunquam non inuitabant. quia nimirum sicut puellæ quamdiu innuptæ sunt, plurimos habent petitores ac procos; vbi verò per matrimonium legitimum viro cuiquam copulatæ sunt, omnis procorum illas petentium contentio cessat: ita etiam Ecclesiæ contigisse constat. Nam ante Incarnationis Christi nuptias plurimos deos quasi multos procos ipsius fidem violare conantes, sustinuit: at postquam Christus carnem induit, & eandem Ecclesiam legitimo connubio sibi adiunxit, illa multorum deorum sui adorationem & cultum suadentium contentio intermissa est. Nil certius. Igitur Ecclesia illa antiqua id futurum sperans ac diuinans, quod tandem aliquando accidisse constat, vel ideo nuptias suas cum Christo ocyùs celebrari impensè optabat, ne inter sponsi sodales, id est, inter falsos deos, tanquam inter procos illius fidem corrumpere volentes tamdiu maneret, ut nimirum ipsi Christo legitimo adiuncta connubio, idola, à quibus se passim allectari & incitari sentiebat, quamprimum cessarent, fidemque suam integram, & incorruptam sponso seruariet.

Quòd si tertiam interpretationem, quam reliquis præferendam diximus, amplectamur, certè effracto cortice is erit nucleus: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, &c.* Sanè per sodales sponsi vel Dæmones cum Bernardo, vel idola cum Chaldæo concipi debere existimo. Ergo Ecclesia illa, quæ Christum præcessit, eiusdem Christi videndi ac perfruendi desiderio incensa, sic demum elocuta est: O tu sponse fili Dei, quem animus meus impensè diligit, quamdiu ita fieri non potest, ut tu ad mundum descendas vsque ad tempus præfinitum à Patre, scilicet sub vesperam, & finem legis; significa interim mihi locum in quo manè pascis, & meridie à pastu declinas, ut ego ad te rectà contendam. Hoc erat proprium illius antiquioris Ecclesiæ votum, ut nimirum quamdiu Christus in mundum non descenderat, ipsa certè per fidem & dilectionem, & spem, & per alios animi affectus, & si placet, etiam per obseruantiam legis ad illum spiritualiter veniret, atque ipsum spiritualiter caperet; & iam tunc vitæ, ac meritorum illius fructum perciperet: ut certè capiebat, ac percipiebat. Vel, si placet, ex nomine & ex affectu antiquorum illorum Patrum hæc dicta pura, quibus hoc fuit perpetuum, & constans desiderium, ut videlicet ad Christi vsque aduentum superstites manerent: ex nomine, inquam, illorum Patrum hoc postulantium, ut si quidem ipsum filium Dei non statim venire, sed

sed tempus illud à Patre destinatum sui ad mundum aduentus expectare oportebat, illos saltem ad ipsum superstites peruenire iuberet. Hoc certè desiderio arserat Simeon ille iustissimus vir, qui responsum acceperat non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. & Iob suum quoque votum testatus est, cum dixit: *& in carne mea videbo Deum meum.* Et David Psalm. 118. *Expectabam salutare tuum Domine,* &c. Sed præferenda est prior interpretatio, cum qua ea, quæ sequuntur, aptè coherent.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum, id est, demonstra mihi locum & viam, per quam ad te contendere oportet, quamdiu differtur aduentus tuus (ait veterum Patrum Ecclesia) ne si locum, in quo manes, & viam, per quam ad te sine errore venitur, non satis bene tenuero, atque prout sum velata, & circumamicta more puellarum innuptarum, hoc est, perfectam Dei cognitionem nondum assequuta (quippe quæ velamen illud necdum deposui, quod in lectione veteris Testamenti veri sensus notitiam mihi eripit,) si, inquam, ad eum modum velata hæc, illac inconstans deerrauero, scortum aliquod prostitutæ pudicitiae videbor; atque adeò Dæmones, vel (quod idem est) falsi dij tanquam proci impudentissimi inuadent me, & ad fornicationem, hoc est, ad idololatriam pellicient: id timeo, id caueo.

Et quidem iuxta hanc interpretationem, per meridiem persecutiones & molestias, quas à Gentibus sustinuit populus senior Hebræorum, accipere licet cum Chaldæo, qui sic habet: *Indica mihi quomodo gubernabuntur, & quomodo habitabunt inter populos, quorum decreta sunt his grauiora calore & æstu in reuolutione Thamuz,* &c. Vel, quod satius reor, eius diei, qui ex tempore illo conficitur ac componitur, quo lex scripta durauit, meridies propriè erit medium interuallum inter Moysen & aduentum Christi. Hoc autem non potest esse aliud, nisi illud spatium, in quo Prophetæ vixerunt, quorum scripta quandam veluti meridianam illi sæculo lucem afflarunt. Iuxta quam meridiei acceptionem præmissa interpretatio aptissimè cadit: vt nimirum sponsa, id est, Ecclesia vetus per illud tempus vbinam filius Dei sponsus eius ageret, discere vellet ab eodem Deo per ipsosmet Prophetas edocenda, atque informanda de loco & tempore aduentus eius: vt scilicet quamdiu Christus ipse ad illam corporaliter non descendebat, ipsa ad illum desiderio & affectu fiducialiter contenderet.

Sed dices, sanctos Patres præscripta verba non Synagogæ ante Incarnationem, sed Ecclesiæ potiùs post Incarnatum Christum tribuere solitos. Non inficior plures ex Patribus eo modo non de veteri, sed de Ecclesia noua huius loci prophetiam accepisse: sed duo mihi suppetunt pro multis. Chrysostomus in *homil. de veritat. tom. 5.* qui nostram expositionem ad vnguem tradit, & Ambrosius in *exhortat. ad virg. & in Psalm. 118. serm. 2.* vbi de Synagoga interpretatus est. Chrysost. ergo vbi descripsit desideria ac vota quibus antiqua Ecclesia aduentum Christi auidissimè olim concupiscebat, sic tandem infit: *Et sicut coniux amatrix viri, absente sponso suo per fenestras circumspicit, ipsum requirens, & ubique specularans in mari & in terra: & si viderit nauem venientem, ibi suum putat esse virum: & si viderit viatores procul venientes, inter ipsos adesse existimat. Et occurrens eis, interrogat, dicens: Dicite mihi, vbi eum dimiseritis, in qua regione, aut in qua ciuitate; quid dicentem, aut quid facientem, aut quando venientem. In hunc modum omnis sancta Ecclesia constricta amore Christi interrogat (sed quos interrogat) Prophetas, vidisti eum, putas venit, putas non venit? Putas adhuc in cælis est; putas adhuc nonaginta nouem oues, quæ non errauerunt, pascit per meridiem in cælo, & necdum venit ad erroneam ouem? Dicit e mihi, vbi pascit, vbi cubat quem diligit anima mea.* Et plura subtexit in hanc sententiam, quæ cum nostra interpretatione coherent.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

Indica mihi quem diligit anima mea, &c. Hoc ipsum quòd sponsa à nomine sponsi abstinet, & à suo erga illum amore compellat, non sine lepore expendunt Patres. Nyssenus *homil. 2.* sic addit: *Ita nomino, quia nomen tuum superat omne nomen; nec vniuersa natura particeps rationis illud effari potest, aut comprehendere. Nomen ergo tuum quo tua cognoscitur bonitas, est mea erga te beneuolentia. Quomodo enim te non diligam, qui me sic dilexisti, vt animam tuam posueris pro ouibus quas pascis. Non potest cogitari*

hac maior dilectio, quam tua anima, meam permutare salutem. Et fanè nihil æquè declarat Dei præstantiam, & bonitatem, sicut nostra erga illum dilectio. Nam quatenus est amor Dei super omnia, eiusdem Dei excellentiam super omnia quæ amari possunt, testatur: quatenus verò voluntatem nostram suapte natura frigidam ita accendit, ipsius Dei immensam bonitatem facile declarat, quæ nimirum tantum frigus in tantum ardorem abire faciat. Denique hanc testationem diuinæ bonitatis & excellentiæ in eo ponere videtur Nyssenus, quòd scilicet absens, ac necdum clarè visa tantum sui desiderium, & amorem in animis hominum excitet. putat enim sponsam de absente, & necdum conspecto sponso facere verba. In qua significatione, & contestatione diuinæ excellentiæ viatorum dilectio in exilio, superat amorem beatorum in patria. Denique dictam bonitatis diuinæ ostensionem nostræ dilectioni ideo tribuit Nyssenus, quia continet quandam veluti mensuram eius amoris, quo nos Deus prosequutus est. Si enim dilectionis nostræ erga Deum hoc proprium est, vt illum vitæ, saluti, & reliquis, quæ ad hanc vitam pertinent, bonis anteponamus, id quoque Christi sponsi erga nos amorem præstitisse constat, qui suam propriam vitam nostræ saluti postposuit. Vnde est illud Nysseni: *Non potest cogitari hac maior dilectio, quam tua anima, meam permutare salutem.*

Origenes homil. 2. ex quatuor, *Nono* (inquit) *nunc nomine sponsa appellauit sponsam. Sciens enim ipsum esse filium charitatis, imò ipsam esse charitatem, qua ex Deo est, quasi vocabulum ei istud imposuit. Quem dilexit anima mea: sciens quòd non qualicumque dilectione, sed ex tota anima, & ex totis viribus, & ex toto corde haberi debeat dilectio sponsi.* Cum Origene concors est Apponius, qui similia verba subtexit, & quid sit, ex tota anima diligere, exponit hoc modo: *Non enim vult alium quempiam socium amoris sui Deus in anima hominis, sed in tota virtute eius, in toto corde, in totis visceribus eius solus obtinere desiderat principatum, & in trino opere eius cogitatione, verbo, factoque solus discurrere delectatur, sicut trino mysterio se in Decalogo diligi postulat. Dicendo enim, Diliges Dominum Deum tuum; cogitationem sibi hominis velut palatium intitulauit: dicendo, ex tota anima tua, sermones sibi eius ad singularem laudem sacrauit: dicendo verò, in tota virtute, quis ignoret operam hominis nominasse, quam pro sua voluntate sibi vult totam impendi. Qui ergo in toto corde, in tota anima, & in tota virtute diligit Deum, nullum in se officium membrorum vacans relinquit peccato: praecipit enim totum habitaculum mentis suæ latissima Dei dilectione.* Hæc ad vnguem adscripti, quia lepore m habent.

Diuus Augustinus *serm. 50. de verb. Dom.* hæc verba, *quem diligit anima mea*, Ecclesiæ tradit; & ideo animæ eius hanc dilectionem tribui affirmat, quia prius in Ecclesia fit vna anima per mutuam fidelium charitatem, quàm vt Deus ab illa se diligi sinat. *Dicite* (inquit) *dicite omnes, & tamen vna dicat, quia vnitas dicit, Annuntia mihi quem dilexit anima mea. erat enim in illis in Deum vna anima, & cor vnum.*

Bernardus per hæc verba spiritualement dilectionem innui vult. *Et primò* (inquit) *aduerte, quàm eleganter amorem spiritus à carnis discernat affectu, dum dilectum exprimere magis ipsa affectione, quàm nomine volens, non dixit, quem diligo, sed quem diligit anima mea, spiritualement designans dilectionem.* Beda existimat hoc additum ab sponsa, vt sponsum ad redamandum excitaret: *Quia quo grauius* (inquit) *est periculum à quo eripi cupit, eo amplius illum, à quo eripi vult, diligit sponsa.* vt scilicet sua dilectione Dei quoque amorem in se prouocet, atque illius auxilium præsentius sentiat. Et fanè nullum aliud euenientium malorum opportunius ac præsentius remedium esse puto, quàm tunc, cum labores, & ærumnæ à Deo immixtæ vehementiùs vrgent, dilectione & charitate erga ipsum Deum magis ac magis accendi: sic enim (liceat ita audacter profari) ipsi Deo bonum pro malo reddimus, & carbones ignis super caput ipsius spar gimus.

Denique S. Ambrosius hæc verba Synagogæ tribuit, atque translationem Septuaginta, qui orationemi stam de præterito sic extulerunt: *Quem dilexit anima mea, ad hunc modum versat: Cur* (inquit) *Synagoga dicis, quem dilexit, & non quem diligit anima mea? Cur dimisisti quem tenebas? Dilexisti quidem olim Patrum fide, amisisti tua incredulitate: tenebas charitatis vinculis, amisisti longo fune perfidia.* Potest etiam id ipsum Ecclesia senior effecta cum primitiua collata, profari, vt notauit Origenes, & meritò dicere, *quem dilexit anima mea;* quia licet hodie dilectionem Christi non abiecerit, tamen olim tempore Apostolorum & Martyrum longè feruentiùs & chariùs

rius diligebat, ita ut amor iste deferuens ac tepidus, quo nunc ipsum amplectitur, cum antiquo compositus, vix amoris nomen promereatur, ut proinde non tam illum ad præsens diligere, quam semper dilexisse dicenda sit, & pro dilectione illa veteri quiduis petere ipsi liceat.

Vbi pascas, vbi cubes in meridie. Horum verborum quamplures interpretationes occurrunt in Patribus, quas diuersæ ac dissimiles meridiei significationes pepererunt. Origenes *homil. I. ex duabus.* Honorius, Psellus & Nyssenus per meridiem beatitudinis æternæ felicitatem concipiunt, in qua ipsum lumen gloriæ beatorum mentes plena luce irradians, deterfis umbris, quibus omnia velantur in hac vita, meridiem reddit. Audi Psellum: *Dic statim age, ô verbum Patris, quando iubes castè in meridie te expectari, te, inquam, lucem inaccessibilem, omni carentem umbra, vbi pascis oves tuas, & lumine vultus tui oblectas. Quia si in illo te loco prauertero, suauiter consopita tecum obdormiam.* Similia recitat Origenes. *Non quero, ait, alia tempora, quando scilicet vespere, quando diluculo, quando in Solis pascis accubitu. Illud tempus inquiri, quando in flore die plena luce in maiestatis tuæ splendore versaris.* Nyssenus: *Quando, inquit, in luce quæ caret umbra, si quidem meridies umbra caret Sole lucente super verticem. Nemo autem hac meridiana luce dignus censetur, qui non fuerit filius lucis.* Honorius denique inter alia sic fatur: *Meridies dicitur quasi mera, id est, pura dies, quando Sol in centro cæli clariùs lucet: & significat splendorem æternæ claritatis in patria, in qua Sol iustitia cum Patre & Spiritu sancto medius fulget.* Lege ea quæ diximus ad cap. 4. *Prouerb. ver. 8.* super illa verba: *Iustorum autem semita quasi lux splendescens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* vbi meridiem, seu puram illam meramque diem felicitatis æternæ, quæ nimirum diluculum excessit, & in vesperam occumbente Sole nunquam discedit, haud perfunctoriè descripsimus. Aliquid etiam ex Bernardo attexere libet de beatitudinis & meridiei similitudine. *O (inquit) verus meridies, plenitudo feruoris & lucis, Solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, factorum depulsio.* Ac ne crederes cuiusuis passim diei meridiem beatitudinis symbolum esse, addit Bernardus, felicitatem beatitudinis per meridiem illum notari, quem non hyemalis, sed vernalis, æstiuæ, seu autumnalis clarior ac placidior dies efficit. *O (inquit) perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies: ô lumen meridianum, ô vernalis temperies, ô æstiuæ venustas, ô autumnalis ubertas (ac ne quid videar præterisse,) fugatio hyemalis: aut certè (si hoc magis probas) sola tunc hyems abiit & recessit.* Sed quid est illud, vbi pascas, vbi cubes. Bernardus paulo antè: *Sed neque id prætereat te de hora meridiana, quòd is locus inquiritur, in quo qui pascit cubat simul; quòd est magna securitatis indicium. Arbitror enim ob hoc dictum cubas, quòd eo loci minimè necessum sit stare, nec vigilare super custodiam gregis, quando grex etiam cubante pastore, & pausante sub umbris, liberè nihilominus discurrat in pascuis.*

Ergo iuxta hanc significationem meridiei sponsa extra patriam in hoc mundo agens, vbi nox quædam profunda terras immergit, eum locum sibi demonstrari postulat, in quo meridiem æternum captare possit, & in meridie vnà cum sponso ab omnibus laboribus feriente cubare & otari: *Ne vagari incipiam iuxta greges sodalium tuorum.* Horum verborum cum superioribus nexus iuxta præmissam expositionem facilis est. Psellus sic nectit: *Significa mihi locum felicitatis tuæ, ne scilicet præter opinionem aberrans declinem potius ad gregem pastumque hadorum, & sinistrum sortiar locum.*

Bernardus ideo vel maximè locum beatitudinis & felicitatis æternæ sibi demonstrari ab Ecclesia postulatum dicit; ut nimirum ad illum rectà contendens minimè aberraret, neque inconstans vaguesque in hæreticorum, aut Gentilium Philosophorum deerrantes vias discedat. Vtteriùs etiam sic addit: *Mihi verò videtur non solum propterea, sed etiam propter dolos inuisibilium potestatum, quæ sedent in insidijs, & parant sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde: propter hos, inquam, & maximè mihi videtur meridies illa optanda.*

Denique Honorius sic comminiscitur: *Notum fac mihi locum, in quo te clarè depulsis umbris intueri licebit, ne sit opus tam diu ut vaga & inconstans per vestigia & similitudines illas tui ipsius te consecrari, quas creaturis impressisti. Has enim creaturas vel ideo sodales sponsi vocat Ecclesia, quia dicta similitudo illas concilians amicitia quædam videtur. Vel aliter, per sodales sponsi, id est, Christi, intelligere licet Superiores & Prælatos, qui vicariam eius potestatem exercent in terris, &*

pastores sunt ouilium Christi sub eodem Christo pastorum Principe constituti. Ita vt Iesus sit: Ediffere mihi locum in quo te clarè quasi per meridiem videre liceat in patria; ne sit necessum tamdiu plurium Pastorum, seu Prælatorum, quibus commissa sum, diuersas voluntates & leges experiri ac tenere. Id enim perquam graue existit, ne scilicet quamdiu te non video & colo in te ipso, in his qui vices tuas gerunt, te contemplari, agnoscere, & colere opus habeam. Nam id quoque miserum est, quod inter huiusce vitæ miserias & calamitates recensuit Diuus Augustinus *de ciuitate lib. 1. cap. 8.* Quomodo enim non miserum & graue sit, pro claro Dei, prout in seipso est, conspectu, quem humana mens audivissimè desiderat, vsque adeò obscuram eiusdem Dei cognitionem in Prælatis ac superioribus fortiri? Quomodo etiam non sit molestum pro vna certa & constanti vnus Dei voluntate & iudicio, plures voluntates & decreta valde incerta, & inconstantia multorum Prælatorum sustinere, ac perpeti.

Rursus ad hanc sententiam, quæ per meridiem beatitudinem concipit, alias horum verborum translationes allicere integrum sit: *Ne sim velut circumamicta*, &c. sic LXX. Ne scilicet amplius maneam plurimæ ignorantia velo obiecta, vt fert huius vitæ conditio: sed contrà ex mente Apostoli id mihi contingeret, *vt reuelata facie gloriam Domini speculari in eandem imaginem transformer à claritate in claritatem*, scilicet à claritate fidei ad claritatem visionis Dei, tanquam à matutina luce ad meridiem.

Ne sim veluti mixta. Sic Rabbi Salomon, id est, ne in hoc mundo cum peccatoribus permixta sim; ita vt vix indicio aliquo iustos à peccatoribus discernere liceat. Nam, vt ait Augustin. in serm. 254. de Tempore, *Eundem planè aspectum iustus & iniustus habet in hoc mundo.* Ex hac autem mixtione multa iustis pariuntur incommoda, non solum, quia iustis inter peccatores agentibus sapiùs adhæret iniustitia, sed etiam quia peccatorum pœnæ & supplicia illos etiam innocentes, adhuc tamen indiscretos sapiùs inuoluunt. Lege Augustin. in *Psal. 25. enarrat. 1.* & in *Psal. 6.* vbi de hoc peccatorum & iustorum commercio, & ex similitudine granorum & palearum in area non pauca ferit. Ex qua similitudine tum hæc, tum alia prædictæ societatis damna aucupari fas erit, vt propterea sponsa meritò se tanquam granum excussum & purum ab area in horreum transferri cupiat, dum ait, *Ne sim velut mixta*, &c.

Ne sim veluti reprehensa, &c. Ne scilicet reprehensione digna committam, id est, ne peccem, aut delinquam: hæc enim maxima huius vitæ calamitas, à qua eripi, & ad statum illum traduci exoptat sponsa, à quo peccata longissimè abhorrent; qui scilicet nihil coinquinatum, nihil impurum, nihil reprehensibile admittit. Vel aliter, illud grauissimum & molestissimum in hoc mundo, quòd nullus est etiam iustus & insons, qui reprehensiones ac censuras hominum fugiat: hi enim illa etiam, quæ honestissima sunt, carpere, irridere, ac suggillare consueuerunt. Id ergo grauiter ferens Ecclesia, vel anima iusta, ad cœlestem patriam transferri desiderat, cum his, de quibus Regius Vates sic occinit: *Abcondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Ex primitiuis pro contradictione restituere licet, à reprehensione linguarum. hoc enim est votum sponsæ ne sit veluti reprehensa.

Ne sim tanquam inuadens prædam, vel tanquam volucris rapax, vt restituit Pagninus. Certè illæ aues, quæ rapinas agunt, perspicacissimi, & acutissimi sunt visus; sed tamen aciem suam non quidem ad celsiora erigunt, sed ferè ad humilia, & quæ infernè posita sunt, demittunt, ac deponunt: inde enim prædas reportant suas. Hoc ergo vitium cauere vult Sulamites, id est, Ecclesia, vel quælibet iusta anima ad claram Dei visionem peruenire cupiens: ne scilicet in hoc mundo manens, cum alioqui acutissimis polleat luminibus, quæ nimirum excelsam Dei substantiam clarè intueri possint, tanquam aliqua ex rapacibus alitibus deiectis ab illa oculis ad eas, quæ in humo iacent, abiectissimas prædas, id est, ad consequenda & percipienda temporalia & caduca bona sese abiicere, atque demittere cogatur.

Illam etiam lectio, *Ne sim tanquam declinans, vel tanquam deficiens*, alteram huius vitæ ærumnam continet, quam anima, aut Ecclesia æternæ felicitatis compos effecta vitare desiderat, ne scilicet sit deficiens, aut declinans, à via illa, per quam Deus ipsam ad patriam deferre statuit, hoc est, à mediis, quæ per æternam prædestinationem ad gloriæ consecutionem ipsi sunt præparata & definita. Nam sponsæ votum hoc est,

vt scilicet sponsus locum, in quo per meridiem agit, sibi significet, vt rectà ad illum perferatur, ne si in illum ignorans, & incerta feratur, aut declinet, exorbitetque à recto itinere, aut denique erroribus suis lassata & confecta concidat, ac deficiat in via. Hæc autem sunt, quæ nostram prædestinationem (liceat sic dicere) detorquent ac dimouent, scilicet declinare à via per errorem mediorem, & deficere in via per imperseuerantiam. Vtrumque ergo verita pia anima, suæ felicitatis locum sibi certissimè significari, & ad ipsum ocyùs peruenire desiderat, ne salus eius tot discrimini- bus exposita sit.

Denique extrema illa Symmachi lectio, *Ne sim veluti funda iactata, vel in funda posita*, apposita est ad hanc sententiam. Diuus Ambrosius ad illa verba Prouerb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij.* Quæ LXX. Interpretes sic extulerunt, *Sicut qui alligat, vel ponit lapidem in funda.* Duo adnotat obseruatione digna; alterum est, lapidem non poni in funda, vt ibi semper hæreat, sed vt quamprimum excutiat. Alterum verò, lapidem funda excussum & proiectum, non ita certè in scopum regi solitum, quia rotatio fundæ sæpiùs in causa est, vt iactus ab scopo suo aberrer. Ait ergo iusta anima: Locum felicitatis & beatitudinis meæ significari mihi, abs te vellem. O Christe sponse mi, ne sim veluti lapis in funda positus; ne scilicet agam vitam hanc miseram, in qua diutiùs permanere nemini licet, & à qua tandem excuti, & extrudi oportebit. Atque illud etiam vereor, ne sicut lapis funda emissus & excussus ab scopo suo aberrare solet; sic etiam ego ab vltimo fine, quem mihi semper collimandum proposui, deflectar. Quasi dicat, ideo vitam illam beatam & æternam, quam spero citiùs consequi, & hanc quam dego, ocyùs deserere impensè cupio, quia nimirum hæc valde inconstans; illa verò quândiu viuo, nimium incerta existit. Vtrumque autem miserum reor. Rursus Salomon *Sapient. 13.* sic habet: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentia transuertit sensum sine malitia.* Pro *inconstantia*, subest in Græcis, *πευθασιμὸς*, id est, (liceat sic conuertere) *fundibulatio*. quæ vox concupiscentiæ inconstantes valde motus apprimè significat. Sicut enim lapis funda rotari, & in hunc, vel illum locum fortiùs emitti, & impingi solet; sic etiam animus per concupiscentiam circumferri, & in voluptates, honores, diuitias, aliasque & alias res per praua desideria validè admodum impelli consuevit. Hanc igitur tantam desideriorum inconstantiam & mobilitatem vt fugiat sponsa Christi, æternam felicitatem impensius appetit, vt omnibus suis desideriis & votis in vnum Deum collectis, concupiscentiæ inconstantem, mobilemque naturam, eiusque dissimiles & deerrantes affectiones fugiat. Est qui vocem illam *πευθασιμὸς* *δοτὸ τὸ ῥόμβος*, id est, à rombo tractam, deriuatamque putauit. Est autem rombus instrumentum, quo incantatores venefici ad transformationes & magicas ludificationes abuti solebant. Vide igitur, an etiam inde fluat vox illa *πευθασιμὸς*, quam Symmachus adscripsit hoc loco: quod fortasse agnouit Theodoreti Interpres, qui Symmachi lectionem sic restituit, *Ne sim veluti circumuenta*, liceat sic dicere, ne sim *πευθασιμὸς*, id est, *quasi rombo agitata*, seu fascinata, ne scilicet huius mundi præstigias, & veneficia experiar, quibus concupiscentia & amor terrenarum rerum homines ludificare & transformare solet (vulgò *hechizar encantar*,) quas vt euitet pia anima, meritò se ad beatitudinem quamprimum transferri desiderat, in qua omnia summè vera & candida sunt; nullus dolus, nullumque ludibrium locum habet. Hactenus de variis lectionibus huius loci, quas ideo huic primæ interpretationi adaptavi, vt designarem modum ac viam, per quam aliis, quas iam subscribo, Patrum expositionibus easdem accommodare integrum erit.

Secunda igitur expositio est Theodoreti, & trium apud ipsum Patrum, qui per meridiem clarissimam veritatis cognitionem concipi volunt. Quomodo autem meridies iste ab ipso Christo iustitiæ Sole efficiatur, luculenter explicant tres Patres: *Vbinam* (inquit) *pascis in meridie, dum omni falsitatis umbra discussa, tu qui es iustitia Sol, oues de veritatis via declinantes, præcipitesque in opinionum vitiosarum barathrum ruentes, cognitionis tuæ luce perfundis, & à labore nimio recreas.* Accinit etiam Origenes *hom. 2. ex quatuor*, ubi per diem claram Dei notitiam adumbratam docet; & quid diluculum, quid meridies huius cognitionis sit, aperit his verbis: *Meridiem appellat illa cordis secreta, quibus clariorem scientiæ lucem à Verbo Dei anima consequitur. Meridies enim est tempus quo Sol excelsiorem circuitus sui verticem tenet. Si quando ergo Sol iustitiæ excelsa & ardua virtutum suarum secreta homini manifestat, amœna pascua, cubi-*

liaque meridiana videbitur edocere. Nam cum adhuc initia habet discendi, tunc ei dicit Propheta: Et adiunabit eam Deus manè diluculo: quando verò excelsiora iam querit, meridianum scientiæ lumen deposcit, &c. Cum his etiam concinunt illi, qui in meridie veras fidei notitias contemplantur, per quas de Deo, & rebus diuinis edocemur. In his sunt Angelomus & Iustus Orgelitanus, qui eatenus Ecclesiam catholicam per meridiem intelligi oportere affirmant, quatenus in illa, & ex illa Sol iustitiæ Christus candidissimum fidei lumen fidelibus effundit. Non longè discedit Bernardus *in sermone* 33. qui per meridiem istum veritatis & cognitionis Dei ac rerum diuinarum, Dæmonis meridiani fallaces luces extingui, ac fugari affirmat: *Non enim (inquit) aliter nos custodire possumus ab incurso & demonio meridiano, nisi in meridiano æquè lumine. Quod quidem demonium ideo meridianum dictum existimo, quia cum meridie tenebræ voluntatis suæ nox & nox perpetua sint, diem tamen se ad fallendum simulare nonerunt; nec modò diem, sed & meridiem. Quapropter nisi cordi illius, quem fortè aliquod demonium meridianum tentandum accepit, Oriens ex alto illuxerit, verus meridies, qui falsum conuincat & prodat, tentabit, & supplantabit sine dubio sub specie boni; pro bono scilicet malum incautis & improuidis persuadens. Quòd tunc meridies, id est, maior claritas apparet, tentans eum quasi boni maioris imaginem præfert.*

Nexum autem posterioris cum priori hemistichio sic adstringunt præscripti Patres. *Ne vagari incipiam, &c.* Theodoretus per sodales Pseudo Apostolos intelligit, & ideo Ecclesiam veritatis & cognitionis Dei meridiem sibi demonstrari cupiat, ne ad illos diuertat, qui ementito pastorum nomine greges suos *non ducunt, sed seducunt.* Cum hac expositione congruit lectio & explicatio trium Patrum, qui sic aiunt: *Ne quando veluti circumuenta deprehendar inter greges sodalium, id est, ne quando circumscribar inter greges ab ouili tuo seiunctos, veritatis inscitia me ad illos aggregante.* Accinit Iustus Orgelitanus, Angelomus; Origenes verò semel quidem per sodales pastores gregum Angelos intelligit prouinciarum custodes, iuxta illud: *Statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei.* Deuter. 32. *Isti (inquit) sunt fortasse greges sodalium sponsi, Gentes scilicet cuncta, quæ veluti pecora sub Angelis pastoribus constitutæ sunt.* Timet igitur sponsa in horum greges discedere, aut declinare, & parere vult consilio Christi Domini: *In viam Gentium ne abieritis.* Iterum verò per dictos sodales Gentilium Philosophos concepit. *Ob hoc autem requirit sponsa meridiana Christi cubilia, & plenitudinem scientiæ poscit à Deo, ne videatur esse sicut vna ex Philosophorum scholis, quæ adoperta nominatur pro eo quòd plenitudo veritatis apud eos resecta est. Sponsa autem Christi dicit: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculamur.*

Ulterius etiam omnes translationes huius loci præscriptæ expositioni aptari possunt, *Ne sim veluti circumamicta*, quia fides & cognitio diuinorum ignorantia velum adimit: imò fides ex reuelatis fit, & reuelatis innititur, ac proinde Ecclesiam velatam se esse non patitur. *Ne sim veluti mixta, &c.* Fides enim est prima nota quæ Christianos ab Ethnicis discernit, ac separat. *Ne sim tanquam volucris prædam inuadens.* Ne videlicet sicut aues rapaces ex aucupum manibus emissæ & elapsæ, non rectà, sed per multos gyros & anfractus ad prædam feruntur; sic etiam ego per multos errores ad vnã aliquam veritatem assequendam veniam: id enim fuit proprium antiquis Philosophis fide carentibus. *Ne sim veluti fundibulata*, eodem sensu, ne videlicet inconstans ac mobilis fiam in omni doctrina. Tales enim sunt hæretici, per omnes sectas mobiles, & in nulla religione constantes. Vel, ne sicut lapis funda circumductus, & contortus, sæpius ab scopo aberrat, sic ego per multos errores circumducta, nullam veritatem attingam. Aut, si placet, iuxta aliam acceptionem vocis Græcicæ, *Ne sim veluti fascinata*, id est, ne falsorum dogmatum fascinationibus deludar, & cum Galatis à Paulo sic incusari possim: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est.* Mitto alias lectiones, quæ faciliorem accommodationem habent. Satis enim est in his applicationis formam luisse.

Tertia expositio horum verborum, per meridiem charitatis feruorem accipit. Sic Anselmus, Angelomus & Augustinus *in epist. 48. ad Vincent. serm. 50. de verb. Domini, & in lib. de unitate Ecclesie cap. 18.* & Author incertus sæpè aliàs citatus. Anselmus enim sic ait: *In meridie, id est, in feruore charitatis: qui scilicet non sunt in vespere, ut iam in eis dilectio frigescebat, neque in manè, ita ut sit in eis tenera & noua.* Augustinus verò in dicto sermone sic habet: *Quid significat Meridies? magnum splendorem, magnum feruorem. Ergo notum fac mihi qui sint sapientes tui? spiritu feruentes, & doctrina fulgentes.*

fulgentes. Sed luculentius in libro de vnitate Ecclesiæ, *Indica*, inquit, *mihî, qui sint Meridies, vbi tu cubas, id est, qui habent charitatem, & non diuidunt vnitatem.* Hæc ille contra Donatistas, qui ex his verbis Salomonis euinci putabant, veram Ecclesiam esse in Africa, in illis nempe regionibus, quæ ad Austrum, & Meridiem vergunt, vbi Donatistarum impia hæresis progerminauit.

Sed quo modo cum his cohærent sequentia, *Ne vagari incipiam, &c.* Augustinus in dicto libro per sodales hæreticos intelligit, *Ne fortè, ait, veluti operta, id est, occulta & ignorata irruam in greges hæreticorum.* Hi enim quasi ad Aquilonem vergentes, charitatis calorem, quæ Ecclesiæ membra fouet, ac continet, prorsus ignorant. In sermone verò illo nuper citato, *Ne, inquit, incidam in eos, qui alia de te dicunt, aliud de te sentiunt, alia de te credunt, alia de te predicant, qui sodales tui sunt, quia de mensa tua edunt, & mensa tua sacramenta pertractant: sodales enim dicti sunt quòd simul edant, quasi simul edales.* Itaque Augustinus eos hîc sodales sponi appellatos vult, qui cum bene de Christo apud se ipsos sentiant, tamen contra mentem suam non satis bene de eo loquuntur apud alios. Angelomus verò eos sodales sponi dictos hîc putat, qui cum fide charitatem & opera bona non copulant; sed tum maximè Sacerdotes & Prælatos, de quibus sic ferit: *Omnes Sacerdotes, omnes Doctores sodales sunt quantum ad speciem; quantum verò ad vitam, multi non sunt sodales, sed aduersarij sunt. Vnde multi paruuli qui appetunt bene viuere, considerantes vitam Sacerdotum iniuste viuendum in errores dilabuntur.* Denique alij sodales sponi bonam in partem accipientes, appositè ad superiorem expositionem eos intelligunt, qui inter se & cum Christo charitate coniuncti sunt, ita nimirum, vt sponsa propterea se ad meridiem, id est, ad eum locum, in quo feruet charitas, deferri velit, ne inter eos, quos dilectio mutua inter se & cum Christo copulat, vaga prorsus & ab ipsis separata incedat. Hæ autem sodalium acceptiones, & posterioris hemistichij explicatio cum præmissa expositione aptius cohærent, iuxta quam alias translationes supra scriptas illi adaptare cuilibet integrum est.

Ne sim quasi circumamicta, ne scilicet præ pudore coram his prauis Sacerdotibus faciem meam operire necesse sit, ait Ecclesia: quòd eos Doctorum ac Superiorum loco habeam verecundata. Vel ne coram eis caput operire cogar, velamen accipiens, quod subiectionis, & obsequij symbolum existit: nam talibus parere ærumnosum planè, ac miserum est. *Ne sim veluti auis rapax.* Aristotel. *histor. animal. lib. 2.* docet aues vncungues & rapaces non esse gregales, hoc est, nunquam in greges conuenire, sed singulas seorsum volare, ne suarum prædarum participes habeant. Aptè igitur sponsa, quæ iuxta mentem Augustini charitatem requirit, per quem vnitatis & indiuisio Ecclesiæ notatur, ita subnectit: *Ne sim aui rapaci similis,* id est, ne scilicet ab eo grege, quem charitas cogit, & ab his, qui tecum & inter se charitatis vinculo deuincti sunt, recedam. Sic enim accipio illud, *iuxta greges sodalium tuorum.* Vel aliter, *Aues rapaces,* vt docet idem Aristoteles, regiones frigiditas amant, atque adeò ex partibus Aquiloni subiectis exportari solent. Meridiem ergo sibi notam fieri postulat anima, aut Ecclesia, id est, cum his conuersari optat, in quibus charitas feruet: in his enim sponsus eius Christus requiescit; ne tanquam auis rapax ad eos diuertat, in quibus charitas refrigescit; qui ferè ex rapinis viuunt, dum alij aliis honores, diuitias, & voluptates præripere contendunt.

Ne sim veluti mixta. Capió verba vt sonant, & illud obseruo, mixta omnia ex mente Philosophi ex contrariis coalescere, atque adeò per ea, ex quibus constant, ad extremum corrumpi. Id ergo euitare vult Ecclesia, ad charitatis, & vnitatis meridiem transferri peroptans; ne si à proximis suis discors & auersa sit, etiam intra se contrarias & oppositas affectiones quasi contraria elementa experitur, à quibus in corruptelam summam perducitur solet. Rursus, *Ne sim veluti fundibulata,* id est, ne à grege & communionem eorum, qui tibi societate coniuncti sunt, tanquam funda expellar. quæ lectio in excommunicatos & eos, qui per Ecclesiasticas censuras à commercio Ecclesiæ arcentur & separantur, aptissimè quadrat. Illam etiam lectionem, *Ne sim velut fascinata,* quæ scilicet vocem *περικεραυμένη, ἀπὸ τῶν ῥάβδων,* deriuat. Ad hanc etiam expositionem aduocare licet, si per sodales malos Sacerdotes & Doctores capiamus, ita vt sit sensus: Fac vt ad eos veniam, qui charitate feruent, & zelo animarum exæstuant, ac rectæ quoque doctrinæ lucem effundunt (hos enim per Meridiem notari vult Augustinus) ne fortè mihî pro magistris sapientibus Magi & in-

cantatores eueniant, qui non tam me verbis suis erudiant, quàm fascino, & incantent: atque ad eò erga eorum voces aspidis astum imitari oporteat, quæ obturat aures suas, ne incantatorum voces exaudiat. quia erga eiusmodi prauos Doctores præstat magis insurdescere, quàm eorum voces exaudire. Ad hunc modum tute tibi alia comminisci, & reliquas lectiones accommodare poteris.

Quarta interpretatio per Meridiem tentationis & persecutionis tempus concipit. Sic Honorius & Beda. Ille enim sic habet: *Meridies, cum est Solis feruor, tempus est persecutionis: tunc verò Christus cubat in cordibus credentium, fidem videlicet ac dilectionem vsque ad finem tenentium.* Beda verò hæc adiungit: *Inter eas cubat meridie; quia ne feruore tentationum intus arescant, in fidelium cordibus manet.* Et infra: *Quia multifaria me aduersantium persecutio instar meridiani æstus afficit, obsecro vt declares mihi,* &c. Subnectit:

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum, &c. Honorius hæc verba cum antecedentibus sic censuit: *Ne ad conuenticulos hæreticorum discedam, ex quibus multi quidem passi sunt, sed Martyres esse non potuerunt, quia charitatem non habuerunt, sine qua neque ipsa passio aliquid valet, dicente Apostolo: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam (scilicet in meridie persecutionis,) charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Beda per hanc interrogationem sponsæ, *Indica mihi,* &c. significari autumat quæstiones illas, quas Ecclesia in feruore atque æstu seditionum, quas ab hæreticis sustinet, ad Synodos & Concilia deferre solet, vt in his de veritate edoceatur, ne ad ipsorum hæreticorum cœtus diuertat, & eorum dogmata amplectatur. Aliter etiam dici potest, hoc esse votum sponsæ, aut Ecclesiæ, aut piæ animæ, vt persecutionibus ac tentationibus propter Christum exerceatur, quia in his, qui tentationibus & persecutionibus vexantur, Deum suauius quiescere, & iucundiùs otari certò scit: & quia per passiones & tribulationes fit, ne vaga huc, illuc oberrans, & probitatis, virtutisque viam deserens, ad impiorum semitas deflectat. Nota huius expositionis emphasin. Ad meridiem persecutionum, & tentationum transferri vult sponsa, vbi cubat sponsus: hoc nimirum desiderans, vt ipsa patiente quiescat, ferieturque sponsus. Et fanè ita res habet: nam quo iusti grauiùs laborant, & molestiùs exercentur, eo suauius in illis requiescit, oblectaturque Christus; ita vt iustorum exercitatio & labor otium ac quietem illi pareat. Sed quænam mala fugiant ac declinent illi, qui ad eum modum in tentationum ac tribulationum æstu meridiano Christum inueniunt, aperit sponsa illis verbis:

Ne vagari incipiam, &c. Sanè id proprium tentationum, atque laborum, vt vagam & mobilem animi naturam quasi addito pondere obfirmet, & contineant, ne huc, illuc oberret. Reliquas lectiones perstringo, quæ huic etiam sententiæ non illepidè aptantur. *Ne sim veluti operta, vel circumamicta,* ne scilicet ignorantia velum mentis oculos tégat: hoc etenim velum tentatio, siue persecutio adimit, & intelligentiam plurimam animæ confert. Audi Esaiam cap. 28. *Flagellum inundans cum transferit, eritis in conculcationem. Quoniam manè diluculo in die, (alij in meridie,) & in nocte, & tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui.* Obserua leporem huius sententiæ quæ tribulationi & labori primum manè, meridiem & vesperam tribuit. Per quæ plures significatum volunt, nullum tempus homini à tribulationibus & tentationibus vacuum dimitti, pueritiam, iuuentutem & senectam. Alij verò in his tribulationibus initia, media, & fines contemplantur; & hæc in manè, meridiem ac vesperam ab Isaia distribui existimant; ita vt manè, vel diluculum sit primus tentationis & laboris motus ac pulsus, qui ferè mollior esse solet: meridies verò sit feruor eius cum calet, exæstuatque tribulatio: vespera verò eiusdem finis, cum iam remittitur ac defertur. In qua similitudine illud notandum, cum ipsa tribulatione lucem crescere ac decrecere. Nam in primo tentationis pulsù cum minor est tribulatio ac tentatio quædam veluti diluculi claritas animum illustrat; in feruore verò tentationis & tribulationis longè maior splendor tanquam meridies mentem irradiat. Cum verò eadem tentatio & tribulatio remissior & pacatior est circa finem, minor quoque lux tanquam vesperæ in noctem discedens animam perfundit: vt proinde certum sit, eandem esse tentationis, & cognitionis Dei, seu lucis, ignorantia tenebras discutientis mensuram. Atque ab ea, quæ ad meridiem tentationis & persecutionis transire volebat, aptè dictum; *Ne sim veluti circumamicta,* &c. Quod sicut animæ, ita etiam Ecclesiæ aptari potest.

Ne sim quasi mixta, quia scilicet tentatio & persecutio omnem adulterinam mixtionem tollit, & puram, defecatamque animam reddit. Nam in Ecclesia tribulatio ac passio sic improbos à iustis discernit, quemadmodum ignis aurum, vel argentum à deteriorum metallorum scoriis separat, ac discludit. In anima verò omnem prauam affectionem tanquam adulterinam excoquit, ac suppurat, iuxta illud: *Sicut aurum in fornace probabit illos*, Sapient. 3. Et Iob de seipso prædicat: *Et probauit me quasi aurum, quod per ignem transit.*

Ne sim tanquam auis rapax, id est, ne similis sim, vel fiam aui cuiuspiam efferæ & immiti, prædas agenti. Id enim tribulationis proprium, vt efferatos animos comprimat, & ad mansuetudinem traducat. Quid animosius, quid efferacius, rapaciusve aquilâ? quid mitius, quid imbellius columbâ? Tanta igitur est tentationis ac tribulationis vis, vt animosas, efferatas & rapaces aquilas, naturam demutantes, in valde mites, & imbelles columbas abire faciat, & in agnos leones conuertat. Huc spectat illud Ezechia Regis apud Esaiam cap. 38. qui ex grauiori morbo ad desperationem salutis adductus, sic pronuntiauit: *Sicut Leo, sic contriuit ossa mea: sicut pullus hirundinis, sic clamabo; meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei*, &c. quæ verba expendens Beda sic addit: *Mirari licet aquilam regiam à morbi & febris vehementia in columbam ex tempore mutatam, & Leonis ad imperium nati robur & animos perinde sibi à morbo sicut agnum à Leone vereri. Ait enim, sicut Leo, sic contriuit omnia ossa mea*, &c.

Ne sim veluti fundibulata, vel, quod idem est, veluti funda excussa. Dauid in Psalm. 126. *Sicut sagitta in manu potentis, ita filij excussorum.* Interpretes hinc Hebraismum agnoscunt; ita vt perinde sit, *filij excussorum*, ac si diceret, *filij excussi*. Filios autem excussos appellat Vates filios repudiatos, & à patria potestate exclusos, vt quidam volunt: per filios autem excussorum Apostolos intelligunt à Christo electos, cum essent nati ex parentibus reprobis, & à Regno Dei exclusis, scilicet ex Iudæis. Itaque nomine *excussorum* in hoc loco vel reprobos parentes intelligere licet, vel filios à patria parentum potestate repulso. Ideo igitur Ecclesia, vel sancta anima, in laborum & tentationum æstum venire desiderat, *ne fiat sicut funda excussa*, id est, ne si tribulationum, & tentationum exercitatione careat, cum his numeretur, de quibus Apostolus ad Hebræos 8. *Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis.* Nec solum à patria Dei potestate excludi, sed etiam inter reprobos censerit timet: hi enim sunt veluti funda excussi, id est, longiùs à Deo proiecti, & ab ultimo fine & scopo suæ felicitatis depulsi. Sic enim *proiectionis* vocabulo significatur reprobatio 1. Reg. 15. *Quia proiecisti sermones Domini, & proiecit te Dominus*, &c. & cap. 16. *Vsque quò luges Saul, cum ego proiecerim eum.* Vtròbique autem Symmachus vtitur verbo *πεπελάει*, quod est funda proiicere.

Ne sim velut fascinata. Prosperitatis, & secundæ fortunæ proprium est animos hominum incantare. Huc spectant illa verba Sapient. 3. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia*, Græcè *πεμβασυδός*, hoc est, (vt aliàs animaduerti) *incantatio* concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Quos ergo prosperitas & commentitia felicitatis huius mundi veneficiis suis incantat, & transformat, hos tentatio & aduersitas excantat, ac sibi restituit; vt proinde meritò sponsa, id est, Ecclesia, vel anima tentationibus probari, & tribulationibus vexari impensè cupiat, *ne sit incantata*, ab his scilicet, quibus temporalis felicitas vti solet, fascino & incantationibus libera. Nota tentationis vim. Prosperitas quidem duo incantatorum propria munera obit; *obscurat bona, & transuertit sensum*. Nam veneficis hoc valde solemne est, thesauros quidem incantationibus tegere ne videri, aut inueniri possint; & homines etiam in belluas transfigurare, ac conuertere. Vtrumque agit prosperitas sæculi, & concupiscentia illius; nam obiectis falsis, & commentitiis bonis vera & solida bona altissimè regit, & oculis eripit. Hoc sibi vult *obscurat bona*, & hominem rationis compotem ad irrationabilium belluarum appetitiones transfert. Hoc significat *transuertit sensum*. Vtramque igitur incantationem dissoluit tentatio, tribulatio, & aduersitas: nam istæ, deterfis mendaciis, quæ sint vera & germana bona ostendunt, homines rationi restituunt, & ei, quam amiserant, naturali formæ reddunt. Alia plura tute tibi meditari, & reliquas translationes ad eundem modum interpretari, & accommodare poteris.

E X P O S I T I O M Y S T I C A
de Anima.

NNDICA *mibi quem diligit anima mea, &c.* Ex his quæ diximus in expositione mystica primi carminis, & aliis etiam locis inculcauimus, constat in hac prima cena describi ea, quæ proximè ante nuptias suas cum Christo anima secum agitat. Cogita ergo animam in spiritali illa hebdomada, quam suprà in Isagoge huius Commentarij fusè descripsimus, ad tertium diem redactam, in quo nuptias copulare oportebat; nimirum à fide in spem, ab spe in charitatem deductam. Nam ex his virtutibus, & earum operibus, tres præfatæ spiritalis septimanæ dies confici, ex mente Augustini, & Pici Blesensis inibi ostendimus. Rursus illud etiam tibi propono, in qualibet harum spiritalium dierum principium, medium & finem perinde distingui, sicut in naturali die diluculum, meridies, ac vespera, ex quibus constat, ut inibi etiam præfati sumus. Et sanè ea dies, quam charitas & dilectio Dei conficit, ut ex doctrina Bernardi in eodem etiam loco tradidimus, diluculum accipit à motu primo, quo voluntas à congrua vocatione excitata antequam accedat deliberatio, subito afficitur: quem subitum motum nomine delectationis passim compellat Augustinus, eumque quatenus naturaliter & necessario sequitur, excitationem primam vocationis congruæ ad gratiam præuenientem pertinere docet Vazquez *in 1. 2. dist. 185. cap. 6. & 7.* ex mente eiusdem Augustini, Hieronymi, Bernardi, Prosperi, & aliorum Patrum. Meridiem verò eiusdem diei facit desiderium & concupiscentiam boni, quo anima efferuescit ante dilectionem perfectam. Vesperam demum perficit consensus plenus, & deliberatus, scilicet ipse actus dilectionis perfectæ, in quo nuptiæ ratæ animæ cum Christo consistunt, quas in spiritali hebdomada ad vesperam huius tertiæ diei celebrari, in eodem loco copiosè docuimus. Hæc tria, quæ ad iustificationem conuenire diximus (ut alios dimittam) paucis complexus est Hieronymus *in dialogo 3. contra Pelagianos. Vbi misericordia (inquit) & gratia est, statim ex parte liberum cessat arbitrium, quod in eo tantum est, ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Ut velimus, scilicet per subitum motum voluntatis, ut cupiamus, per feruorem boni desiderij; ut placitis praebeamus assensum, per dilectionem perfectam.* Dices, vesperam, in qua lux diei paulatim in tenebras discedit, parum aptè charitati tribui. Respondeo in his spiritalibus diebus manè, meridiem & vesperam non distingui & diuidi ex perfectione, claritatis & lucis; quia mensura huius spiritalis illuminationis, quam anima assequitur per Dei ac diuinarum rerum magis, aut minus illustrem cognitionem, non sumitur ex dierum spatiis, sed ex velatione, aut reuelatione sponsæ, ut in eo etiam capite præfatæ Isagoges adnotaui. Quapropter ista temporis diurni partitio in manè, meridiem, & vesperam, ex sola distinctione principij, medij, atque finis sumi debet. Quod magno consilio à Propheta factum sentiet, quisquis animaduernerit dies per sua spatia à luce in tenebras abire, & rursus à tenebris redire ad lucem: claritatem verò illam cognitionis Dei in Ecclesia per continuas, & nullis noctibus interpellatas accessiones creuisse. Atque adeò agnoscer dictæ claritatis symbolum accommodatum sumi non posse à præfata dierum successionem & partitionem, quæ per lucis accessum, & recessum fit: sed aptam, idoneamque similitudinem claritatis præscriptæ ex sponsalitia velatione & reuelatione, quæ per quatuor nuptiales dies fieri solebat, accipi debere, ut in eodem capite prælusimus.

His ergo prælibatis, quæ ad captandum, demonstrandumque matutinum, meridianum, & vespertinum tempus, siue huius, siue aliorum nuptialium dierum, qui in hoc libro describuntur, di'igenti cura adnotanda sunt. Huius carminis mysticus sensus sic confirmandus est: Sponsa, id est, iusta anima cum illius diei, in cuius vespera per charitatem perfectam nuptias cum Christo copulare oportebat, manè primum excessisset; hoc est, ubi per auxilium gratiæ excitata, primos ac subitos suæ voluntatis in Deum motus præsenferat, ad eiusdem diei meridiem denique adducta sanctis desideriis flagrare cœpit, ac sponsi adhuc absentis aduentum ad ipsam per gratiam & dilectionem, differri ægrè admodum ferens, ad eum certè per sancta desideria

sideria & vota spiritualiter contendere apud se statuit, atque adeò sic fatur: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* hunc sensum subesse his verbis agnouit planè D. Bernardus *sermone 30. in Cantica*, ubi loci istius scopum designans sic ait: *Deus animam quarentem se, quæ tamen ad quarendum toto se desiderio & amore deuouet, tandem dignatur inuisere: & hoc est signum istiusmodi aduentus eius, sicut ab eo, qui expertus est, edocemur. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu eius inimicos eius. Oportet namque, ut sancti desiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima, quoniam iuxta est Dominus, cum se senserit illo igne succensam. Tali ergo anima suspiranti frequenter, & sine intermissione oranti, & afflictanti se præ desiderio, ille qui ita est desideratus, queritur, miseratus occurrit.* Hæc Bernardus, qui vlteriùs aduentum Christi ad animam per gratiam & perfectam dilectionem fieri dicit: atque adeò illa verba, quæ sponsa, vel anima desiderio eius incensa loco nominis sponso dedit: *Quem diligit anima mea*, de dilectione imperfecta, quæ videlicet ad charitatis perfectæ naturam nondum prouecta fuisset, intelligenda esse, & ipsum desiderium aliquando dilectionis nomine censi affirmat.

His ergo desiderijs flagrans anima, *Indica* (inquit) *mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Quasi dicat: Excessit iam primum manè, quo diuina vocatione excitata primos illos ac subitos voluntatis meæ motus, & ardores erga te experta sum: successit nunc sanctorum desideriorum meridies, quibus te absentem tantopere ardeo & suspiro, vt si fieri posset, quamdiu absens manes, & tuum ad me differs aduentum, ego ad te venire, & tibi adesse vellem. Hæc est enim desiderij propria natura, per quod animus, quamdiu bonum optatum nondum successit, velut extra se factus ad illud quoad fieri potest, contendit, ac peruenit. Et quidem sponsa ad sponsum non oberrantem per agros, sed cubantem in vmbriis, per hoc desiderium deferri poscit, *ubi pascas, ubi cubes, &c.* Nam eum, qui per sancta desideria ad Deum spiritualiter pergit, ipse Deus quietus & quasi cubans expectat, & ad requiem suam admittit. Non enim est Dei, & aliorum bonorum temporalium similis conditio, & natura; hæc enim desiderantes fugiunt, & ab his, qui concupiscentia illorum ardent, ocyùs dilabuntur: atque adeò illorum desiderium ac votum non quietem & otium, sed summam inquietudinem, molestiam, & laborem afferre solet. Deus autem desiderantes quietus expectat; desiderantibus, inquam, sese iacentem & in vmbriis cubantem præbet, & ita cum illis agit, vt in seipso suis amatoribus quietem, & otium, imò & refrigerium exhibeat. Nam sanctorum desideriorum hoc proprium est, vt in illis animus oblectetur, & quiescat. cuius rei rationem offert Pseudo Augustinus *in soliloquijs cap. 30.* Quia nimirum cum Deus sit summum, & vltimum bonum, illi qui eum seriò desiderat, nihil reliquum manet quod vlteriùs desideret: atque adeò in ipso Dei desiderio quietem, & quandam beatitudini similem oblectationem nanciscitur. *Cum Deus sit summum & omne bonum* (verba sunt Pseudo Augustini,) *qui illum desiderat, ex eo impletur, quia eum desiderat. Cum autem creaturam desiderat, continuam famem habet: quia licet quod desiderat adipiscatur, vacuus tamen remanet. Implet autem tu eos, qui nihil desiderant præter te, & ideo facis eos beatos, & immaculatos, quia omnia reputant vt stercora, vt te solum lucrifaciant.* Ideo subnectit sponsa:

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. id est, ne ad creaturas desiderandas & appetendas declinans semper vaga & inconstans oberrem, cum in earum desiderio quiescere, & permanere nunquam liceat. quia nimirum cuiuslibet boni creati desiderium ad alia & alia desideranda gradus est. Et tunc per sodales sponsi cætera bona, quæ quatenus summi boni participationes sunt, in societatem summæ bonitatis quodammodo veniunt, intelligi posse, non temere dicat quisquis dicat. Sed grauiores, & cum germano allegoriæ sensu concinniores interpretationes expectant me.

Ordiri autem libet à translatione Septuaginta, quæ tres interpretationes nobis offert, cum his cohærentes, quibus allegoriæ corticem donauimus. *Ne sim quasi circumamicta iuxta greges sodalium tuorum.* Quam ob causam Christi sponsi sui aduentum tanto ardore anima concupiscat, & ipso moras neçtente, ad illum per sancta desideria spiritualiter ire velit. *Ne sim quasi circumamicta, &c.* Ne scilicet tamdiu in lugubri habitu plorem ac doleam (hæc enim est prima corticis interpretatio,) quod perinde

perinde est, ac si dicat; vel ideo tuum ad me aduentum maturari, & pactas prius nuptias tandem aliquando copulari desidero, vt hilarem, atque nuptialem gratiæ vestem assumens, luctificum habitum deponam, id est, pro luctu & dolore, quo hactenus mearum culparum pœnitundine tacta & confecta sum, spiritualem gaudij & lætitiæ stolam, quam tua gratia & amicitia afferre solet, accipiam. Et sanè hanc luctuosi pallij in lætam hilaremque nuptiarum vestem commutationem tam Ecclesiæ, quàm animæ, per Christi aduentum patrandam, Isaias prædixit cap. 61. *Vt predicarem annum placabilem, vt consolarem omnes lugentes, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Similitudinem verò à nuptiis & funeribus petitam vult noster Sancius, quia nimirum in nuptiis adhiberi solebant coronæ, vnguenta, & vestes pretiosæ; in funeribus cinis, luctus, & pullatæ ac sordidæ vestes. Atque adeò ex præfatis verbis hunc sensum exprimit: Pro luctu, & gemitu funeris & inferiarum dabo illis gaudium, & lætitiã nuptialem. Eodem igitur sensu anima, quæ prius per lethales culpas velut emortua erat, & super semetipsam tanquam super mortuam dolens ac pœnitens lugebat, ideo nuptias tanto studio appetit, *Ne sit veluti circumamicta*, ne scilicet in veste luctifica manere sinatur: quinimò sponso tradita, pro funereo luctu quo se ipsam prius prosequabatur, nuptiale gaudium, & spiritualem lætitiã quamprimùm caperet. Sed quid est illud, *Iuxta greges sodalium tuorum*? Vt hæc verba cohæreant cum dicta expositione, nihil aliud occurrit quod sodalium nomine intelligi queat, nisi Sacerdotes, ad quos omnes quotquot ex animo pœnitent, peccata sua deferunt, dolentes, & quasi in veste lugubri plorantes. Atque adeò fas est dicere, ideo sponsam, id est, animam fidelem, deletis culpis, charitatem, nuptias, & consolationis spiritualis floridam stolam desiderare, ne sit opus pro grauioribus, lethalibusque delictis velut ex funere lugentem velato capite coram Sacerdotibus comparere. *Ne sim veluti circumamicta, iuxta greges sodalium tuorum.* Per sodales autem sponsi Episcopos & Sacerdotes intelligit vnus Angelomus supra citatus.

Secunda expositio mystica petitur ex secunda corticis interpretatione, hoc modo: *Ne sim tanquam circumamicta iuxta greges sodalium tuorum.* ne scilicet iuxta procos riuales tuos agens, vel falsò ab illis de adulterio insimuler, vel illorum votis acquiescens reuera in adulterio deprehendar; atque adeò sicut adultera, vt fieri solet, velato capite ad supplicium ferar. Quid enim non vereatur ea, quæ inter tot impudicos procos degit? vt propterea mirum non sit, quòd tanto studio sponso suo innubere cupiat, *paraque tiniendo dueño*, omnis illa procorum & riuantium vis actutum cesset. Id ipsum ab anima, quæ anteactæ vitæ pertæsa Christo quamprimùm per charitatem copulari desiderat, dictum, assertumque puta. Nam inter Dæmones tanquam inter impudentissimos procos Christi competitores viuens, meritò timet, ne fortè eorum pulsationibus expugnata peccata antiqua repetat: omne enim peccatum adulterium quoddam est, per quod anima oblatam Deo fidem fallens ac violans Diabolo se dedit. Lege Augustinum ad illa verba: *Cum adulteris portionem suam ponebat*, Psalm. 49. & in Psalm. 39. vbi hæc ferit: *Aptauit vos vni viro Virginem castam exhibere Christo. Timet autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & vestra mentes corrumpantur à castitate qua est in CHRISTO IESU. Serpens enim est adulter antiquus, qui virginitatem corrumpendam non carnis, sed mentis inquirat. Sicut autem adulter homo latatur in nequitia sua, cum carnem corrumpit, sic Diabolus latatur quando mentem corrumpit.* Ideo ergo anima per gratiam & charitatem Christo adhærere & adiungi desiderat, quia imbecillitati suæ ante nuptias plurimum timet. His autem celebratis, illam procorum contentionem remittendam iri sperat. Itaque hæc verba ex desiderio sponsæ, & ex casto timore profecta videntur. Hæc enim duo valde connexa sunt. Audi eundem Augustinum tract. 43. in Ioan. vbi pendens illa verba, *Timor Domini castus* (sic ipse legit) *permanens in seculum seculi*, ita scribit: *Timor, inquit, castus non seruat: timet mulier adultera ne vir eius veniat: timet casta ne vir eius discedat.* Et in lib. exposit. Epist. B. Pauli ad Galatas. *Crucifixerunt* (inquit) *carnem suam cum concupiscentijs suis. Unde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto? non enim tanto timore timet adultera ne custodiatur à sponso, quo timet casta ne deseratur. Illi enim tristis est presentia viri, huic absentia. Ideo timor ille corruptus est, hic castus existit.* Et sæpe alias vtitur hac similitudine sponsæ de absentia sponsi sollicitæ, quæ suam corruptionem, sponsique iniuriam veretur, vt timorem castum describat. Hoc igitur timore casto & incorrupto se
percul

perculsam significat anima, ad Dei amorem excitata, quando absente viro suo Christo inter tot corruptores, & procos viuere vel ideo veretur, *ne fiat sicut circumamicta*, ne scilicet in adulterium spirituale prolapsa Christum sponsum offendat, cui fidem suam dedit; atque ideo pœnas adulterarum sustinere cogatur, quæ nimirum velatæ ad supplicium deferri solent. Hic enim timor pœnæ & supplicij animum ad charitatem proximè disponit, & succedente charitate abscedit.

Tertiam interpretationem nobis donat tertia corticis expositio, quæ sic habet: *Ne sim quasi circumamicta*, ne scilicet tamdiu innupta, atque adeò velo virginum tecta maneam, *iuxta greges sodalium*, id est, inter pastores alios posita, qui me adhuc innubam sibi ipsis perere non cessant. quibus verbis dum æmulatores plures illi proponit, zelotypiam viri sui cui promissa iam erat, stimulat, & exacuit. Id ipsum & tu ab anima quæ Christi nuptias per charitatem & gratiam denique copulandas expectat simul, & desiderat, pronuntiatum existima, atque illam sic dicentem ausculta. Aut veni ocyùs ad me per gratiam: vel si id non licet, mihi ad te per sancta desideria veniendi copiam facito sponse dilectæ, *Ne sim veluti circumamicta*; quia nimirum ægrè admodum fero, vel ad horam manere innuptam inter tot æmulatores tuos, id est, inter tot creaturas, quæ me necdum viro traditam, conspicientes, sibi ipsis incredibili contentione deposcunt, voluntatem meam crebris inuitationibus allicientes, & attrahentes: Et sanè hic esse solet status animæ quæ resipiscere, & ad Deum conuerti incipit, ei similis quem mulier nubilis inter multos suarum nuptiarum petitores posita, sortitur, donec ipsam Deus sibi sumit, & nuptialis amicitia suæ vinculo adstringit. Ab hoc ergo statu valde periculoso excidere, & ad nuptias legitimas transire volens anima, sic sponsum affatur: *Indica mihi, &c. Ne sim veluti circumamicta inter greges sodalium tuorum. Sodales* verò ideo proponit, vt eum ad æmulationem prouocet. quam æmulationem Spiritui sancto tribuit Iacobus in Canon. cap. 4. *Amputatis, quia inaniter dicit Scriptura; Ad inuidiam concupiscit Spiritus sanctus qui habitat in vobis: maiorem autem dat gratiam.* Pro inuidia Græcè *ζῆλος*, id est, *ad zelum concupiscit*, &c. Quasi dicat; tanto ardore Spiritus sanctus animas sibi adiungi, & copulari exoptat, vt veluti zelotypia percussus æmulatores & riuales minimè sustineat. Quia cum ipse maiorem gratiam impendat, omnes alias creaturas à petitione animæ cessare, ipsamque animam despectis creaturis sibi vni adherere seriò vult ac desiderat. Quapropter hoc sponsi sui ingenium agnoscens anima, ne nuptias suas amplius moretur ac differat, æmulatores & competitores obiicit, qui ipsius constantiam assiduò tentant & impellunt. *Inter greges sodalium tuorum.* Vnde Hieronymus hæc ipsissima verba expendens in *Epist. 22. ad Eustochium*, sic serit: *Zelotypus est Iesus, non vult ab alijs videri faciem tuam, excuses licet atque causeris obducto velamine, ora contexi, & quasi te ibi, & dixi, Annuntia mihi, &c. Ne quando efficiar sicut operta super greges sodalium tuorum, &c.* Hæc Hieronymus, quæ cum sexta expositione, quam in sono allegoriæ dedimus, aptè cohærent.

Sed translationem vulgatam edisseramus, quæ, vt in sono allegoriæ præfati sumus, etsi verbis à lectione LXX. diffidere videatur, sententia tamen similis est, *Ne vagari incipiam iuxta greges sodalium tuorum.* Ne scilicet per semitas oberrans velata, & amicta (sicut mos fert meretricantium) meretrix ad speciem appaream, vel in suspicionem veniam prostitutæ pudicitia; atque adeò multos procos in me prouocem. Hæc sunt verba animæ non peccata tantum contra Deum admissa iam tunc perhorrescentis, sed solam etiam peccatorum speciem & opinionem timentis: quæ scilicet non modò apud conscientiam suam culpa vacare vult, sed etiam in æstimatione aliorum. Et sanè eorum, qui pietatem & virtutem amplectuntur, prima cura esse solet de fama & opinione hominum, quia cum necdum eos magnus & fortis amor virtutis in officio contineat, suscepta de bono nomine sollicitudo illos coërcet. Posset autem quis suspicari, his verbis non quamlibet in vniuersum bonæ opinionis curam persuaderi, sed eam potissimum, quæ ad castitatem, & pudicitiam pertinet. Hæc enim omnibus honestatis & probitatis cultoribus maximè necessaria est: atque adeò magna sollicitudine cauendum Christiano, ne quam notam, aut suspicionem etiam leuem libidinosæ conuersationis sibi adurat. *Ne fortè cum mala vita non sit per lasciuiam* (verba sunt Augustini in *lib. de bono viduitatis*,) *mala sit fama per negligentiam.* Neque enim audiendi sunt siue viri sancti, siue femina; quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit vt in malam veniant suspensionem lasciuia, à qua vitam

suam longè abesse sciunt, dicunt tamen sibi solam sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solum, sed etiam crudeliter contemnent. Hanc verò crudelitatem in eo ponit Augustinus, quòd per dictam opinionem fit, vt suam libidinem excusent, qui imitantur non quod vident, sed quod putant. Tum etiam, quia quæcunque significatio incontinentiæ in fœmina viros prouocat, & in viro fœminas prorit; atque adeò sæpè vnius negligentiæ multis pereundi causa est. Hoc sibi volunt illa verba, *inter greges sodalium tuorum*, quæ significant, sponsam hoc cauere ac vitare voluisse, ne externam lasciuia speciem præferens vna & sola multis pastoribus perniciem afferret. Si ergo ad eum modum velata facie per semitas oberras, sponsa vel ideo re-ruit ne per suspensionem impudentiæ alios ad libidinem accendat: quid de illis fœminis dicendum, quæ facie non solum detecta, sed quamplurimis etiam pigmentis illita omnibus illas intuentibus ardentes libidinis faces subiiciunt.

Cæterum cum hæc metaphorica sint per similitudinem puellæ, quæ malè habiti pudoris opinionem fugit, significatam puto omnem in vniuersum curam de bono nomine. Et quidem fama bona, vt docet Plutarchus *in libello de officio Auditoris*, similis est virginitati: atque adeò si semel violetur, vix, ac ne vix quidem recuperari, & instaurari potest. Quapropter sicut virgines puellæ, quæ in suspensionem lasciuia, & amissi pudoris venerunt, conditioni suæ, ac nobilitati æquales nuptias nunquam inueniunt, sic etiam illi, qui famæ suæ iacturam quomodolibet fecerunt, nulli deinceps muneri obeundo, aut curæ gerendæ idonei censentur. Idcirco Paulus bonæ famæ non secus ac virginitatis custodiam persuadet, ad Philipp. 4. *De cætero* (inquit) *fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque casta, quæcunque bona fama, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me.* Vide quemadmodum Paulus illa duo coniunxerit, *Quæcunque casta, quæcunque bona fama*, significans similem de vtraque sollicitudinem suscipiendam, quia simile in vtriusque iactura periculum subest.

Rursus cum in sacra Scriptura & in Patribus per virginitatem quam sponsa ad nuptias adducit, fidei ac doctrinæ incorruptio notari soleat (vide quæ Patres conferunt ad illum locum 2. ad Corinth. 12. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* & ad parabolam *decem virginum*, & ad illa verba Apocal. 14. *Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit.* Vbi plures per virginitatē fidem à corruptelis liberam capiunt.) nisi fallor in hoc loco sponsa, vel anima omnem violatæ fidei, aut malæ doctrinæ suspensionem fugere volens, ait: *Ne vagari incipiam*, vel, quod idem est, *ne sim veluti circumamicta circa greges sodalium tuorum*, ne scilicet quomodolibet à recta veritatis via aberrans, aut ignorationis, aut dissimulationis velum prætendens, amissæ fidei ac malæ doctrinæ non secus, ac violatæ virginitatis notam, vel externam tantum mihi accersam. Et sanè hoc maximè proprium Christianæ fidei, vt nihil per dissimulationem fictum admittat. Tantam enim Christus ab anima sponsa sua fidem exposcit, vt non modò illius violationem, sed quamlibet etiam dissimulationem, aut fictionem externam iniuriæ loco ponat. Audi Tertullianum *in Apolog. cap. 27.* aduersus eos, qui Christianis hanc dissimulationem persuadebant, vt tyrannorum sæuitiam fugerent. *Sed quidam* (ait) *dementiam existimant, quod cum possimus & sacrificare in presenti, & illasi abire, manente apud animum proposito, obstinationem salutis præferamus. Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur, id est, quo vos ludificemus. Sed agnoscimus vnde talia suggeruntur, quis totum hoc agitet. Ille scilicet spiritus demoniacæ, & angelicæ paraturæ, qui noster ob diuortium emulus, & ob Dei gratiam inuidus de mentibus vestris aduersus nos præliatur occulta inspiratione modulatis ac subornatis ad omnem quam in primordio exorsi sumus, iudicandi impietatem, & sciendi iniquitatem.* Notanda sunt illa verba, *qui noster emulus ob diuortium*, quibus significat Tertullianus, Diabolum ideo fidei dissimulationem suggerere Christianis, vt eorum animas à Christo sponso suo per diuortium distrahat: qui in professione suæ fidei nihil per externam conniuentiam, aut per simulatam fictionem fieri sustinet, iuxta illud: *& qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Et sanè ideo Christum omnem fictionem à professione fidei suæ longè abesse voluit, ex doctrina Augustini, quia vbi quis ipsam publicè diffidetur, non longè abest vt translatus ad commercium, & conuictum infidelium eandem fidem per internum consensum quamprimum abneget. Id autem significatum videtur ab sponsa illis verbis, *iuxta greges sodalium*, vel, (quod idem est) *riualium tuorum*. Sicut enim fœmi-

na meretricem habitu & vultu præferens, & inter procos agens, propè est, vt illorum inuitationibus illecta id esse incipiat, quod prius fictè simulabat: ita etiam eodem argumento animam ex simulatione infidelitatis ad veram infidelitatem labi valde procline est. Quod autem de fide & infidelitate diximus, id etiam de aliis vitiis & virtutibus assertum puta. Nulla enim est, quæ fictam simulationem non oderit, & quæ fictione & specie vitij ad ipsum verum, & minimè fictum vitium ocys non transeat. Quapropter Christus Dominus omnes istos fucos delere, ac detergere volens, Matth. 5. *Sic luceat (inquit) lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Et Paulus à charitate simulationem amandat, ad Rom. 12. *Dilectio (ait) sine simulatione.* & Iacob. cap. 3. eam sapientiam à cælo ad nos deriuari affirmat, quæ à simulatione aliena est. Pergo ad alia.

Appendix superioris expositionis.

PLeraque ex his, quæ in superioris interpretationis appendice diximus, ad animam simul & Ecclesiam pertinent. Vide *ibi*. Et vterius hæc accipe, quæ vni animæ aptius accommodantur, quàm Ecclesiæ. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Diuersitas expositionum ex meridiei significatione dependet, vt suprâ dicebam. Magnus ergo Gregorius, & Apponius meridiem in malum rapientes, vitiorum ac nequitia æstum nomine meridiei significatum volunt: atque adeò aiunt sponsam non de meridie sollicitam esse, sed de loco opaco, in quo sponsus à meridie ad umbras se recipiebat. Sed quis iste? Gregorius: *Per meridiem (inquit) ardor vitiorum exprimitur; per umbram spiritualis gratia status designatur. Meridie ergo feruente, Christus in umbra requiescit: quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsa sua spiritum refrigerij tribuit, & in ea delectabilem sibi locum quietis efficit.* Apponius de umbra sanctæ crucis exponit, quæ meridianum æstum temperat. sic enim fatur: *Vbi vnaquæque anima pro capacitate sensus sui post ardentis nequitia Solis æstus sub tegmine defensionis crucis in perspicuo intelligentia lumine à Diaboli impetu, qui solus mentitur, defenditur.* Apponij autem & Gregorij eadem mens est; nam umbra illa, quam sanctæ crucis arbor ad temperandum vitiorum æstum effundit, non est alia, nisi gratia Spiritus sancti, quam nobis cruce & passione sua Christus obtinuit: ad quam umbram sese recipiunt omnes illi, qui mortificationem amplectuntur, & carnem suam crucifixerunt cum omnibus concupiscentijs. Per hanc enim mortificationem iustorum animæ vitiorum ardoribus extinctis in placida virtutum omnium temperie tanquam in umbra degunt.

Sequentis verò hemistichij nexum sic sarcit Gregorius, *Ne vagari incipiam, &c.* Ille (ait) in quo Christus non cubat, vagatur: quia mens quam ille suavis, grauis, & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. Et sanè huic expositioni non insulsè accommodari potest lectio illa sæpè aliàs à me obseruata, *Ne sim tanquam volucris rapax.* Anima enim, quam Spiritus sancti grauitas & pondus non fulcit, ac stabilitate donat, aues illas imitatur, quæ ex præda vicitant, atque adeò nusquam manent, sed hac illac vagis meatibus circumuolitant, leuissimarumque mentium simalachra sunt, quæ vel ideo nusquam consistunt, quia de fugacium bonorum rapinis & prædis quodammodo viuunt, honores, diuitias, voluptates, & alias eiusmodi res consectantes; quæ quia labiles sunt, ac volatiles, solæ eas rapaces volucres assequuntur. *Post greges sodalium tuorum. Sed qui sunt, inquit, sodales Christi, nisi falsi quoque Christiani; qui ob nominis solius, aut etiam Sacramentorum communionem fratres Christi vocantur.* Et quidem Gregorius per greges non intelligit ouilia à sodalibus custodita, sed ipsos cœtus, & cateruas sodalium, quos ideo greges ascito ab irrationabilibus animantibus vocabulo, compellari affirmat, quia vt irrationabilia animalia sine ordine viuunt, &c. Sed vide consequentiam huius sententiæ iuxta expositionem Gregorij: ideo anima ad meridiem, vel ad æstum nequitia & vitiorum adducta, umbram gratia & Spiritus sancti per crucem sibi partam nancisci, perque hanc ad virtutum temperiem venire cupit, ne scilicet vitiis dedita, & suis passionibus permissa, tandem aliquando fidem abnegans, ad falsorum Christianorum, id est, hæreticorum cœtus, & cateruas discedat. Ex his denique effecta, qui bonam repellentes conscientiam & circa fidem naufragi, miserandum exitium sibi accersunt. Accinit Apponius, qui rationem addit, propter quam hæretici, & falsorum dogmatum

assertores, *sodales sponsi* dicuntur (quasi simul edales,) quia nimirum eidem mensæ accumbunt Scripturæ sacræ, & eidem testimoniis malè interpretatis, quasi quibusdam venenatis ferculis vescuntur ad mortem: quibus germanè intellectis sancti Doctores pasti sunt ad vitam, & immortalitatem.

Secunda expositio mystica per meridiem Christi Domini passionem, qui hora sexta circa meridiem in cruce distentus obiit, intelligit. Sic Origenes *homil. 2. ex quatuor*, & Philo. Hic enim sic habet: *Indica mihi ubi cubes in meridie: hoc est, de hora tue necis, quam passionem vocant, quando hora sexta ad nonam usque tenebre factæ sunt super uniuersam terram.* Ipsissima penè verba habet Origenes in dicta homilia, ubi omnium Euangelistarum testimonia colligit, qui aiunt Christum circa horam sextam obiisse in cruce. Et illud in quæstionem vocans, cur omnes horam sextam adscripserint, nullus verò meridiem expresserit, hanc offert rationem: quia nimirum sexta illius diei hora respondet sextæ diei mundialis conditionis, in qua homo circa meridiem etiam (vt credere fas est) à Deo primum efformatus, & animatus fuit. Quapropter, vt recreatio cum creatione congrueret, passus est Christus hora sexta humani generis reparationem absoluens, vt scilicet meridies redemptionis cum meridie creationis cohæreret, & sexta hora cum sexto die coneineret. Ergo præfati Doctores sponsam, id est, animam, de meridiano sponsi accubitu edoceri obsecrantem, locum & horam passionis dominicæ discere voluisse affirmant, non tam vt ipsa ad illum contenderet, quàm vt ipse sponsus illam ad se traheret, iuxta illud: *Cum ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Sed quid est quod ait, *ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Diuersum enim est pabuli & cubationis tempus? Certè apud pastores more comparatum est, vt per æstatem horis nocturnis greges suos ad pabula ducant; tempore autem meridiano ad opaca loca captandarum umbrarum causa eosdem colligant. Hos utique imitatus est bonus pastor, ac pastorum princeps Christus; nam gregem Apostolorum sibi cõmissum per noctem quidem paut, legalem communionem, & sacramentalem cœnam cum illis celebrans; per meridiem verò pastum refectionumque ouile ad umbras inuitauit. Ideo inquit Philo Carpathius, *Ab hora sexta usque ad horam nonam tenebra factæ sunt super uniuersam terram*, vt scilicet grex Christi in meridie passionis eius umbras desiderare non posset, vt vel ex eo constaret Christi Domini acerbissimos cruciatus & passionem nobis refrigerium attulisse. Alij demum ideo meridiei nomen passioni Christi inditum volunt, quia per id tempus amor & charitas in Christo magis ac magis exæstauit, quæ charitas in causa erat, vt in cruce distentus quasi in molli accubitu sibi iacere videretur. *Vbi cubes in meridie.* Hæc de priori hemistichio.

Ea quæ sequuntur verba, *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, eodem modo cum superioribus consuunt Philo & Origenes; vterque enim per sodales sponsi vel Iudæos, vel Gentilium Philosophos accipit, à quibus sponsa sponsum in cruce vestigans, ideo longiùs remoueri desiderat, quia eorum de Crucifixo opinio & sententia falsa valde ac commentitia est. *Prædicamus* (ait Paulus) *Christum & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Sed expendamus verba, *Ne vagari incipiam.* Sponsa, id est, anima iusta ad locum passionis tendere impensè cupiens, ex iis esse vult, quibus à Christo denuntiatum fuit, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quomodo autem vaga & mobilis esse poterit illa anima, quæ tantum dominicæ crucis pondus humeris tollit suis? aut quæ fieri potest, vt Paulus constans, immobilisque non sit qui de seipso ita prædicat ad Galat. 2. *Christo confixus sum cruci.*

LXX. habent, *Ne sim veluti circumamicta.* Sontes capite damnatos velata facie ad supplicium deferri solitos, constat ex his quæ diximus ad sonum allegoriæ. Ideo ergo & de Christo circa meridiem patiente sciscitatur sponsa, quia per eas, quas ille sustinuit pœnas & cruciatus, futurum credebat, vt ipsa æternas pœnas effugeret, quibus olim damnanda erat. *Ne sim*, ait, *velut circumamicta*, ne scilicet fiam ei similis quæ velato capite ad certum æternæ mortis supplicium defertur. Rursus capitis velatio solemnis erat in luctu & lachrymis, vt ibidem etiam præfatus sum. Id etiam cauere vult sponsa, ne si à fructu passionis Christi exors fiat, æternum sibi luctum accersat. Erat quoque puellarum innuptarum habitus. Hoc ergo est animæ iustæ votum, quæ ideo ad Christum patientem venire vult, ne amplius innupta maneat. Quomodo autem nuptiæ Christi cum anima in crucis thalamo celebratæ fuerint, fuse dixi in

Isagoge. Sed aptius & concinnius hoc dico. Ideo sponsa de Christo patiente edoceri vult, *ne sit quasi circumamicta*, ne scilicet velamen illud ignorationis & malitiæ, quod Iudæi, teste Apostolo, *adhuc non reuelatum gestant*, atque adeò clausis luminibus incedentes ad crucis scandala sæpius impingunt, ipsa quoque circumferat, & cum eisdem ad Christum crucifixum offendant.

Ne sim velut volucris rapax. Hanc lectionem cum superiori copulare, & de vtraque ludere mihi integrum sit. Sanè volucres rapaces ad aucupium edoctæ, quamdiu oculos capitio obductos habent, hærent prorsus, & ad prædas agendas nequaquam inuolant: his autem apertis, quamprimum ad easdem prædas raptu veloci contendunt. Idem prorsus de anima cogita: hæc enim non prius ad alias animas aucupandas, seu deprædandas habilis est, quàm eos, quos prius inconsiderantiæ capitium obduxerat oculos, zelus animarum per meditationem passionis Christi exacuerit ac detexerit. Nihil enim æquè prædictum zelum animarum inflamat, quàm cognitio eorum, quæ Christus propter illas sustinuit. Nihil etiam quanto in pretio doctoribus ac prædicatoribus animæ esse debeant æquè declarat, quàm illud sanguinis infinitum pretium quod Christus earum causa profudit. Ac proinde meritò dicimus huiusce passionis cognitionem & meditationem oculis zelatoribus velum adimere, vt ad prædas animarum agendas velocius peruolent. Quod autem de anima diximus, id ipsum de Ecclesia pronuntiare licet, quæ post passionem etiam Christi ablato per aduentum Spiritus sancti ignorantia velo, tunc primum ad animas deprædandas volatum explicuit; ita vt Petrus ex vna inuasionem tria animarum millia in prædam reuexerit. Actor. 2. *Et apposite sunt in die illa anima circiter tria millia.* Tunc enim factum est, ne Ecclesia esset sicut auis rapax, & operta, seu amicta. Sic vtramque lectionem coniungas.

Succedat translatio Symmachi, *Ne sim tanquam funda proiecta.* Modum istum loquendi ad reprobationem referendum in superiori Appendice monstravi: atque adeò aptè dicemus, sponsam vel ex eo ad Christum patientem deferri, & ipsi conformem fieri velle, ne hoc suæ reprobationis signum certissimum habeat, quod passionis & tolerantia Christi exors effecta, velut in funda posita sit: vt quemadmodum lapis ab scopo suo, sic ipsa à fine ultimo deuia, & deerrans in barathrum proiciatur. *Vel sicut funda proiecta.* Nam D. Bernardus Senensis, expendens illa verba Euangelij de Christo passionem suam per sanguinis exudati perstillationem inchoante; & *auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis*, Luc. 22. eos à Christo patiente tanquam lapides proiici affirmat, qui præduri ac lapidei sunt ad condolendum, & compatendum. Id ergo vitare contendit sponsa quando ad Christum in cruce dolentem venire cupit, vt cum ipso pariter doleat, ne scilicet lapidea aliqua durities ipsam ab illo longius remoueat. Addit Beda, i deo Christum à discipulis auulsam quantum iactus est lapidis, vt typicè admoneret, lapidem, id est, legem quæ in lapide scripta fuerat, ad ipsum Christum patientem, tanquam ad scopum intendendam esse, *qui finis est legis ad iustitiam omni credenti.* Addere possemus & nos rationem aliam ex eadem scopi similitudine petitam: de Christo enim patiente à Simeone sene dictum est, Luc. 2. *Et erit in signum cui contradicetur*, id est, in scopum, in quem homines præduri, & in sua nequitia obfirmati suæ contradictionis lapides iacent. Dicamus ergo ideo Christum passurum à discipulis auulsam quantum iactus est lapidis, vt vel sic typicè notaret humanæ contradictioni, offensionem, & iniuriis perinde ipsum proponi, & obiici, sicut signum, aut scopum ad lapidem. Id ergo est sponsæ, id est, animæ votum, ne sit sicut funda proiecta; ne videlicet ipsa ex his sit, qui Christo patienti contradicunt, & per duritiam ac impatibilitatem cordis à cruce & cruciatibus eius abhorrent.

Quid plura? Alia lectio Symmachi, quam vox Græca *πευβορδύη* parturit, est illa sæpè aliàs obseruata, *Ne sim veluti incantata.* Hæc sponsa, cum ad Christum patientem venire, & ipsi conformis fieri optabat, opportunè satis dicit. Nihil enim animam ab omni spirituali incantatione, & fascino magis liberam reddit, quàm meditatio passionis Christi. Huc spectant illa verba Pauli ad Galat. 20. *O insensati Galatæ, quis vos fascino non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* Quasi dicat (sequar eam interpretationem, quæ non paucos patronos habet) ô Galatæ stolidi valde ac stupidi, quis vos falsis dogmatibus, quasi beneficiis quibusdam incantauit? vos, inquam, quibus Christus crucifixus iam propositus fuit,

cuius passio & mors ad omnes veneficiorum, & incantatorum, hoc est, fallacium Doctorum artes & præstigias eludendas & prohibendas efficacissima est. Hic autem non possum non animaduertere quod in libello manuscripto olim legebam; scilicet Magos in suis incantationibus circulis rombo configuratis uti solitos: ea verò quæ per lineas circulares ipsi incantarunt & fascinarunt, per lineas decrusatas, id est, ad crucis similitudinem descriptas effascinari & excantari. Rursus de crucis potentia contra maleficia & magicas artes sæpe Delrius in sua magia. Sed licet Christi Domini crux & passio contra externas veneficiorum præstigias potentissima sit, longè tamen potentior existit contra internas & spirituales incantationes, quibus fallæ doctrinæ concupiscentiæ, aut alterius vitij fascinatio animas infestat. Ad hunc modum siue de his, siue de aliis huius loci translationibus tute tibi alia effingere poteris, mihi enim fati sit viam reserasse.

Tertia igitur expositio per meridiem cordis puritatem intelligit: hæc enim quandam meridiana clariorem lucem animabus affundit, & Deo aptum ad cubandum & requiescendum locum impendit. Sic Origén. *in homil. 2. ex quatuor*, qui iuxta hanc meridiem acceptionem nihil idoneum de sequentibus verbis serit.

Quartam expositionem accommodat nobis Bernardus *in serm. 31.* ubi per meridiem claram Dei visionem intelligit: eas verò umbras, quas idem sponsus per meridiem subit, fidem accipit: in qua animæ nostræ in hac vita, quamdiu Solis iustitiæ radios rectis oculis excipere non possunt, manent ac sedent. *Ita* (inquit) *nos respectu futuri sæculi in quadam interim veritatis umbra vivere nemo negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Bona fidei umbra qua lucem temperat oculo caliganti, & oculum preparat luci.* Nota emphasin verborum. His, qui ex tenebris subito ad lucem transeunt, oculi perstringuntur: atque adeò expediens est, ut ex caligine ad umbram, ex umbra ad Solem progressus fiat. Ita prorsus cum anima, & cum Ecclesiâ factum ait Bernardus: hæc enim non subito ex tenebris errorum ad lucem inaccessiblei claræ Dei visionis vocata fuit, sed progressibus quibusdam à tenebris ad umbram fidei, ab umbra fidei ad claram Dei visionem deducta. Lege ibi plura.

Quintò Gregorius Nyssenus *homil. 2.* per meridiem illud medium, in quo virtus consistit, videtur accepisse. Nam inter alia sic serit: *Qui autem se ex aquo separavit à vespertinis & matutinis tenebris, hoc est, ab eo termino, à quo incipit malum, & in quod desinit, is in meridie, ut in eo cubet, collocatur à Sole iustitiæ.* Et idem Nyssenus verbum illud, *ubi pascas*, de pastu diuinissimi Sacramenti corporis & sanguinis Christi concipit. Addit etiam pastui potum, quem à pastu sumunt oves: *ut accurrens* (inquit) *ad fontem, diuinum potum hauriam, quem tanquam ex fonte præbes sitientibus, aquam profundens ex tuo latere ferro hac vena aperta.*

Sextò per meridiem Ecclesiâ præsentis sæculi accipiunt. Ambrosius *serm. 2. in Psalm. 128.* & *in lib. 4. Hexaem. cap. 5.* ad quam anima transire cupiens, ait: *Indica mihi, &c. id est, significa mihi* (verba sunt Ambrosij) *ubi pascis in meridiano, hoc est, in Ecclesiâ sancta loco, ubi iustitia resplendet, ubi fulget iudicium sicut meridies, ubi umbra non cernitur, ubi maiores sunt dies, quòd illis Sol iustitiæ tanquam æstivis mensibus diutius immoretur. Dies enim Domini non est brevis, sed magnus; quia scriptum est, donec veniat dies Domini magnus.* Et subinde per meridiem hyemalem Synagogam notatam voluit: *Synagoga* (inquit) *in diebus breuibus & malignis umbram habebat plurimam: & ideo Ecclesiâ ait: Iam hyems transit, abijt, & recessit.* Ideo verò in hoc loco non hyemalem, sed æstiuum meridiem notatum vult Ambrosius, quia addit, *in quo cubes.* Pastores enim non cubant per meridiem intermissis pascuis, nisi tempore æstatis, cum maiores sunt dies. Est qui velit sponsam de utroque tempore sciscitatam fuisse, quandoquidem ait: *Ubi pascas, ubi cubes in meridie.* nam oves in hyemali meridie pabula carpunt, in æstiuo pascuis interruptis recubant: de utroque autem edoceri se postulat, cum de pastu & discubitu meridiano inquirat. Id verò sic tradunt animæ, ut hæc per utrumque meridiem, hyemalem & æstiuum, prosperam, & aduersam fortunam intelligat, neutram detrectans, & ad utramque paratam mentem afferens: quia nimirum pro comperto habet in hyeme aduersitatis pastum, & in æstate prosperitatis quietem se accepturam cum sponso qui pascit & cubat in meridie. Lege Ambrosium *lib. 4. Hexaem. cap. 5.* ibi enim plura de utroque meridie, hyemali & æstiuo, quæ mysticis sensibus accommodare proclive erit.

Rurfus idem Ambrosius *in exhortatione ad virgines*, alium meridiem comminiscitur ex sanctis cogitationibus & bonis operibus. *Sed etiam in tuo lumine* (id est , tuo meridie) *Virgo Christum requiris , in bonis scilicet cogitationibus , & in sanctis operibus , quæ luceant coram Patre tuo , qui in cælis est.* Denique idem Ambrosius *in lib. de Isaac & anima cap. 4.* hæc verba expendens , *ubi pascis , ubi manes in meridiano* , sic enim ipse legit , in tribus verbis totidem Scripturæ sacræ sensus contemplatur. *Rectè* (inquit) *dicit , ubi pascis : quia regulare est verbum Dei* (id est , litterale) *ubi manes , quia morale : in meridiano , quia mysticum.* Nam meridie Ioseph cum fratribus suis in conuiuio constitutus futurorum temporum mysteria reuelabat. Et, nisi fallor , hæc fatus est Ambrosius cum respectu ad horas quibus escæ sumuntur : sunt enim matutinæ , meridianæ , & vespertinæ epulæ. Cum his ergo prædictos sensus sic confert , vt literalis sensus matutinus quidam admorsus sit , mysticus pro meridiano prandio ; moralis verò cœnæ vespertinæ locum obtineat : omnes enim istas epularum differentias sub illis verbis *pascis , cubas in meridie* , concludi existimauit ; ita nimirum vt *pascis* ad matutinas , *cubas* ad vespertinas , *in meridie* ad meridianas referatur.

Aliquod etiam mysticum offert nobis Diuus Gregorius in lib. 3. moral. cap. vlt. *Pascitur* (inquit) *Dominus cum nostris actibus delectatur ; cubat autem in meridie cum ex desiderijs carnalibus ardente reproborum corde , apud electorum suorum corda refrigerium bonæ cogitationis nanciscitur.* Quasi dicat , ab illo æstu ad hanc umbram sese recipit. Hæc Patres de priori hemistichio à posteriori exsoluta , aut dissuta dixerunt.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de B. Virgine.

INDICA mihi quem diligit anima mea , ubi pascas , ubi cubes in meridie : ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Hæc verba iuxta filum & seriem quam in vita Deiparæ nobis tenendam proposuimus , ad illud tempus pertinent , quod ante Incarnationem præcessit : in quo Beata Virgo ad desiderandum Christi aduentum cunctas animi sui vires impendebat , effundebatque. Et sanè in illa mystica hebdomada , quam ex eiusdem Virginis vita conformandam esse diximus in *Isagoge cap. 3.* tertia dies , ad cuius vespertinam nuptiæ eiusdem cum Christo per Verbi Incarnationem peractæ sunt , ab illius præsentatione in templum , ad ipsissimam vsque Incarnationem pertingit. Quapropter huius diei meridies erit vtique tempus illud , quod inter duos fines præscriptos medium iacet ; tunc scilicet , cum sanctissima Deipara in templo manens de aduentu Christi proximo per Scripturas sacras , & per reuelationes edocta acrioribus incensa desiderijs illum vehementissimè exoptabat ; atque adeò omnes moras tanquam longas & diurnas ægrè ferebat. Puta igitur in hac die , cuius manè est præsentatio in templo , vespera tempus Incarnationis ; meridies verò ipsa conuersatio B. Virginis in templo , ipsius Virginis desideria de aduentu Christi semper arsisse. Cui nimirum D. Bernardinus Senensis *tom. 1. serm. 5. art. 2. cap. 1.* aptari posse , ait , verba illa Isaïæ 26. *Anima mea desiderabat te in nocte : sed & spiritu meo in precordijs meis ad te vigilabo manè.* Quasi dicat , desideria animæ meæ à manè vespertinam vsque nullo tempore intermisso flagrabant. Ac rursus cogita eandem Virginem ad præfatæ diei meridiem adductam , & per dicti desiderij impatientiam ad vespertinum vsque expectare grauiter ferentem , ita demum profatam fuisse : *Indica mihi quem diligit anima mea , ubi pascas , ubi cubes in meridie.* id est , quando fieri non potest vt tempus aduentus tui ad me in diuina prædestinatione decretum non impleatur ; atque adeò in hac vitæ mihi definitæ mystica die iuxta diuinum præscriptum nuptias nostras seriùs , quasi ad vespertinam celebrari oporteat : tamen significa mihi ubi interrim maneas & quiescas , vt ego ad te spiritualium affectuum ac desideriorum passibus velociùs contendam. Et sanè ita eueniebat : nam Virgo sanctissima per illud tempus id spatij atque interualli quod Incarnationem morari necesse erat , amore & affectu præocupans per desideria ac vota ardentissima ad ipsum Christum accurrebat ; quia hæc non secus ipsam illi præsentem efficiebant , quàm si iam tum Christus in mundo ageret , ac viueret.

Vel aliter locum in quo sponsus eius meridiem transigit, propterea discere vult sponsa & Virgo sanctissima; quia licet Christus ad vesperam præmissæ diei mysticæ per Incarnationem esse cœperit; tamen in prædestinatione diuina, & in scientia visionis, iam inde ab æterno obiectiuam existentiam habebat. Ita enim Salomon scripsit *Prouerb. 8. de sapientia incarnata verba faciens: Dominus (ait) possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram; ante omnes colles ego parturiebar.* Virgo igitur sanctissima, quæ Christum per actualem existentiam ad vesperam mysticæ diei prædictæ copulandarum nuptiarum gratia venturum nouerat, ex desiderij vehementia paruas etiam moras pro maximis ac longissimis ducens, hoc sibi à Deo notum fieri postulat, vbinam sit per meridiem: de ipso scilicet, prout in prædestinatione, ac decretis Dei ante Incarnationem existerat, eodem modo, quo tandem aliquando futurus erat, vt ad ipsum cognoscendum, amandumque iam tunc ipsi venire, longiorisque temporis dilationem redimere liceret. *Vbi pascas, vbi cubes per meridiem,* vbi nimirum ante Incarnationis tuæ vesperam perinde sis iam inde ab æterno conceptus, atque editus in ventre, & ex ventre matris tuæ; quemadmodum subinde concipiendus, & in lucem edendus es. (sic enim accipio illa verba *cubans, & pascens;* cubans nimirum in ventre matris per conceptionem, & pascens in reliqua vitæ conuersatione post partum) quæ respondent vtique illis: *Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram: ante omnes colles ego parturiebar.* O summum Mariani desiderij ardorem, qui vt dilationem Incarnationis falleret, id solatij sibi excogitauit. Et sanè isthæc verba Virgini ante Incarnationem tribuunt Ioan. Picus. Nigidius, & alij.

Sed nexus prioris hemistichij cum posteriori non est facilis, *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Per sodales sponsi tam Prophetas, quam Angelos hîc notari volunt præfati Authores, atque adeò sensus erit: ideo de te, & de loco & tempore aduentus tui in mundum, sed tunc maximè de matre, in cuius vtero & tabernaculo tibi discubitus & requies paratur; prout nunc antequam reipsa fiat, in prædestinatione ac decretis Dei existit, edoceri volo ac cupio, ne vaga & non satis firma mente per coniecturas id confectari opus sit, siue ex Prophetarum lectione, siue Angelorum ministerio. Quasi dicat: id tu ipse mihi per te notum facito, ne sit necessum vel ad sacra Prophetarum scripta accurrere, vel Angelorum denuntiationes expectare.

LXX. Interpretes habent: *Ne sim tanquam circumamicta.* cuius lectionis, quod ad sonum allegoriæ attinet, quamplures expositiones habes supra: ex quibus aliquas Beatæ Virgini aptare non erit arduum. Prima est: *Ne sim tanquam circumamicta,* id est, ne tristitiam & luctum præferens ad instar lugentium in oculos sodalium tuorum faciem contegam. Hæc igitur sit altera ratio, ob quam B. Virgo de tempore ac loco Incarnationis Christi, & de matre etiam illius, prout in decretis Dei erat, antequam actu & secundum rem foret, edoceri cupiebat; ne huiusce rei ignoratio plurimam ipsi tristitiam, & luctum afferret, cum videret salutem ac redemptionem generis humani, quæ ipsi in primis cordi erat, longius differri. Et sanè dilatio Incarnationis & redemptionis generis humani B. Mariam in templo degentem vsque adeò angebat, vt moras illius, si fieri posset, præfuso sanguine redimere vellet: vt docet Diuus Bernardinus Senensis infra citandus. Vt igitur angorem istum temperaret ac leniret, Incarnationis proximæ tempus & locum, prout diuinæ prædestinationis dispositio illum continebat, sibi quamprimum fieri notum meritò postulabat: quia nimirum ad reuelandum dolorem & angorem animi sui id solatij tantum reliquum erat. Quod autem postulauit, id tandem obtinuit. Nam licet Beata Virgo electionem suam in matrem Dei ante Angeli nuncium minimè cognouerit, vt communis fert Patrum sententia; tamen Incarnationis tempus adesse, ipsumque Dei Verbum ex aliqua muliere quæ iam tunc viuebat, quamprimum suscipiendum fore non solum per lectionem Scripturarum, sed etiam per Dei reuelationem perfectè nouerat: vt ex doctrina Gersonis alibi diximus.

Sed melius eidem Virgini aptatur tertia corticis expositio: *Ne fiam sicut circumamicta iuxta greges sodalium tuorum.* Ne scilicet tam diu maneam innupta, sicut puellæ illæ, quæ ideo velamen ad caput faciemque obtegendam, gestare solent, quia nondum matrimonium inierunt. Et sanè hæc erat præcipua ratio, propter quam Virgo sanctissima Verbi Incarnationem tanto studio desiderabat, atque adeò moras illius

illius aliquo solatio fallere cupiebat; quia nimirum ægrè ferebat se diu manere innuptam, sciebatque desideratissimas suas nuptias cum Christo per Incarnationem Verbi perficiendas esse. Cogita ergo Virginem ante dictam Incarnationem hæc apud se & cum Deo familiariter in templo versantem, & agitantem, *Indica mihi, &c.* id est, quamdiu per carnis assumptionem ad me non venis, notum fac mihi nunc per meridiem qualis qualis in Dei prædestinatione sis ante vesperam Incarnationis tuæ: ut nimirum aduentus tui tempus proximè adesse cognoscens, vel ex eo gaudeam plurimum, quòd parum abest ut per nuptias exoptatissimas tibi adiungar in vnitæte carnis, ac spiritus: atque adeò nec semper, nec diutiùs innupta mansura sim. Hanc enim vim habent verba illa, *Ne sim tanquam circumamicta, iuxta greges sodalium tuorum*, id est, inter Prophetas, aut inter Angelos: nam Prophetæ ad tempus nuptiarum non peruenerunt; Angeli autem quatenus incorporei sunt, nuptias quoque naturaliter ignorant; quæ in vtraque vnitæte spiritus & carnis consistunt, ut sæpe aliàs diximus.

Rursus expositio sexta Origenis non ineptè Virgini accommodari potest, hoc modo: *Ne sim sicut cooperta, &c.* id est, ne ad sodales tuos diuertens, verecundia & pudor ad operiendam faciem cogant me, ut nec videam, nec videar ab illis; quippe quæ meam faciem tibi soli videndam reseruo, ac nullius vultum, nisi tuum intueri cupio. Eadem igitur à B. Virgine dicta putatur. Ideò scilicet ad hunc modum de te, & de aduentu tuo, non ab alio nisi à te ipso edoceri volo ac desidero: nam si vel ipsimet Angeli sodales tui ad me instituendam accesserint, non sine rubore ac pudore illos excipiam, ita ut præ verecundia faciem, vultumque meum operire necessum sit, ne videam, ac ne videar. Quòd re ipsa contigit in Gabrielis annunciatione *Luc. 1.* ubi sic habes: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* quam turbationem pudori & verecundiæ tribuit Ambrosius, qua de Angeli non ignorati conspectu Virgo suffusa est; quippe quæ faciem suam & vultum soli Christo aperire desiderans, ab ipsismet Angelis (si fieri posset) illam abscondere vellet. *Turbata est in sermone eius.* Quòd si per sodales sponsi quoslibet passim viros ex humana stirpe, atque adeò in natura humana Verbi incarnati socios & consortes intelligamus, dicemus quidem non inuenustè Mariam in templo manentem hæc verba ex studio & amore solitudinis & virginitatis dixisse; quippe quæ Christo incoluim virginitate, quam per votum Deo nuncupauerat, innubere, & in templo, uti cœperat, manere volens, hæc ait: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Alij, *quomodo pascas, &c.* Per meridiem autem ipsum Dei templum capiendum esse voluit. Hebræus in Glossa Escalonensi: quia nimirum in cliuo montis defixum, & ab Aquilone auersum ad Meridiem vergebat: atque adeò sensus est, significa mihi, quonam modo in templo tuo non aliter cubes & quiescas, quam pastor aliquis, cum pascuis intermissis oues suas ad opaca loca compellit. *Ne fiam tanquam circumamicta inter greges sodalium tuorum.* Ne scilicet me virginitatem sicut apud me iam iam constitui ac deuoui, seruare integram volentem, atque adeò, ut virginibus solemne est, faciem velantem & in penetralibus manentem prout sic velatam, in virorum oculos venire opus sit. Itaque hæc verba tria vota sua desiderio B. Virginis in templo degentis cohibent, quæ sunt, incoluim virginitatem seruare, in templo manere, & oculos hominum fugere.

Sed longè accommodatius B. Virgini in templo ante Incarnationem manenti apratur expositio D. Ambrosij, qui putat sponsam per illa verba, *Ne sim tanquam circumamicta, &c.* hoc velle ac deprecari, ut amissa libertate mercenaria, & ancilla fiat; ita ut sit sensus; ne maneam libera inter conseruos (nam velamen gestare ingenuitatis, ac libertatis symbolum erat, ut in sono allegoriæ præfati sumus.) Hoc certè erat sanctissimæ Mariæ in templo manentis primùm ac maximum desiderium: ideo enim de tempore ac loco Incarnationis filij Dei prout in prædestinatione ac decretis Dei erat, edoceri cupiebat, ut ergatanti Domini matrem non tanquam liberam, vel amictam, sed tanquam ancillam abiecto velamine sese præberet, illi in omnibus famulans & obseruiens, ut supra *vers. 1.* in expositione hypermystica ex S. Brigitta & aliis non perfunctoriè probauimus. Verba S. Brigittæ ex *lib. 1. c. 10.* hinc attexo; loquitur autem in Mariæ persona. *Ego (inquit) semper in corde meo optabam, ut vincerem ad tempus natiuitatis filij Dei, ut si fortè fieri mererer ancilla indigna matris eius, &c.* Hæc Maria tunc cum suam electionem in Dei parentem necdum cognouerat. Lege plura *loc. cit.*

Ex pluribus autem aliis lectionibus, quibus locum istum donant Hebræi, aliquas huic sententiæ aptare, & Virgini ante conceptionem filij Dei accommodare integrum est. Nam primò aliqui legunt, *Ne sim sicut volucris rapax.* An non similis per omnia aquilæ illi, quæ cedri medullam tulisse dicitur. Et sanè ita factum; vt scribit S. Bernardus *tom. 3. serm. 5. art. 2. cap. 2.* de consensu virginali, ad verba illa Isaïæ, *anima mea desiderabat te in nocte,* &c. per noctem & vesperam tempus intelligens ad Incarnationem Verbi diuini præordinatum. *In hac (inquit) nocte Virgo surrexit, & apice affectionis in aternase sustulit: Verbum de sinu Patris rapuit, omnique creaturæ suam Authorem, & principium restituit: secundum quod de ipsa sub figura mulieris fortis in ultimo Prouerb. scriptum est: De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis.* Si verò dicamus Mariam illa verba ex studio & amore latendi in penetralibus templi, protulisse; vt nuper dicebam, opportuna est illa lectio Iarrij, *Ne fiam sicut permixta iuxta sodales,* &c. Ne scilicet inter turbas hominum immisceat, à quibus solitudinis amor me abstraxit, & ad recessus & lares templi transmisit. Habet etiam locum illa translatio Symmachi: *Ne fiam sicut funda iactata,* &c. Ne scilicet sicuti funda alligatum lapidem per vim excutit, sic etiam me violenta aliqua necessitas hinc expellat, & renitentem, atque ex pudore detrectantem ad turbas transferat.

Appendix superioris expositionis.

Locum istum de Virgine ante nuptias, id est, ante Incarnationem Verbi hætenus explicuimus: hæc enim est germanior, & cum allegoriæ sonitu concinnior interpretatio. Reliqui Interpretes ad alia vitæ ipsius tempora adaptare consueuerunt. Diuus Bernardus *serm. 31.* de tempore etiam exposuit quod Incarnationem præcessit: sed ideo minus cohæret cum allegoriæ susceptæ sono, quia per meridiem ipsum Incarnationis tempus intelligit, ad hunc modum: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* id est, ubi per meridianos æstus umbram captes, mihi significa. quibus verbis de Verbi Incarnatione sciscitatur Maria. Sic enim ait Bernard. *Denique mater Domini habuit de Christi corpore umbram, quæ audiuit: & virtus Altissimi obumbrabit tibi, vt quod impossibile erat mortali femina, obiectu tamen viuifici corporis ferret presentiam maiestatis, & lucem sustineret inaccessibilem.* Iuxta quam sententiam loci huius sensus sic conformari debet. *Indica mihi,* &c. (verba sunt Mariæ.) Quasi dicat: Indica mihi sponse amantissime, quisnam sit locus ille, in quo obumbrante Spiritu sancto, & corporis diuinitus formati obiectu, & oppositu maiestatis ac diuinitatis meridianos radios temperante, tibi denique cubandum est, ac pascendum. Quod perinde est ac si dicat: Demonstra mihi vterum illum, in quo te per nouem menses cubare, & requiescere oportet, meridianos æstus, id est, concupiscentiæ calorem, qui aliàs tum matres, tum infantes inurere solet, sub Spiritus sancti umbra declinantem: illum, inquam, vterum, in quo eodem spiritu inumbrante per corporis cœlitus formati interpositionem diuinitatis splendores ad humanæ mentis captum temperandi sunt, vt scilicet mihi ad te venire, ac te perfrui quamprimum liceat. Hæc fermè Bernardus, qui verba illa posteriora, *ne vagari incipiam,* cum prioribus non contexit. Tamen Honorius, qui de cætero cum Bernardo sentit, nexum vtriusque hemistichij addidit, affirmans per illa verba, *Indica mihi,* &c. non sibi tantum eam noticiam postulare, sed etiam aliis. Sic enim ait: *Castissima Virgo Maria fuit meridies de Spiritu sancto splendescens, in qua Christus declinavit æstum libidinosorum, cubans in eius humilitate, pascens in eius castitate.* Ait ergo: *Notifica mihi, & omnibus quod in me requieueris.* Et sanè si hunc teneamus sensum, atque illud verbum *Indica mihi,* (pro quo LXX habent *Annuntia mihi,* id est, per nuntium mihi significa) non solum de annuntiatione per Angelum sibi facta, per quam suam electionem in matrem Dei agnouit, sed etiam de manifestatione huius mysterij aliis exhibenda, intelligere licet, ita vt perinde sit, *Indica mihi,* atque indica de me: sic enim interpretatus est Honorius, & nescio quis ex magistris Hebræorum apud Genebrardum. Si hæc, inquam, ita se habeant, de Maria prægnante, & Ioseph zelotypiæ suspicionibus indulgente exponere licet in hunc modum: *Indica de me quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Hæc verba Mariæ de viri sui Ioseph suspicionibus anxietatis, ac sollicitatis, deprecationem continent. Quasi dicat. O tu, quem totis præcordiis amplector Iesu sponse charissime, notum de me facito
omni

omnibus, sed præcipuè viro meo Ioseph, quòd in me tanquam in meridie Spiritu sancto obumbrante, omnem libidinis æstum effugeris: id est, quòd te de Spiritu sancto sine viri operatione susceperim: *Ne vagari incipiam, &c. LXX. Ne efficiar veluti circumamicta, &c.* Succedat memoriæ secunda corticis expositio, quam in sono allegoriæ dedi; id est, ne velut mulier in adulterio comprehensa, atque adeò digna vt velato capite ad supplicium deferar, in hominum conspectum veniam. hoc enim est quod ipsemet Ioseph iustitiæ & pietati suæ dedit: de qua sic Lucas cap. 1. *Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eam traducere.* id est, nolens eam veluti adulteram prodere: ac propterea legi parens, cum illa, quam adulteram suspicabatur, morari non audens, de ipsa clanculum dimittenda cogitabat.

Alia est mens Honorij in hoc loco, qui illud, *Indica mihi*, de notitia mysterij Incarnationis omnibus passim tradenda exponit, hoc modo: *Notifica omnibus quòd in me tanquam in meridie requieveris. Ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum: ne scilicet hæretici, qui per Sacramenta apparent tui sodales, dilacerent me, dicentes: Si ergo peperit, phantasma est. Quæ ideo vagor per eorum greges, quia in conuenticulis eorum sum Psalmus eorum.* Itaque Mariam per sodalium greges ex eo vagari dicit, quia in hæreticorum vagis & inconstantibus mentibus nullam sui opinionem satis firmam, & stabilem habet; sed nunc in hanc, nunc in illam deerrat. Nemo autem nescit, quàm multi fuerint de Mariæ Virginis partu & conceptu, & quàm instabiles hæreticorum errores. Quos certa de vero illius conceptu per Spiritum sanctum sine viri operatione peracto, notitia & cognitio omnino conuincit, atque euertit. Sed quòd Honorius de mentibus & opinionibus prauè sententiam hæreticorum exposuit, hoc ipsum de voluntate, & affectu non rectè viuentium Christianorum haud insulsè interpretari licet.

Indica mihi ubi pascas, ubi cubes, &c. id est, mihi per te, & per me aliis notum fiat (ait Maria) quomodo in me tanquam in meridie degas, atque requiescas, vt sciant omnes te non alibi certius, quàm in me requirendum, & quia per mei studium ad tui dilectionem venire oportere. Nouerint quanto feruore, & ardore diligas me, & quanto in amore sis apud me. *Ne vagari incipiam per greges pastorum;* ne scilicet in cordibus ac studiis Christianorum, vaga & instabilis sim, dum in amore & dilectione eorum non perseuero ac permaneo, sed citissimè ab studio ad tædium, à desiderio & amore in contemptum transeo. Hoc enim est primum vitium quod deuotio & studium erga Deiparam habere consuevit, scilicet inconstantia & mobilitas. Rursus, *Ne tanquam mixta sim, &c.* Sic Iarrhius, id est, ne, vt fieri solet in eorum cordibus & affectibus, non quidem sola & impermixta, sed inter turbas aliarum creaturarum, quas ardentius diligunt, quàm me, confusa & permixta sim. Hoc est secundum vitium præfati studij erga Deiparam, quando non vnicè & super alias omnes creaturas adamatur, sed eius amor cum aliarum creaturarum dilectione permiscetur. Nam propter Mariam dictum est illud Sapient. 7. *Et præposui illam sedibus & regnis, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, &c.* Ad hæc, *Ne sim tanquam velata;* sic LXX. id est, ne tristis valde ac mœsta sim (hæc enim prima significatio velati capitis,) ne scilicet in eorum cordibus multam mœstiam, & luctum habeam, dum non aliter me, quàm Spiritum sanctum sponsum meum admissis sceleribus contristant; & tam mihi, quàm illi plurimam afferunt mœstiam. Ne videlicet in eorum cordibus ideo tristis efficiar, quia effusum illud gaudium, & lætitiæ, quam ego animis inspirare soleo, conscientia præuæ acerbi mœrores in amaritudinem ac tristitiam plurimam vertant. Et sanè nihil magis aduersum præfatæ deuotioni & studio erga Deiparam, quàm hæc quæ de conscientia peccatis obstricta, promanat tristitia. Nam de Maria enuntiari solet illud: *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiæ, & gaudium,* Sap. 8. *Ne sim (ait) tanquam circumamicta,* id est, ne tanquam adultera mulier capite velato per repudium è domo eiiciar. (hæc enim est secunda significatio capitis velo tecti.) Et sanè his, qui B. Virginem adamare cœperunt, non est insolens, ipsam denique non secus repudiare, & ab interiori animæ suæ domo propellere, quàm si adultera esset. Huc spectat illud Bonauent. in Psalterio: *Et qui illam repudiant, à misericordia Dei recedunt, &c.* *Ne sim veluti circumamicta,* id est, ne tanquam vilis aliqua meretricula in biuiis velato capite sedens, æstimer (hic enim erat habitus scortorum.) Nam sicut Maria in seipsa Virgo integra, & incorrupta fuit, ita etiam in cordibus eorum, qui ipsam

ipsam colunt & adamant, integram, & incorruptam virginitatem seruare cupit. Et sanè sicut in prædictis cordibus per amorem & studium colidicitur, ita etiam eatenus in illis Virgo est, quatenus hic amor ac studium integrum prorsus, & incorruptum existit. Quapropter toties Deipara in dictis cordibus Virgo quodammodo esse definit, quoties erga illam amor corruptionem aliquam admittit; id est, quoties alienus aliquis affectus illius amorem violat, ac corrumpit. At quis non videat in eorum, qui Mariam minus feruenter adamant, amoribus, ac studiis, per extraneos, alienosque amores violationes & corruptelas istas passim accidere? Quid autem magis alienum à tam purissima & immaculatissima Virgine, & piissimo erga illam deuotione ac studio, quàm vel hoc mundo spiritualiter in alienis cordibus corruptelæ, ac violationi patere? Rursus, *Ne sim tanquam circumamicta*, id est, ne mercenaria, aut ancilla esse desinens in libertatem vendicari velim (hic enim est liberarum fœminarum habitus, vt ex Ambrosio nuper dicebam) Bernardi est illa sententia, qui Beatæ Virginis erga suos amatores beneuolentiam explicans, ait: *Et seruientibus sibi seruit*. Ita enim se eorum vsibus demittit & accommodat, vt illis quodammodo obseruire videatur. Sed quid inde? Certè illorum, qui non satis feruenter Mariam diligunt, hæc cum primis iusta pœna esse solet, vt sicut ipsi illius obsequio & seruitio se subtrahentes libertatem affectant; ita etiam Virgo, quæ alioqui seruientibus sibi obseruit, erga liberos & seruitia detrectantes liberam quoque velato capite sese exhibeat.

Extrema expositio illorum verborum, quæ tribuitur Origeni, sic habet: *Ne sim veluti circumamicta*, id est, ne pudore, ac rubore suffusa faciem abscondere, & vultum tegere cogar, vt scilicet nec videar, nec videam; ita enim aliquando B. Virgo in eorum cordibus se gerit, qui ipsam tepidè amant; sed tum maximè in his, qui libidini, & carnalibus desideriis indulgent. de quibus Dionysius Carthus. in lib. 2. de Præconio Virginis: *Puritatem mentis & corporis diligit; concupiscentias verò & carnalia desideria, quæ militant aduersùs animam, tanquam ex pudore & verecundia fugiens, abscondit se.* Et quidem Beata Virgo ab illis, qui libidini, & carnalibus desideriis dediti inuerecundè se gerunt, quasi verecundata, & suppuens faciem auertit; ita vt neque eos aspiciat beneuole, nec ipsi benignissimo illius vultu dignentur, quippe quæ omnem libidinem, & impudentiam infensissimo odio habet.

Ad hanc sententiam allici potest illa Symmachi lectio, *Ne sim tanquam funda proiecta*, &c. nam, vt supra obseruabam, Salomon *Sapient. 2.* sic de libidine & luxuria, *inconstantia concupiscentiæ*, vbi pro inconstantia subest *πευκακουός*, id est, funda, aut fundibulatio. Erit ergo sensus huius loci: Ne me concupiscentiæ ac libidinis fundibulatio ab illis longiùs arceat, qui impurè viuunt. quia longè minori vi lapidem funda excutit, quàm me luxuries & lasciuia ab impudicis mentibus propellit.

Illa etiam translatio, quam Symmachi Græca lectio nobis suppeditat, non insulsè huic sententiæ accommodari potest: *Ne sim velut rombo incantata*. Hoc enim malum maximum in quorundam cordibus Virgo experitur, in quibus amor & deuotio erga illam quasi incantationibus quibusdam illigata, & deuincta est: quatenus nec operosa, nec actiuosa, sed iners planè & inutilis existit. Sicut enim thesaurorum, quos Magi & incantatores suis carminibus concluderunt, nullus est vsus; ita etiam deuotio & studium erga Deiparam (quod alioqui locuples valde thesaurus est, Sap. 7. *Infnitus ea thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplina dona commendati.*) Si nimirum illud inertia, aut concupiscentiæ rombus lasciuis carminibus illigauerit, atque obstrinxerit, velut incantatum manet: atque adèò illi ad salutem animæ uti non licet.

Denique ad eandem sententiam acciri potest translatio Rabbi Salomon, *Ne sim tanquam auis rapax*, &c. Propterea enim Beata Virgo ne talis sit studiosè cauet, quia rapacium auium maximè proprium est carnes etiam corruptas & immundas appetere: at ipsi omnia carnalia & impudica maximè inuisa & infensa sunt. Hæc sunt præcipua vitia, quæ ab amore, & studio erga Deiparam auertunt animas: hæc sunt quæ ipsa Deipara tanquam sibi maximè inuisa & infensa repudiat ac refutat: quæ ideo fidelibus animis placere impensè cupit, vt illa declinet, atque euitet. Sed redeo ad expositiones PP.

Alij per *meridiem* cœlestem beatitudinem notari, ac Deiparæ votum id esse volunt, vt istam beatitudinem ipsi per contemplationem intueri, & ad illam ocyùs transire liceat. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Dionysius Richelius. *Tu* (inquit)

quit) *peramantissime fili, Rex gloria, quamdiu in hoc mundo detineor, da mihi lucide contemplari, imò de die in diem splendidius intueri, qualiter in throno illo beatitudinis sempiternæ resideas, & in comprehensoribus lucis increata quiescas, eosque substantiali tuæ deitatis pane reficias, atque ad gloriosam tuam præsentiam citò me digneris transferre.* Accinit Guilielmus Parisiens. qui hanc esse dicit Mariæ vocem, dissolui, & cum Christo esse cupientis. Quæ verò sequuntur, sic censuit Dionysius: *Ne vagari incipiam, &c. id est, Ne inter perfidos Iudæos perseuerem, quæ tuam sic persequuntur primitiuam Ecclesiam, cuius persecutio est mihi grandis afflictio. Qui Iudæi sunt greges tuorum sodalium, id est, subditi Pontificum, qui se iactant Dei vicarios, cum sint Pontifices Synagoga satanæ.* Quæ licet apposita sint, tamen fas est tam vulgatam lectionem, quam alias translationes præmissas huic sententiæ adaptare, ad significandas huius vitæ misérias, & ærumnas, quas sanctissima Virgo ad beatitudinem translata vitare ac declinare cupiebat: quarum accommodationem, studens compendio, missam facio.

Alanus per meridiem passionem Christi Domini intelligit, ac de Beata Virgine sic ferit: *Indica mihi quem diligit anima mea (ut scilicet his verbis exprimat amor ineffabilis matris in filium, quæ illum in passionis articulo non reliquit, cum in Apostolis ardor charitatis deficit.* Mensuram verò charitatis nostræ erga Deum, quam Christus præscripsit illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis,* Virgini applicuit Alanus ad hunc modum: *Toto corde Christum dilexit, quæ carnem Christi sic nutriuit, ac fouit, ut ob amorem carnis eius ab amore carnis suæ suspensa in necessitates nascentis, lætentis, vagientis, crescentis omnes sui cordis affectiones effunderent. Tota anima Christum dilexit, quia tantus vigor Spiritus sancti eam adiuuit, ut ad qualibet salubria, & sanctissima eam confortando in amorem Christi accenderet. Totis denique viribus Christum dilexit, quia mentem eius tanta vis amoris occupauerat, ut fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lachrymis astans cruci, & condolens morienti animam suam pro filio etsi minimè posuit patiando, tamen exposuit compatiendo.* Sed vide quæ supra in prophetica expositione de amore Ecclesiæ erga Christum contulimus: vnde enim non pauca ad Mariam conuertere integrum erit. Et sanè Alanus per meridiem, in quo Beata Virgo filium videre, & ad ipsum venire appetit, eiusdem passionem concipit: tum, quia circa meridiem passus est, ut ex Origene, & Apponio supra adscripsimus: tum etiam, quia in eo tempore Christi Domini charitas vehementius exæstauit. Sed huius desiderij, quo Beata Virgo ad Caluariæ locum veniendi, & patiendi Christo se sistendi ardebat, rationem offert sequentibus verbis: *Ne vagari incipiam iuxta greges sodalium tuorum, id est, ne sicut Apostoli sodales tui vagi & inconstantes fugerunt, sic etiam ego parum stabilis recedam à te.* Nam vel ideo *iuxta crucem stetisse* dicitur Maria, ne qua vagæ instabilitatis suspicio in ea relinqui videretur. *Ne sim tanquam circumamicta* (sic LXX.) Ne scilicet adulterij rea videar, atque adeò digna, ut velato capite ad tribunal, & inde ad supplicium. Quasi dicat: *Ne cum reliqua Ecclesia tuam ô Christe fidem fefellit, atque infidelitatis spirituale adulterium admisit, ego quoque eiusdem adulterij conscia violẽm fidem tuam.* At quis nesciat Bernardi & aliorum Patrum sententiam, qui seriò affirmant per triduum passionis in sola Maria, reliquis Apostolis ad infidelitatem relabentibus fidem integram perseuerasse. *Ne sim tanquam circumamicta*, ne scilicet capite velato in semitis sedens scortum ignobile ad speciem videar (hic enim est alius huius lectionis sensus.) Certè illud scortis valde solemne affirmat Cassiodorus *variar. lib. 2. epist. 12.* filios nimirum nothos & spurios ex illegitimo thoro susceptos sæpiùs negligere, & nihil curare, sæpe etiam odisse. Cuius incuriæ, aut odij opportunam rationem offeri idem author, quia scilicet prædicti filij non quidem splendorem & gloriam, sed infamiam & dedecus matribus suis asportant; iuxta illud Salomonis profatum Sap. 3. *Ex iniquis somnis qui nascuntur, testes sunt nequitia aduersus parentes in interrogatione sua.* Aptè igitur Maria vel ideo ad locum, vbi filius sub meridiem patiebatur, peruenire cupit, ne tanquam meretrix appareat: ne scilicet filium suum non secus negligere & aspernari videretur, quasi si spurius esset ac nothus, non utique ad gloriam, sed ad dedecus parentis suæ prognatus. Ne meretrix appareat: nam meretrices filios ex illicito concubitu susceptos deserere, & patrum curæ ac tutelæ tradere continuò solent. Non ita Virgo Deipara: imò potiùs filium à Patre derelictum ac desertum (tunc cum ita exoptulabat, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti*

liquisti me) ipsa sollicitè curabat, ita vt morienti, & extremum spiritum ducenti nunquam defuerit.

Ne sim tanquam circumamicta., &c. Ne scilicet pudor faciem tegere & abscondere cogat (vt explicat Origenes.) At quid aliud Beatam Virginem ad Caluarium euntem reuocare posset, nisi verecundia & pudor, qui illi suadebat turbas fugere, & recessus ab arbitris remotissimos adamare? Sed vicit pudorem amor filij, qui tantum apud sanctissimam matrem valuit, ac potuit, vt non velata, sed detecta & operata facie in turbas militum irrumpere, & ad filium venire ipsam compulerit, vt patienti proximè adesset. Et sanè tantus erat Mariæ pudor, tantusque solitudinis amor ac studium, vt minor causa illam turbis inferere, & in publicum adducere non posset. Ait ergo: *Ne sim tanquam circumamicta*, id est, vt aperta, & detecta facie ad te veniam, non turbas ex verecundia euitans, nec de filij ignominia, & passionibus erubescens, sed potius de eiusdem iniuriis, & cruciatibus gloriabunda, faciem, vultumque ostentans, ipsa enim longè melius, quàm Paulus vsurpare potuit illa verba: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Vel aliter, *Ne sim tanquam circumamicta*, id est, ne me liberam velato, sed ancillam detecto vultu significem. Sic Ambrosius. Quod Virgini ad Caluarium eunti, & iuxta crucem stanti apprimè quadrat. Nam apud Iurisperitos serui pœnæ, aut supplicij, appellantur illi, qui functioni, aut ministerio cuiusdam publico supplicij loco ita addicuntur, vt illius euadendi nulla spes superet; sed in illo potius emori ac perire opus sit: velut qui ad metalla, vel ad bestias, vel ad triremes damnantur. Constat autem ex *l. 7. ff. de stat. liber. & l. 2. § 1. ff. ad Tertull.* & ex aliis etiam iuribus, non viros solum, sed etiam fœminas seruas pœnæ fieri solitas. Ex hac veteri iuris dispositione desumptus est, ni fallor, modus loquendi Cassiodori, qui fœminam quandam, cuius vir in bello occubuerat, *seruam doloris* vocauit, *lib. 3. variar. Epist. 20.* quia nimirum ex eo tempore, quo viri mortem rescivit, vsque ad sui quoque obitus diem nunquam dolorem leniuit, nec à luctu & lachrymis temperauit. Similem ergo ad modum Beatam Virginem pœnæ ac doloris seruam, & ancillam in passione filij sui effectam dicere fas est; imò & ante passionem, ex quò à Simeone verba illa accepit: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius.* ac proinde de futura filij sui nece edocta, & admonita est. Nam ex eo tempore ac deinceps, nunquam dolorem, lachrymas, & compassionem ad extremum vsque sui obitus diem intermisit. Rupercus asserit, ipsam post Christi in cœlum ascensionem, locis in quibus Christus passus fuerat indies reuisendis, repetendisque, magnam vitæ suæ partem impendere solitam, vt nimirum priores doloris causas assiduò instauraret, acceptaque olim animo suo vulnera in horas singulas reficaret, sui scilicet mœroris, angoris, & pœna serua, ancillaque effecta. Ideo ait: *Ne sim tanquam circumamicta*, &c.

Altera Hebraizantium lectio est, *Ne sim tanquam mixta inter greges sodalium tuorum*, id est, ne cum turba reliquorum hominum, quos passionis & sanguinis tui pretium redemit, & sodales tibi adiunxit, communi sensu numerer. Reuocanda est in memoriam illa doctrina, quam non semel aliàs tradidi, sed maximè in defensione immaculatæ Conceptionis *cap. 2. & 3. & 24.* ex qua constat Beatam Virginem in ordine decretorum Dei non equidem communi aliorum prædestinatorum computo in eodem signo ad gratiam & iustitiam per Christi merita electam fuisse, sed in priori quodam instanti ante alios prædestinatam; ita vt ipsa prior, alij verò ideo post ipsam, quia per ipsam electionis suæ gratiam adepti fuerint. Ideo igitur Maria locum & horam passionis suæ sibi à filio demonstrari postulat, illis verbis, *vbi pascas, vbi cubes in meridie*, vt nimirum ipsi patienti propiùs adesse posset: & quemadmodum prima ad passionem venit, ita etiam in his qui per passionem, & sanguinem Christi redempti, assertique sunt, prima & princeps esset, non confuse & indiscretè cum aliis passim hominibus electa, sed prioris, & dignioris electionis gloria decorata: vt *non sim mixta inter greges sodalium tuorum.*

Symmachus habet, *ne sim funda proiecta inter greges sodalium tuorum.* quæ lectio ad constantiam Virginis iuxta crucem stantis referri potest, ita vt sensus sit: Ne cum alios inconstantia (sic enim vulgatus restituit vocem illam *πευκαρπύς* Sap. 3. *Inconstantia* (inquit) *concupiscentia*, &c.) fugauit, & fundæ ad instar longiùs à Christo excusset, ita similem ad modum inconstantia memet longè à filio remoueat: quin potius constantia, & robur iuxta crucem proximè stantem collocet, ac contineat: ne scilicet

licet cum Christus passionem suam inchoaturus, tantum se ab aliis discipulis abstraxit, *quantum iactus est lapidis*, significans eos erga dolores & passiones suas veluti lapideos ab ipso proiici ac remoueri; ipsa quoque Deipara lapideam aliquam indolentiam habens, longius quoque arceretur; quin potius propter cor ad compatiendum tenerum nimis ac molle eidem Christo propius adhereret in societatem suarum passionum admissa.

Reliquas etiam translationes eidem Virgini cum Christo simul patienti ac dolenti accommodare non est arduum, quas, ne longior sim, de industria supprimo.

Ad extremum Rupertus locum istum de Maria Christum Dominum inter cognatos requirente exposuit; sic enim scribit, *Indica mihi, &c. Sed dico, nunquid nesciebas? nunquid quod Propheta scierunt, tu ignorabas? Vtique nescires, nisi de super tibi inditum fuisset.* Et postquam sibi obiecit illa verba: *Fili, quid fecisti nobis sic*; quæ ignorantiam aliquam innuere videntur. & illa, *Mater eius conseruabat omnia verba hæc conferebat in corde suo*, quæ nihil horum matrem latuisse adsignificant; ita demum conficit: *Ecce duo quasi repugnantia: si enim non nesciebat quomodo quarens dolebat, dolens quarebat? Si autem nesciebat, quomodo, vel quibus in corde suo conferebat? Quia veraciter magna hæc Prophetissa quid ageretur non ignorabat, quia gratia plena erat, & tamen dolens quarebat, quoniam dispensationi diuina suo silentio seruiens, quamuis in illis querentibus quareret tempus tacendi custodiebat, & dolentibus condolebat.* Hæc Rupertus. Quibus contendit Deiparam per dies illos, quibus I E S V S disparuit, nec locum ubi agebat, nec opera illius ignorasse; ac proinde non tam de filio absente, quam de Ioseph aliisque cognatis pueri absentiam ægrè ferentibus per condolentiam quondam indoluisse. quam sententiam nec probo, nec refello. Posterius hemistichium huic sententiæ non adaptat Rupertus, potest tamen accommodari ad hunc modum.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. id est, ne sit necessum tui vestigandi gratia, huc illuc vagis gressibus perferri inter sodales & cognatos, iuxta illud: *Et requirebant illum inter cognatos & notos.* Alias verò lectioes huic interpretationi accommodare non est difficile. *Ne sim velut circumamicta*, &c. siue per circumamictam intelligas adulteram, siue meretricem, siue eam, quæ ex pudore faciem contegit; hæc enim omnia non sine lepore de Virgine filium desiderante ac requirente enunciari possunt. Ne scilicet ideo sim meretrici similis, quia filij curam abieci: ita enim ferunt meretricantium mores, (vt nuper dicebam,) ne etiam cuiquam in mentem venire possit, ideo me à filio derelictam & desertam, quasi pudeat illum ex tali parente natum esse, sicut solent hi, qui ex adulteris, aut ex impudicis matribus degenerare partu sati sunt. Ne etiam mihi per vicos, fora & compita vrbs, inter turbas te perquirenti faciem præ verecundia celare & abscondere necessum sit, siue, quia castam Virginem turbis immisceri pudet, siue etiam, quia fateri tantum ac talem filium, ex qualibet causa, à matre sua deperditum pudor prohibet, quatenus ab his, qui diuini consilij dispositionem ignorant, incuriæ prorsus & improvidentiæ maternæ meritò tribui poterit. De reliquis lectionibus tute tibi alia comminiscere his similia.

Vers. 7. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.

E X P O S I T I O P R O P H E T I C A de Ecclesia.

PR O P H E T I Æ proprius & germanus ordo postulat, vt hæc verba non secus de antiqua Ecclesia ante Christi Incarnationem explicentur, quam superiora, quippe quæ ad tempus antenuptiale spectant; nuptiæ verò ab Incarnatione Christi, & non antea initium capiunt. Sensum igitur propheticum istius loci primus mihi assequutus videtur Chaldæus Paraphrastes; *dixit sanctus & benedictus Deus Moysi Propheta: Synagoga, quæ comparata est puella pulcherrima, & quam anima mea diligit, ambulet in vjs iustorum, & ordinet orationem.*

nem ſuam in ore Praefectorum ſuorum, & deducat generationes ſuas, & doceat filios ſuos, qui comparantur hadis caprarum, vt ambulent in domum Eccleſia, & in domum doctrine, donec mittam eis Regem Meſſiam, qui ducat eos in requiem, &c. Cum Chaldaeo concinit Apponius, & Ambroſius ad ſuperiorem verſum citatus in expoſitione Prophetica, qui de Synagoga hæc verba concipiunt. quibus etiam adſtipulantur Rabbi Salomon, Abenezra, & incertus Hebraeus apud Genebrardum. De hac igitur antiqua Eccleſia ſingula verba edifferamus.

Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres. Huius elogij, quo ſponſa exornatur, ſignificationem tradit Apponius: *Hic, ait, mulierum nomine omnium gentium multitudinem nominavit, inter quas omnes nationes vt Regina ornata monilibus (legis videlicet, ac ſacrificiorum ritibus) quæ templo non aliter utebatur, quàm ſponſa thalamo, omnibus pulchrior gens Hebraea eſt nominata, quæ in illa plebe, quæ Chriſtum cognouit, quaſi legitimum virum in propria domo ſuſcepit, &c.* Ad hanc ergo Eccleſiam, ſeu gentem Hebræorum, quæ non ſecus inter reliquas nationes fulgebat, quàm Virgo aliqua forma inſignis inter deformes valde mulieres, Dei filius, qui ipſam tandem aliquando ducturus erat, ſic fatur: *Si ignoras te, id eſt, ſi non fatiſ te tuamque fortunam, & felicitatem agnoſcis: ſi ſcilicet te eſſe gentem, reliquis nationibus poſthabitis, à Deo Opt. Max. electam nondum bene tenes, quia nondum ego ad te ducendam, & ſtabili connubio mihi adiungendam è cælo ad terras veni.* Sic habet. *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum,* id eſt, noli ex deſidia otari, ſed eorum, quæ tui muneris ſunt, nihil omitas: tuis nimirum gregibus paſcendis inſiſte, & incumbere; id eſt, homines tibi traditos & commiſſos doctrinâ, legibus ac monitiſ ſalutaribus paſcito. Sed quamdiu in hoc opere perſiſtes? *Et paſce hados tuos circa tabernacula paſtorum,* id eſt, tamdiu huic exercitio operam dabis, quoad veſperinum tempus ſuccedat, & die ad noctem vergente capellas tuas ad caulas applices, & tu quoque ad tuguria recurras, (eſt enim paraphraſis noctis ingruentis.) innuit autem Synagoga, vt in die illo myſtico, & ſpiritali ſeptimanæ mundialis, quem legis veteris ſcriptæ ſpatia conficiunt, non priùs populos ſibi traditos per ipſius legis dogmata informare, & inſtituere deſinat, quàm veſpera, id eſt, finis ſucceſſerit. Tunc enim, id eſt, ad veſperam dictæ diei, quam lex ſcripta conformat & complet, ad carnem ſumendam, & nuptias cum prædicta Eccleſia copulandas ſe venturum promittit. Itaque ſi huius carminis ſententiam vno verbo complecti velis, ſponſus, id eſt, filius Dei Synagoga ſponſæ ſuæ id perſuadet, vt populos ſibi traditos, tanquam greges ouium tamdiu doctrina illa, quæ ſecundùm legem eſt, paſcat ac reficiat, donec ipſius legis finis ac terminus ſuccedat: in quo fine ad carnem ſumendam, & connubia iungenda, ipſum Dei filium venire opus erat. Interim autem dum hoc ipſi demandat, modum certè eidem præſcribit, quo id cauere ac vitare poſſit, quod in ſuperiori verſu ſe timere dixerat. Sed quid hoc?

Timebat certè *ne vagari inciperet.* Vel, vt habent LXX. *Ne fieret tanquam circumamicta.* quas lectiones pluribus ſuprà interpretationibus dorauimus. Sed duæ ſunt germanæ magis. Verebatur nimirum ne ſi per agros & nemora hæc illæque iret pallio tecta virgineo, ſcortum aliquod impudicum non tantùm videretur, ſed etiam fieret, prouocata in ſe paſtorum libidine. Vel ſi id non placet, timebat ſanè adulterium, & adulteris decretas pœnas, quas tecto capite, & velata facie ſuſtinere cogebantur. Hæc & alia in ſono allegoriæ ſuperioris verſus, quæ ſubinde in expoſitione prophetica eiſdem carminis de violatione, & corruptione fidei per infidelitatem, & de cultu falſorum deorum per idololatriam interpretati ſumus: infidelitas enim adulterij, idololatria verò ſcortationis nomen paſſim fert in ſacra Scriptura. Iam me tenes. Ideo ergo ſponſus, id eſt, filius Dei ſuadet, aut præcipit ſponſæ ſuæ veteri Eccleſiæ, ne domi ſe contineat, ſed populis per eam, quæ ſecundùm legem eſt, doctrinam paſcendis ſedula incumbat: quia nimirum ſicut virgo greges & ouilia per agros regens, hoc ipſo ab omni amiſſi pudoris ſuſpicionem, & à procorum iniuriis libera eſt (vt nuper in allegoriæ ſono monſtrabam,) ita etiam præſatæ Eccleſiæ euenturum dicit, vt ſcilicet dum populos ſalubri doctrina paſcit, ab omni infidelitatis adulterio, & idololatriæ ſcortatione, aut ſuſpicionem illius alieniſſima ſit. Nil certius.

Hic eſt germanus magis huius carminis intellectus, qui cum extrema corticis explicatione cohæret, quam reliquis facile præferendam eſſe dixi. Si tamen cuiſpiam ſexta expoſitio arriferit, quæ verba iſthæc adoleſcentulis ſponſæ ſodalibus accom-

modat;

modat; cui etiam quinque alia interpretationes facile cedunt, alio modo prophetia institui potest: nam puellæ isthæc sponsæ sociæ, aut pedissequæ (vt sæpè aliàs animaduerti) diuersas Ecclesias, aut Synagogas adsignificant, quæ vnus vniuersalis Ecclesiæ, aut Synagogæ dogmata amplectuntur. Istæ igitur plures Synagogæ sic vnam illam Catholicam, seu vniuersal'em Synagogam cohortantur: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum.* Si nimirum tu, quæ es ex omnibus coalescens, atque adeò cum singulis collata, pulchritudine, & venustate longo interuallo cunctas superas. Si, inquam, non satis teipsam intelligis, quia videlicet in his, quæ pertinent ad Messiam sponsum tuum, cuius aduentum non longè abesse credis, dubia hæctenus & anceps es: & quia tibi etiam times, ne ad infidelitatis adulterium, aut idololatriæ scortatione m prolaberis: si quidem ab his incommodis libera & immunis fieri velis, hoc age; *egredere, & abi post vestigia gregum* (sponsi gregos intelligit, vt suprâ monebam.) Quasi dicat, eam viam carpe, quam greges tui exterunt, nam eorum vestigia te ad illum certissimè perferent. Atqui per greges istos, quos sponsus, id est, filius Dei ducit, Angelorum cœtus intelligit Origenes, (hi enim sunt qui gregem illum nonaginta nouem ouium perficiunt, quem pastor bonus in deserto reliquit, vti ad vnam ouem perditam disquirendam veniret, *Luc. 15.* vt communis fert Patrum sensus in eum locum.) Ait ergo: *Egredere, & abi,* &c. id est, ne tua te contineat incuria, sed per eam, quam greges sponsi tui, id est, Angeli quasi impressis vestigiis demonstrant viam, gressus tuos rege, id est, per legem ipsam, quæ Angelorum ministerio tibi olim tradita est, dicente Paulo ad Galat. 3. *Lex propter transgressionem posita est donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Hæc enim lex te ad sponsum tuum Messiam sine errore aliquo denique perferet. Aliter etiam per dictos sponsi greges, quorum vestigia insequi iubetur sponsa, antiquos Patres capere licet cum Chaldæo & Rabbi Salomone; ille enim ait: *vt ambulet per viam iustorum.* hic verò sic serit: *Attende ad vias Patrum tuorum veterum, qui leges meas susceperunt, & seruarunt cautiones, præceptaque mea, & illorum vijs insiste, atque ita eam ob rem pascas agnos tuos apud principes populorum.* Itaque suadetur sponsa antiquorum Patrum & Prophetarum non tantum monitis parere, sed etiam mores imitari. Hi enim meritò sponsi, hoc est, Dei greges dicuntur, quos nimirum Deus ipse sic pascit tanquam pastor oues suas, vocans eas nominatim; & ipsi etiam veluti oues germanæ ac propriæ vocem illius audierunt.

Quid plura? *Et pascas hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Per hædos rudiores homines intelligit Iarrhius, quos sponsa, id est, Synagoga doctrina sana, & optimis quibuscunque documentis pascere, ac nutrire debuit: vt scilicet hoc seridò præstans omnem infidelitatis, aut idololatriæ suspicionem declinaret. Sicut enim Virgini, quæ greges pascit, sine suspitione prostitutionis, & sine iniuria pudori sui inter pastores alios incedere, & conuersari integrum est; sic etiam Synagogæ euenturum promittitur: vt nimirum eos, qui rudiores & imperitiores sunt, veritate fidei pascens, ac nutriens, etiam si infidelibus & Gentilibus vndique cincta sit populis, salua tamen fidei integritate sine aliqua suspitione infidelitatis agere & conuersari possit. Vide quanti sit momenti rudiores, & imperitiores in fide confirmare, & instituere: his enim probè institutis, & informatis de cætero integra Ecclesiarum fides futura dicitur.

Hæc sunt quæ cum litterali horum verborum sensu maximè cohærent.

Illud minus cohærens quod tradit Apponius, non tamen alienum prorsus; congruit enim cum tertia expositione corticis, quam in sono allegoriæ tradidi. Hic quidem verba ista per concessionem quandam ab sponso enunciata esse voluit, quasi fieri indulgeat quod maximè cautum esse velit, ita vt sensus sit: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum.* Si nimirum tuam imbecillitatem non satis agnoscis, nondumque intelligis, quanto in periculo sis fidei violandæ, & ad infidelitatem discedendi, id age quod prius minabaris. *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pascas hædos tuos,* &c. Relege sextam interpretationem suprâ datam & præfatum Apponium cohærentia ferentem de Synagoga ausculta: *Illam autem plebs, quæ ista omnia suscipere contempsit* (id est, Ecclesia Hebræorum) *hoc illi eueniet quod præfenti loco vox Dei minatur, quæ dum Christum in propria venientem suscipere renuit, tradita est sanctissimis Regibus, & de proprio solo lugens egressa abiit post vestigia viarum gentium gregum trahentium se, & pascit doctrinæ suæ cibo, circumcisionem tenendo, siue legem Moysi, filios suos hædos à sin-*

stris segregandos iuxta tabernacula pastorum, id est, horum procul dubio Principum, quorum potestati tradita est. Qui pastores nominantur ab eo quod circumspeditione sua legibus ac monitis populos pascant. Per tabernacula vero idolorum templa intelliguntur. Hac autem Hebraeorum Ecclesia cum se extollit legem Moysi & ritum circumcisionis custodire iuxta ipsam impietatem gentium qui idola colunt, manere approbatur. Nihil enim magis proximum infidelitati Gentilium, quam Iudaismus. Quod vel ex eo colligere licet, quia, ut ait Diuus Augustinus, plures suo tempore erant Iudæi, qui ex circumcisione ad idololatriam prolabebantur, quam hi, qui à suis erroribus resipiscentes conuertebantur ad fidem. Itaque in his verbis reprobationem Synagogæ infidelis propheticè adumbratam contendit Apponius; quæ interpretatio ne violet ordinem contextus, qui agit de tempore antenuptiali, ita quidem accipi debet, ut hæc verba dicantur à sponso ante nuptias, id est, ante Incarnationem, modo iam dicto, & comminationem quandam contineant futurorum malorum, quæ infideli Synagogæ, & Christum non recipienti euenire oportebat; ita nimirum, ut hæc concessio ad eam partem Hebraicæ plebis referatur, quæ à fide Christi ad infidelitatem desciiuit: in quam tertia illa corticis expositio tota ad amussim quadrat. Sed nihilominus duas interpretationes præmissas germanas magis esse existimo.

Aliter verò & meliùs hæc verba Synagogæ tribuit Ambrosius *serm. 2. in Psal. 118.* Quæ autem ibi dicit, cum quinta expositione corticis apprimè concinunt. Putat ergo Ambrosius, sponsum his verbis non ad infidelem & impiam Synagogam, sed ad fidelem & sanctam, sermonem hunc facere. Subiicio verba Ambrosij: *Nisi scias (inquit) te decoram inter mulieres, & dicas, fusca sum, sed decora: Fusca sum, quia peccavi, sed decora, quia diligor, quia genus sum Abraha, quia electum genus dilectum Deo: nihil tibi proderit Patrum gratia, &c.* Quasi dicat: Tunc te decoram agnosces, cum fuscam fatebere: hæc enim confessio decorem tibi maximum afflabit. Addit. *Si ergo scias te, & cognoscas, quia peccato obnoxia es, exeundum est tibi in calcaneis gregum: exi ergo nuda pede, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum.* Et paucis intercalatis: *ideoque Petro dicitur: Pasce agniculos meos. Sed quo exeat audi. Ad tabernacula, inquit, pastorum, hoc est, ad gentes, & ad dispersionem gentium, ideoque dicit: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis, ut repleatur totus orbis terrarum grege Christi, significans tunc fore saluandam Synagogam, cum huic dispersioni seipsam sociauerit, quæ repleuit omnem mundum. Tabernacula enim Pastorum regna sunt terrarum. Et ideo David nationes annuncians credituras: Regna, inquit, terra cantate Domino.* Hactenus Ambrosius, quibus verbis Synagogæ, seu Ecclesiæ illi antiquæ denuntiata vult, futurum aliquando, ut ex Iudæa, intra cuius fines & cancellos eatenus sese continuerat, pedem efferret, & ad gentes pertransiret, hædos ad pabulum ductura, id est, Gentilium neophytos, qui priùs reprobi æstimabantur, in electorum gregem cooprans, ac referens, in facie & oculis omnium Regum totius orbis. Nota autem cohærentiam huius versus: sponsa quidem ideo se continebat, ne ad sponsum vestigandum foras se daret; *Ne vagari videretur, ac ne fieret tanquam circumamicta inter pastores,* id est, ne inter multos procos meretrix vel appareret, vel fieret. Et reuerà, hic erat Synagogæ antiquæ metus, cum intra terminos Iudææ se coercens à gentium conuictu, & consortio tantopere abstinebat, ne scilicet ad illas diuertens ab integritate fidei ad scortationem, id est, ad idololatriam pertraheretur. Occurrit ergo sponsum, affirmans tunc virgines sine iniuria pudoris sui, & sine nota impudicitiae inter multos pastores degere, cum in syluis ac nemoribus greges suos ex more ducunt. Nimirum sub hac allegoria Synagogæ fidei sponsæ suæ denuntiat breui futurum, ut ad eum modum populos novos veritate fidei, & Euangelij pascens, sine fidei iactura, & sine suspitione infidelitatis inter Reges & regna Ethnicorum ac profanorum gentium conuersari possit. Quibus verbis continetur translatio Ecclesiæ à Iudæis ad Gentiles: quam expositionem vel ideo probo, quia cohæret cum sequentis carminis cohærentia.

Appendix superioris expositionis.

AD eas quas dedimus explicationes horum verborum, aliæ quoque Patrum expositiones accedunt de sancta Dei Ecclesia: quæ ideo cum littera minus cohærent, quia prædictæ Ecclesiæ non ante Incarnationem Christi, sed post illam, atque
adeò

adeò post nuptias initas accommodari possunt. In primis autem elogium illud, quo sponsus Sulamitem suam exornat, appellans eam *pulchram inter mulieres*, non eodem sensu donant Patres. Augustinus *sermone 25. de verbis Domini*, sic ait: *Quantumvis alia pulchra sint donis viri sui, hareses tamen sunt, ornatu, non visceribus pulchrae sunt foris, & extrinsecus nitent, nomine iustitiae se dealbant. Omnis autem pulchritudo filia Regis ab intus.* Philo Carpathius, *Pulchram*, ait, *inter mulieres eam esse dixit: nam inter hareses omnes & Synagogas, & Conuenticula sola Ecclesia speciosa est, & decora fide, spe, & charitate; non quòd per se hæc habeat, sed quòd ab sponso gratis acceperint: ex specioso enim speciosa præ filiis hominum.* Id est, sicut ille speciosus præ filiis hominum, sic etiam Ecclesia speciosa est præ filiabus, & præ cunctis, scilicet mulieribus. Accinunt Beda, & Iustus Orgelitanus, qui *mulierum* nomine hareses, accipiunt. Huius verò acceptionis optimam rationem accommodat Iustus: *Bene, ait, pulchra inter mulieres, id est, gloriosa inter hareses: congruè enim mulierum nomine vocitantur, quia virginitatem, quæ est in Christo, amiserunt, id est, integritatem, & incorruptionem fidei.* Sed qua in re dicta pulchritudo sita est? Philo supra in fide, spe, & charitate ponendam existimavit. Augustinus in *lib. de Pastoribus cap. 5.* in unitate & concordia: nam pulchritudo reuera nihil aliud est, quàm diuersorum membrorum concursus structura, aut diuersorum colorum ad vnã temperiem redacta proportio. *Pulchra* (inquit) *es inter mulieres, sed agnosce te. Vbi te agnosces? in toto orbe terrarum. Si enim pulchra, unitas est in te: vbi diuisio, scditas est, & non pulchritudo.* Anselmus verò sic addit: *Pulchra inter mulieres per virtutes, & electionem diuinam.* quam scilicet virtutes pulchram reddunt, & electio diuina reliquis cœtibus ac religionibus præfert. Denique Honorius Augustudunens. de etymologiis mulieris ac pulchritudinis ludit. sic enim fatur: *Pulchra* (inquit) *dicitur, quasi puluere carens. Et intelligitur Ecclesia perfectorum puluere peccatorum etiam leuium carens. Mulier verò dicitur quasi mollior, & intelligitur multitudo imperfectorum qui molles sunt, id est, proni ad peccandum.* Denique author incertus tom. 12. *Biblioth. PP.* sic ait: *Mulieres vocantur sectæ hæreticorum, quia omnes pariunt, ac nutriunt filios suos.*

Ad hanc igitur Ecclesiam, quæ tot nominibus pulchra dicitur, sic Christus sponsus eius: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum.* D. Augustinus *locis citatis*, verba ista per comminationem ad Ecclesiam dicta autumat: cuius expositio congruit planè cum tertia interpretatione corticis. Nam in *sermone illo 15. de verbis Domini*, sic habet: *Corripit, ut constringat, ac seruet. Nisi cognoueris, inquit, temetipsam, quia vna es, quia per omnes gentes es, quia casta es, quia colloquio peruerso malorum sodalium corrumpi non debes: nisi, inquam, cognoueris te ipsam, quia rectè te mihi desponsatam Virginem castam exhibere Christo, exi tu: tu, inquam, exi; alijs enim dicturus sum: intra in gaudium Domini tui: tibi verò non dicam, intra; sed exi, ut sis inter eos, qui ex nobis exierunt, &c. Exi, inquam, in vestigijs gregum, & pasce hados tuos in tabernaculis pastorum. Exi, scilicet in vestigijs non gregis, sed gregum, & pasce, non sicut Petrus oues meas, sed hados tuos, in tabernaculis non pastoris, sed pastorum; non unitatis, sed diuisionis, ab eo scilicet loco electa, vbi est vnus grex, atque vnus pastor.* Itaque ista verba contra schismaticos & hæreticos, qui Ecclesiæ unitatem distrahunt, prolata existimat Augustinus, qui in duobus alijs locis supra citatis sibi per omnia similis est. Nam in *lib. de Pastoribus*, inter alia sic ferit: *Exire hæreticorum est: aut ergo cognosce te, aut exi; quia si te non cognoueris, planè exitura es. Exitura quòd? in vestigijs gregum, sequendo malos greges. Et ne existimes quòd oues sequaris si exis: audi quòd sequitur: pasce hados tuos. Nostis fratres vbi sunt hadi? ad sinistram erunt omnes qui exierunt ab Ecclesia. Manenti quidem Petro dicitur: Pasce oues meas; exeunti hæretico, pasce hados, non meos, sed tuos.* Hæc Augustinus satis argutè. Nec inelegantior est in illa epistola vbi addit notanter dictum illud *exi tu*. Quasi dicat: *Non ego te eijcio, sed tu ipsa malo tuo exis, ut dicatur de te, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Et sanè hæc verba ad eos omnes, quos Ecclesia excommunicat, & censuris suis confixos à consortio & conuictu fidelium arcet, accommodatissimè referri queunt in sensu Augustini.

Beda de perpeffione laborum aliquid miscet, atque illud, *si ignoras te*, ita recenset, id est, si te non satis agnoscis, quòd licet valde decora sis, tamen per laborum, & tribulationum examinationem multo pulchriorem effici oportere. *Egredere, & abi, &c.* te ipsam inter reprobos numera, atque adeò ad imitandos impiorum actus perpetuæ damnationi addicta, excede. Hic sensus, mitto verba quæ per concessionem

quandam Eccleſiæ dicta ſunt, vt id caueat maximè quod indulgentia diuina ipſi per-
mittit. Illud præterea, & *paſce hædos tuos*, ſic Eccleſiæ adaptauit Beda: *Quòd ſi igno-
ras te ſub cuiſmodi conditione mihi eſſe deſponſatam, vt agnos meos, id eſt, animas mihi
ſimpliciter & innocenter ſeruietes verbo ſalutis paſcere poſſis, recede longius, & perditos
nutri auditores, relictis verbis prudentum, quæ per magiſtrorum conſilium dantur à Paſto-
re vno, Paſce, inquam, hædos tuos, qui rectè hædi vocantur, & tui hædi: hædi ſcilicet,
quia ſuperbi & luxurioſi, & ad ſiniſtram denique reponendi in die iudicij: tui autem,
quia non mei; quia non iuxta meorum mandatorum regulam, ſed iuxta tuos magis in-
ſtruuntur errores.* Hæc Beda. Sed tam Auguſtini, quàm Bedæ expoſitiones non tam
aptè in vniuerſalem quadrant Eccleſiam, quàm in aliquam ex multis, quæ nimirum
per errores, aut hæreſes ab vnitæte Eccleſiæ reſceſſit.

Honorius verò, & Iuſtus Orgelitanus quandam expoſitionem tradunt cum ea,
quam in ſono allegoriæ ſecundo loco adſcripſimus conformem; *Si ignoras te* (ait
Chriſtus ad Eccleſiam) verbalunt Honorij Auguſtudinensis, *Tu es locus meus, tu
locus manſionis meæ, & extra te nullus mihi locus eſt manendi: atque adèò niſi ignores te,
non poteris ignorare me.* Luculentius igitur Orgelitanus: *Igitur non oberres alibi me ex-
tra te querendo vllò modo: in te enim vbi me hætenus non quærebas, tanquam in meridie
requieſco. Iam igitur intellige vbi me in te manentem, & gubernantem te ipſam quæras, &
inuenias: ne vel in nocte quorumlibet ſimulatio te abducatur.* Deinde verò quanam ſit
hæc Eccleſia, in qua ſe manere dicit, exponens, addit: *In illis te eſſe cognoſce, quibus
poſt reſurrectionem meam veraciter repromiſi. Ecce ego vobiscum ſum uſquè ad conſumma-
tionem ſæculi. Quòd ſi in fide huius repromiſſionis meæ fluctuas, nec meam præſentiam, nec
tuam pulchritudinem cognoſcis.* Sed quomodo ſequentia cum his cohærent.

Honorius quidem ſic neſcit: *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos
tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Si (inquit) *ignoras te eſſe locum manſionis meæ, egrede-
re, & abi, &c.* Quasi dicat: à Iudæorum Republica excedens, ad Gentilium Ec-
cleſiam progredere, ac non iam me in vno tantum tabernaculo & templo, vt olim,
nanciſci licebit, ſed in multis paſſim tabernaculis ac templis, quò me paſtorum, id
eſt, Sacerdotum poteſtas aduocat: atque ibi non tantum iuſtorum oues ad dexteram
locandas, ſed etiam hædos impiorum ad ſiniſtram reiiciendos paſces; illis quidem ſa-
lutem & vitam; iſtis verò iudicium & mortem deuorantibus. Sed Iuſtus aliter prioris,
& poſterioris hemiſtichij nexum pangit per conſeſſionem illam iam dictam, quæ
non ſine minis libertatem indulget. *Egredere, inquit, & abi, &c. Merito enim poſt ve-
ſtigia gregum perget qui paſtoris veſtigia derelinquit. Et paſce hædos tuos: id eſt, iniuſtos
homines oblectans traditionibus, vel conuenticulis hæreticorum: his enim redargutionibus
obiurgari merentur, qui Chriſtum in Catholica Eccleſia, & ſeipſos Catholicam Eccleſiam
eſſe non cognoſcunt.* Quòd aduerſus huius temporis hæreticos aptè depromptum, qui
Catholicam Eccleſiam ignotam prorfus & inuiſibilem, ac ſoli Deo perſpectam eſſe
contendunt: quique eo ipſo quòd ſe Eccleſiam eſſe minimè norunt, ab Eccleſia lon-
giſſimè recedunt. Lege Auguſtin. *locis citatis*, Eccleſiam militantem propter certiffi-
mas eius notas planè viſibilem, & conſpicuam eſſe ex illis verbis ſuperioris carminis,
Ne efficiar tanquam circumamicta, contendentis ac comprobantis.

Quapropter nouam expoſitionem horum verborum ex Auguſtino & Iuſto peti-
tam conformare licet ad hunc modum: *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egrede-
re & abi, &c.* Quasi dicat: non poteris certè ignorare te eſſe veram & Catholicam
Eccleſiam, ſi tuam pulchritudinem cum aliarum ſectarum forma contuleris, id eſt,
mores cum moribus, & tuos paſtores cum aliarum religionum paſtoribus compoſue-
ris. Nulla enim eſt certior tui cognoſcendi ratio, quàm iſthæc collatio & compara-
tio. Videant ergo fideles quantum illorum mores ab infidelium moribus abire de-
beant: videant paſtores veræ Eccleſiæ quantum ipſos ab aliarum ſectarum paſtori-
bus diſtare opus ſit: quandoquidem latiffimum diſcrimen quòd inter Catholicam
Eccleſiam, & quaſlibet alias falſas Religiones intercedit, ex hoc potiſſimum indicio
peti debet.

Denique incertus author ſuprà citatus aliam nobis offert expoſitionem de ſancta
Dei Eccleſia: *Si ignoras te*, id eſt, ſi non habes diſcretionem, & fideles ab infideli-
bus non ſatis diſtinguis, ac ſeparas, *egredere, & abi*, id eſt, egredieris planè, &
abibis. Quasi dicat: non tantum veritatem tu deſeres, ſed etiam plurimos alios ſedu-
ces: abibis nimirum *poſt veſtigia gregum*, id eſt, ad hæreticorum errores diſcedes: &
paſces

pasces hædos tuos, id est, tuos quoque affectatores, & auditores falsis dogmatibus nutries *iuxta tabernacula pastorum. iuxta*, inquit, *non intra*: quia heretici, & mendaciorum dogmatum magistri associant se fidelibus, catholicisque magistris; & *iuxta sunt*, quia quoad fieri potest fideles se simulant: & ideo maxima cura discernendi sunt, &c. Accinit etiam Philo Carpathius, nisi quòd per tabernacula pastorum ipsa hæreticorum conuenticula intelligit, aut Iudæorum cœtus, à quorum sensu vera Ecclesia longissimè remoueri debet: atque adeò meritò hoc in illa incusatur, quòd *iuxta* incedat, etiamsi ad illos penitus non diuenterit.

E X P O S I T I O M Y S T I C A
de Anima.

S *Ignoras te, ô pulcherrima mulierum*, &c. Cùm hæc verba ante nuptias siue à puellis præsentibus, siue ab sponso absente dicta sint, vt sæpiùs animaduerti, si animæ tradantur iuxta germanum magis eorum sensum, ad ea certè, quæ iustificationem præcedunt (hæc enim nuptias animæ cum Christo perficit) & quæ ad iustificationem disponunt ac preparant, referri debent. Finge igitur tibi animam in mystico illo spiritualis septimanæ die, quem in mystica expositione superioris carminis descripsimus, cui scilicet pro *manè* est excitatio voluntatis per auxilium gratiæ effecta, & motus primus voluntatis ad bonum: pro *meridie* verò desiderium & concupiscentia boni, quo anima ante dilectionem perfectam accendi solet; ac demum pro *vespera* ipsum consensum & actum deliberatum dilectionis Dei, in quo nuptiæ spirituales consistunt. Cogita etiam animam ad huius typici diei meridiem iam iam venisse, atque desiderio & concupiscentia Dei ardentem, moras quassibet incusare, & ægrè ferre, quoad ille ad animam deueniat, vt ipsam per gratiam & charitatem sibi adiungat: atque ipsam demum animam inter has moras per desiderij motus ad illum quoad fieri potest pergere contendentem. Hanc igitur animam ad hunc modum ad prædictæ spiritualis diei meridiem redactam, Deus sponus necdum quidem præsens per gratiam, sed absens adhuc, proximè tamen venire, & adesse decernens, sic alloquitur:

Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum. Sed quomodo eam animam, quæ necdum ipsi per charitatem deuincta est, *pulcherrimam inter mulieres*, id est, inter alias animas collocat, quasi eximia præditam venustate? Respondeo comparisonem istam nequaquam cum his iniri animabus, quas charitas & gratia Dei iam iam honestat atque condecorat; sed cum aliis quæ nondum gratiæ decorem, & pulchritudinem affectatæ sunt: quæ vel ideo *mulieres* appellantur, quia peccatis corruptæ, quia molles sunt atque imbecilles; nec tales prorsus, vt in ipsas quadrare possit illud: *Respondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Congruit autem hic sensus cum expositione prophetica de Ecclesia, iuxta quam per *mulieres* communi sanctorum PP. calculo hæres es, & alias falsas religiones, aut fictas notatas fuisse nuper dicebam.

Igitur hanc animam, quæ ideo inter mulieres, id est, inter animas peccatis corruptas *pulcherrima* appellatur, quia licet eximium charitatis & gratiæ decorem nõdum acceperit, tamen fidei, spei, & aliarum dispositionum, quæ ipsam proximè ad dictam gratiam præparant, venustatè adepta est, sic alloquitur Deus sponus illius: *Si ignoras te*, id est, si non satis intelligas te ipsam, si nimirum quid actura, vel quòd abitura sis non discernis, quia motus animi tui necdum exploratos habes, (luculentius dicam) si necdum discretionem spirituum adepta es, qua possis te ipsam, & quæ intra te sunt, penitus diiudicare, ac statuere, (hoc enim proprium est animarum quæ resipiscere incipiunt,) *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Per greges spirituales animi vires; per hædos animales ac sensitiuas potentias notari voluit Origenes; & in pastoribus Superiores & Prælatos contemplatur; ac proinde sensus erit: si ad eum modum ignorantia tui laboras, atque adeò te ipsam tute regere & moderari nescis, vt ad me venire possis, hoc age, omnes tuas tam interiores, quàm exteriores potentias & sensus rege ac tempera prope pastorum tabernacula, id est, iuxta Superiorum & Doctõrum, quibus tradita es, documenta & consilia. Quasi dicat: quamdiu non potes ex iudicio & decreto tuo viuere, aliorum iudicio & voluntati

luntati te ipsam permitte. Hoc enim est primum documentum, quo incipientium animas commonefieri opusest. Sed replicemus amplius ista verba, & cum his, quæ ad sonum allegoriæ diximus, conferamus.

Si ignoras te, &c. Primò quidem his verbis sponsus sponsam aduentum eius ardentissimè desiderantem ad vesperam vsque expectare iubet; tunc scilicet, cum ipsa hædículas suas ad caulas cõget, & seipsam ad pastoritia tuguria referet; quia hoc est tempus in quo ipsum venire, & nuptias copulari oportet (iuxta morem maritis solemnem, qui vespere sponfas ducere solebant.) Ad eundem modum tibi finge Dei filium animæ, nuptias illius iam iam votis omnibus concupiscenti hoc suadere, vt scilicet interim quamdiu ipse per gratiam suam ad illam venire differt, tamdiu omnes suas siue rationales, siue animales potentias moderetur ac regat, ne ad delicta & peccata, veluti ad illicitos vetitosque pastus delabantur; pro certo habens, vt tunc cum dictas potentias animales ad temperantiæ ac modestiæ causas collegerit, & quæ rationales sunt, ad rationis & honestatis stabula compulerit, ac semetipsum ad tuguria pastorum, id est, ad obedientiam superiorum receperit, tunc quidem veluti ad vesperum se venturum esse, vt animam legitimo charitatis connubio sibi adiungat. Quomodo autem animas internas, & externas potentias tanquam mysticos greges ducere debeat, eruditè tradit Philo Iudæus in lib. de Agricultura, ex quo pauca excerpere, & hîc adscribere libet. *Natura* (inquit) *unicuique nostrum cognatas addidit pecudes ex vna radice anima duabus velut stirpibus pullulantes; quarum vna integra, indiuisaque intellectus appellatur: altera ab imo in septem ramos diuiditur, scilicet in quinque sensus, & duo instrumenta vocis & genitura; quæ multitudo tota bruto comparatur pecori, & quia numerosa, & quia operam rectoris necessariam habet. Quoties igitur imperitus regendo proficitur, plurimorum malorum causa fit pecori: nam ille superflua copiose suggerit; at illud in tanta copia ciborum nimia saturitate petulans redditur, & per eam petulantiam saltitant, & contempto rectore vagantur, soluuntque gregis ordinem; atque ita ductor desertus iterum discursat, satagitque, si fortè possit denuo in unum compellere, & cum videt se operam perdere, gemit ac flet, damnans suam facilitatem, & culpam in seipsum referens. Ad eundem modum pecus sensuum, quando intellectus supinè se gerit, & ignauiter: nam saturatum copia rerum sensibilibium ceruicem iactat, & subsultat, &c.*

Hæc igitur est conditio passionum & affectionum humanarum, hic status animæ; tunc enim necdum ad bonam frugem sese transtulit; aliquos tamen resipiscentiæ motus sentit. Quapropter sponsus vt animam ad sublimiorem ac digniorem statum transmittat, sic præcipit, vt pecora ista mystica olim dispersa in greges ordinatissimos colligat, *abi post vestigia gregum*, atque eadem accuratissimè ad pastum ducat ac regat. De hoc autem ductu idem Philo sic habet: *Pastores bonos dicemus illos, qui delectu rerum necessariarum habito, quæ commodissima sunt, has illi præbent, rescissa & amputata inutili superfluaque copia, quæ non minus nocet, quàm inopia: quique modis omnibus prouident ne grex neglectus in morbos incidat, imò & vota faciunt, ne qua externa calamitas ingruat: in primis autem curam habent ne grex vagabundus dispergatur, metum intentando castigatorem non obtemperantibus rationi.* Et paulo post addit, prædictum gregem, quem tam interni, quàm externi sensus componunt, ab anima, quæ sui compos est, vbi necessaria ad vitam tuendam pascua delibauit, *in caulas & stabula temperantiæ ac modestiæ quamprimum reuocandum esse.* Idipsum Sulamiti suæ suadet sponsus illis verbis: *& pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, id est, tamdiu pasce, donec illos affatim saturatos ad caulas, & teipsam ad tuguria pastorum referas. Hinc autem disce non posse animam ad obedientiam pastorum & superiorum tota conuerti, nisi prius omnes sensus & affectiones suas compresserit, & tanquam pecora ad caulas reuocauerit. Nam sine hac passionum & affectionum moderatione, & mortificatione non potest perfecta, & minimè repugnans obedientia acquiri. Rursus, nemo nescit ab obedientia perfecta ad charitatem proximè gradum fieri; imò potius in hac perfecta obedientia charitatem ipsam posuit Christus Dominus, cum ait: *Qui diligit me, mandata mea seruabit.* In hac autem charitate consistunt nuptiæ animæ cum Deo: atque adè in ea die spirituali ac mystica, quam excitatio diuinæ gratiæ tanquam diluculum inchoat, ad desiderium, & concupiscentia boni quasi ad meridiem affert: obedientia denique veluti ad vesperam traducit, per quam anima tanquam pastrix bona, gregibus suarum passionum & affectionum

tionum ad caulas redactis, ad pastorum tuguria sese transfert, id est, superiorum voluntati sese committit: atque in eo suæ dispositionis articulo veluti ad vesperum venit sponsus, ac per gratiam & charitatem eandem animam sibi adiungit. Huc spectat illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruat; & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Cæterum, vt sonus allegoriæ cum hac spirituali expositione prorsus cohæreat, notandum est id, quod inibi diximus, scilicet sponsum cum hæc præcipit sponsæ suæ, modum & rationem eidem præscripsisse, qua posset illas, quas in superiori versu vereri se dixerat iniurias & calumnias, vitare ac declinare. Quid autem verebatur? *Ne fieret tanquam circumamicta inter pastores, &c.* Ne scilicet per agros peruagata, & pallio velata, meretrix prostituta vel ad speciem appareret. Nam vt ab hoc periculo immunis esset, suadet illi in hoc versu vt greges pascat: id enim virgini innuptæ absque iniuria & sinistra suspitione licet. Sed nota animæ, quæ nuptias charitatis necdum cum Christo pepigit, statum & conditionem; hæc enim quamdiu charitatem non est adepta, cum mali quidpiam declinat, non ex fine & intentione charitatis hoc præstat, sed ex alio fine. Ille autem maximè communis esse solet finis harum actionum, quem Christus Dominus *Matth. 6.* hypocrisi adscribit: *Ne scilicet videantur ab hominibus.* Hæc autem erat cura, qua per id tempus ante nuptias charitatis se se teneri significat sponsa: non tam ne esset meretrix, vel adultera fidem Deo datam violans, quam ne talis appareret: ait enim, *ne efficiar tanquam circumamicta.* Sponsus ergo ipsam propius ad charitatem transmittens, ita nunc præcipit vt oculos hominum nequaquam curet, aut timeat, sed potius in publicum prodiens, ea quæ muneris sui sunt, agat, & administret; (sic enim accipio verba illa, *Egredere, & abi post vestigia gregum, &c.* cum pastrix sis, ea quæ pastricis sunt propria, exequere.) Nam ea, quæ ex debito muneris sui quibus agere tenetur, nec propter homines præfari debent, vt nimirum ipsis placeant, nec propter homines omitti debent, ne scilicet ipsis displiceant. Nec rursus propter homines agenda, vt inde humanæ opinionis aura captetur, nec propter homines omittenda, vt scilicet cenodoxiæ, aut vanæ gloriæ periculum fugiatur. Ideo iubetur anima etiam in oculis & conspectu aliorum pastorum res suas agere. *Et pasce, inquit, hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.*

Alius etiam sensus institui potest, in quo non tam obedientia, vt hætenus diximus, sed amor proximi sit tanquam vespera præfati diei spiritualis ac mystici; cui succedit ilicò dilectio & charitas Dei, quæ nuptias animæ cum Deo perficit. Sic ergo ait: *Si ignoras, &c.* id est, si nescis vbinam sponsus maneat, & qua demum ratione tu ad illum venire debeas, vel ille ad te; *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Hætenus certè per greges ipsiusmet sponsæ, id est, animæ tam interna, quam externa ouilia, sensus videlicet ac potentias cum plerisque Patribus intelleximus. In hac verò interpretatione & sequentibus cum multis aliis (quos ad sonum allegoriæ recensuimus,) non sponsæ, sed sponsi greges capere oportet, quos insequi, & ad pabulum regere iubetur Sulamites. Per eiusmodi autem greges sponsi cunctos homines, quorum pastor ac pecuarius Christus est, intelligere necesse est, dicente ipso: *Ego sum pastor bonus,* & Petro ad stipulante, *Cum apparuerit princeps pastorum.* Ergo spōla, id est, anima, quæ huic pastori per charitatis nuptias copulari vult, interim dum ille per gratiã eidem animæ occurrit, omnes alio homines proximos suos adamare, ac de illis quomodolibet bene mereri iubetur, siue boni sint, siue mali; siue amici, siue inimici; hoc enim significat differentia vtriusque pecoris, scilicet gregum, id est, ouium atque hædorum. Cum verò audis, *hædos tuos,* memoriæ occurrat Pfelli interpretatio, qui hoc dictum putat propter communionem bonorum, quam nuptiæ inducunt inter sponsum & sponsam, ratione cuius sponsus hædos illos, qui sui sunt, sponsæ hædos appellat: quasi dicat, *pasce hædos meos,* quos iure matrimonij tuos esse volo; vt proinde illos non tanquam rem tuam, imò & tanquam te ipsam abs te adamari, & foueri debere intelligas. Et sanè in his officiis ac commodis, quæ pastrix bona pecori sibi tradito exhibere solet, omnes modi, quibus anima iusta de proximo suo bene mereri debet, præclarè adumbrati sunt. Nam misericordiæ erga proximum exhibendæ duo sunt officiorum genera: aliud quod spiritualia opera, & beneficia concludit, aliud quod corporalia munera & dona continet. Vtrumque suadet sponsus sponsæ in hoc versu, vt notauit Angelo-

mus,

mus, cum ait: *abi post vestigia gregum, & pasce hodos tuos.* Nam post vestigia gregis abire perinde est, atque illum regere, & ducere. Omnia verò spiritualia misericordiae opera ad regimen & directionem proximi pertinent. *Pascere autem gregem,* quod ad corpus refertur, reliqua eiusdem misericordiae opera corporalia coërcet. Sic ergo interpretare. *Abi post vestigia gregum, & pasce hodos tuos iuxta tabernacula pa-*storum, id est, ad vesperum vsque (vt alias notavi.) Quasi dicat; proximos tuos tam bonos, quam malos, tam amicos, quam inimicos impensè dilige; ac non modò spiritualia, sed etiam corporalia auxilia, & subsidia illis administra. Hoc si egeris, tunc veluti ad vesperum, quando scilicet tu non aliter proximorum tuorum greges optimis quibuscunque meritis & beneficiis affectos & reffectos tibi obstrinxis, & ad obligationes gratiae referendae sic redegeris, quemadmodum pastrix foemina oves, agnosque suos è pascuis saturos ad caulas sub vesperum colligit: tunc, inquam, per gratiam ad te veniam, ac tibi adero (inquit sponsus) vt videlicet per dilectionem & charitatem perfectam quasi legitimo coniugio mihi te adiungam. Huic expositioni adstipulantur Angelomus, & Author incertus, quatenus his verbis amorem proximorum persuaderi volunt.

Sed tamen si per dictos greges, quorum vestigia insequi iubetur sponsa, non quidem ipsius sponsae, sed sponsi ouilia captare licet, alia subest expositio, quam nobis exhibent tres Patres apud Theodoretum, qui in hisce gregibus creaturarum omnium naturas contemplati sunt, per quarum vestigia ad Dei cognitionem, & sui ipsius intelligentiam peruenire licet. Nam inter alia sic habent: *Egredere autem in vestigijs gregum, nempe in diuersarum naturarum reipsa expressis vestigijs, per qua sigillatim indagando ratio definitur. Greges verò dicuntur rerum natura, quoniam earum singula facta sunt digna, quas prouidentia sua Deus quasi pastor gubernet, moderetur, ac regat.* Hanc verò rerum naturalium atque gregum comparisonem tradidit etiam Philo Iudaeus in lib. de agricultura: *Dominus, inquit, pascit me, &c. Tale carmen omnem amicum Dei meditari conuenit; sed praecipue mundum hunc id decet. Nam sicut quendam gregem terram, aquam, aërem, ignem, & quicquid in his continetur vel stirpium, vel animalium mortalium, diuinorumque (id est, hominum, & Angelorum) ad hac caeli naturam, Solis ac Luna circuitus, reuolutiones caterorum syderum, choreasque concinnissimas tanquam pastor ac Rex Deus regit iure, legeque, praefecto his recto sermone primogenito filio, qui curam magni huius gregis, tanquam magnus prorex in se recipiat, &c.* Quid illustrius? Sed aptemus verba singula huic sententiae, *Si ignoras te.* Tres Patres praedicti sic exponunt. *Si tibi es ignota, & mysterium tuum intellectu non complecteris.* Tu verò sic adde: Si ideo de me ignorationem plurimam habes, quia non te intelligis: Si, inquam, cum possis ex sola cognitione tui ad cognitionem mei peruenire, nihilominus ignoras me, quia tu ibi agnita non es, *egredere & abi.* id est, *ex parte mentis ad sensum progredere tu, qua ratione prorsus exornata es,* (sic aiunt tres Patres) quod perinde est ac si dicant: Tu quae ratione & discursu polles per ea, quae sensibus patent, ad cognitionem eorum, quae à sensibus remota sunt, contende: nam discursus quaedam est mentis progressio, cum scilicet singularum rerum, quas assumit cognitiones singuli passus sunt ad ea, quae colligit & tubsumit. Sed quomodo spirituales istos gressus & passus regendi sunt? *post vestigia gregum,* vel, vt restituunt Septuaginta, *in vestigijs gregum,* id est, per sensibilibus creaturarum agnitionem, modo dicto. Quomodo autem cognitio creaturarum ad agnitionem Dei hominem deferat, tradit Paulus ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur,* id est, cognitio creaturarum sensibilibus ad Dei agnitionem tantum valet, vt cunctas Dei perfectiones, quae suapte natura à sensibus remotissimae sunt, per sensibilia adumbratas veluti sensibus ipsis subiiciat, ita vt diuinitatem ipsam in illis non tantum mente complecti, sed quodammodo etiam oculis contueri, & manibus contrectare liceat.

Nyssenius propius ad hanc interpretationem accedens rerum naturalium vestigia alio modo obseruare praecipit, vt per haec ad Deum contendamus. Et quidem cogitare opus est, nullum esse magis conforme signum animalis cuiuspiam, quam illius vestigium, quod pedis experimentis figuram sic excipit, sicut in seipso est, & ex pede reliqui corporis notitiam offert. Id ergo considerans Nyssenius sic fatur: *Egredere tu in vestigijs gregum. Quasi dicat, oportet aspicere ad ipsam rerum naturam, & non vestigijs errantibus à veritate aberrare. Multi enim homines non iudicant ipsi quemadmodum se*

se habeant res natura, sed eorum, qui vixerunt, consuetudinem & opinionem sequentes aberrant à sano rerum iudicio, &c. Itaque, vt compendio vtar, Gregorius hoc sponsæ, id est, animæ ab sponso suo Deo persuasum voluit, vt scilicet rerum naturalium naturalia, & genuina vestigia persequatur, non opiniones & errores hominum. Quicumque ergo per creaturas ad Deum peruenire cupit, opiniones vanas hominum deerrantium deserat, & in vestigiis illis, quæ pedes, id est, fines rerum naturalium in hoc mundo relinquunt, cogitationem suam defigat, atque ea ratione fiet, vt ex his pedibus earundem rerum abeuntium planè ac deficientium plenam cognitionem adeptus, illas demum contemnat, donec omnibus creaturis prætergressis atque despectis, ad creatorem perueniat, qui solus constantiam & immortalitatem habet.

Ea verò quæ sequuntur, & *pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, cum superiori expositione ita connectunt tres Patres, vt per hædos prauos animi motus & affectiones significari velint, quos pascere, id est, regere ac ducere iubetur sponsa per supradicta rerum naturalium vestigia: vt per earum exempla ex sua improbitate ad probitatem & honestatem traducantur. Sic enim aiunt: & *pasce hædos tuos: turbidos scilicet animi tui motus, & sinistra partis retinentes locum per exempla rerum naturalium ducito, desiderium malorum omnium causam in diligentiam conuerte, exemplo formicæ parans ipsa tibi in presenti tempore, quo in futuro perfruaris: imprudentiam ad prudentiam exemplo serpentis redige; iracundiam quæ est animi commotio, columba exemplo reuoca ad simplicitatem, vt eos, qui te iniurijs afficiunt, minimè persequaris, sicut columba, quæ propter insidias, aut pullorum suorum direptionem ab insidiantibus & diripientibus non recedit: intemperantiam denique ad temperantiam turturis imitatione traduces, vt cum opus est à rebus sensui iucundis abstineas, quemadmodum & illa amisso coniuge vidua vitam transigit.* Et sanè ipsa carnalium passionum & affectionum regendarum ratio esse videtur, ipsas per aliorum animalium, & belluarum exempla coercere, & comprimere. Nam cum ipsæ sponte sua belluinæ sint, & animales, meritò ad ipsas regendas ex animalibus & belluis, tanquam ex vicinioribus exempla & documenta petuntur: ex illis, inquam, animalibus ac belluis, quarum pastor ideo dicitur Deus ipse, quia illas *pastoris instar moderatur ac regit.* Quamuis enim in his, quæ agunt, naturæ ipsius ductum, & instinctum sequi videantur, earum tamen naturam Deus ipse immediatè gubernat, & iuxta impressos illis motus, & impetus administrat. Cum igitur sponsus Deus secundum præmissam expositionem id exigat ab sponsa sua, vt hædos suos, id est, carnales, seu potius animales motus parum rationi obsequentes sic moderetur, vt rationi parentes his, quæ ipse vult, ac præcipit, minimè reluctentur, meritò quidem ipsorum animalium naturas, & instinctus, quos Deus sine aliqua repugnantia regit, iubetur obseruare & inspicere, vt ex illis edoceatur non solum prædictos motus & passiones diuinæ voluntati sine aliqua resistentia regendos permittere, sed etiam per ipsorum animalium, & aliarum irrationabilium creaturarum exempla & documenta, quales sint eiusdem diuinæ voluntatis nutus, & propensiones, facile ex his rebus discere licet, quæ diuinæ voluntati necessario, tamen sine violentia, iuxta congenitos naturæ ipsius impetus obsequuntur. Sed quamdiu prædictos irracionales motus tanquam hædos per vestigia gregum, id est, per rerum naturalium exempla ab sponsa, id est, ab anima eo modo regi & ductari oportet? Addit sponsus, *iuxta tabernacula pastorum*, id est, donec ad caulas temperantix redigantur, (hanc enim vim habent ista verba, vt nuper dicebam.) Tunc enim his motibus ad eum modum temperantix, & modestix redditus è vestigio adest sponsus, atque animam per charitatem sibi adiungit.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

S *Ignoras te, ô pulcherrima mulierum, &c.* In his verbis, vt communior fert Patrum sententia, ignorantia sui ipsius laborare significatur sponsa; atque ad eò status quidam describitur, in quo anima ad cognitionem sui necdum peruenit. Hanc tamen ignorantiam, per quam anima semetipsam nescire dicitur, non vna tantum in re sancti Patres posuerunt. Origenes bipartitam sui cognitionem & ignorantiam commentus est: aliam quidem naturalis essentix, aliam dispositionis moralis, & secundum vnã & alteram vnã quoque & alteram expositionem efformat. Prior est, si

ignoras te, id est, si non agnoscis quid secundum tuam substantiam sis, quod nimirum sis quædam natura rationalis, mortalis tamen, & creata: & quatenus corpore constat Angelis inferior; quatenus mente pollet reliquis creaturis supereminens. Si, inquam, hæc & alia, quæ de essentia & substantia naturæ tuæ sunt, non agnoscis, id est, si non expendis, nec reputas apud te, *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*, &c. Imperatiuum vsurpatum pro futuro, putat Origenes, nimirum, *egredere, & pasce*, pro *egredieris & pasces*. Quasi dicat: si hæc nescieris, circa alia quæ ex illis colliguntur, errabis plurimum, atque adeò hominum perperam sententium dogmata amplecteris, & tu quoque alios prauis dogmatibus informabis. Hoc est compendium eorum, quæ Origenes longa oratione persequitur *in homil. 2. ex quatuor*, & naturalis Philosophiæ, ad fidei, ad morum doctrinam roborandam, necessitatem ostendunt. Ex cuius Philosophiæ ignorantia multam quoque rerum diuinarum & moralium ignorationem, imò potius per multos in vtraque cognitione tam Ethica, quàm Theologica, errores euenire necesse est. Nil certius.

Posterior expositio est, *si ignoras te*, si nimirum ignoras, qualiter in omni morum genere te habeas, & quo in gradu virtutum sis: si nescis etiam vtrum Deo placeas, an eidem displiceas, *exi in vestigijs gregum* (verba sunt Origenis,) *eris scilicet de grege omnium, & nihil egregium ages*, nihil scilicet non vulgare & commune efficies,) *quia te à gregali conuersatione non sequestrabis: atque adeò eris non solum in grege, & de grege, sed in grege ultimus, ac nouissimus: tibi enim dicitur, abi post vestigia gregum, atque inde fit, ut & dum eo modo per ignorantiam tui ad gregem transiens eris similis pastoribus, quorum tabernacula nullibi diutiùs permanent, id est, tam in doctrina, quàm in moribus eris inconstans & mobilis, pascens non oues (quod est animal simplex, sed hædos, lasciuos nimirum, & inquietos sensus, atque ad peccandum deputatos. Atque hæc erit pænâ illius animæ quæ seipsam non studuerit agnoscere in affectibus, & actibus suis.* Hæc quoque ad compendium redegi, partim sententiam, partim verba adscribens. Quibus Origenes significare vult, nullum hominem in honestate valde proficere, & ad digniorem aliquem virtutis gradum euadere, aut in probitate fati constantem esse, aut denique carnales motus ac sensus coercere, & rationi submittere posse, qui seipsum per examen conscientiæ, ac morum suorum assiduò non explorat, atque circumspicit. Quod vsque adeò certum & exploratum est, ut sanctissimus Pater noster Ignatius in aureo Exercitiorum libello, spiritualis profectus summam ex hoc singulorum operum & actionum examine & exploratione dependere seriò affirmarit.

Diuus Ambrosius *in Psalm. 118. serm. 10. vers. 1.* locum istum sic extulit: *nisi cognoueris te decoram inter mulieres.* atque adeò hæc verba de cognitione humanæ dignitatis exponit, sic enim habet: *Cognosce te anima, quia non de terra, non de luto, sed de Deo es; quia insufflauit in te Deus, & fecit in animam viuentem. Opus es magnificum Dei generatione inspiratum, disce homo ubi grandis, & pretiosus sis, vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rerum, imago pretiosum.* Et pleraque alia de hac dignitate & venustate animæ, & humanæ naturæ subnectit, ac demum sic absoluit. *Manus tua fecerunt me*, inquit Iob. *Manus ait, pluraliter, non manum. At verò alibi ait: Ego manu mea solidavi cælum, & manus mea fecit hæc omnia. In hominis verò constitutione videtur non abundare quod in toto mundo ut fieret redundauit, cælum vna firmavit manus, & vtraque Dei manus hominem figuravit, cælum non ad similitudinem, homo ad similitudinem, Angelus ad ministerium, homo ad imaginem.* Parcit quidem sequentibus verbis Ambrosius in hoc loco; sed *in libro de Isaac, & anima, cap. 6.* priora illa verba, *nisi cognoueris te decoram*, de agnitione propriæ dignitatis ad eundem modum exponit, & quæ sequuntur, sic demum contextit, *Cognosce te, & natura tua decorem, & quasi exuta vinculis pedem & nudo exerta vestigio, ut carnalia integumenta non sentias, atque vestigium mentis tuæ carnalia integumenta non implicent, ut pes tuus speciosus appareat. Talis enim Moyses, cui dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, ut nudo spiritu vestigioque mentis incederet. Hoc est enim quod ait: Exi tu in calcaneis gregum.* sic expendit Ambrosius lectionem illam *in calcaneis*, qua putat sponsæ hoc persuaderi, ut nudo apertoque pede procedat. Audiant hoc discalceati, qui non corporeos tantum, sed spirituales etiam & mysticos pedes, id est, affectus suos ab his, quæ secundum carnem sunt, propensionibus exuerunt. Sicut enim Moyses ex pastore ad principatum ascitus & assumptus pedes nudare iussus est (*porque quica los traya calzados con abarcas;*) adeò ut ipsa pedum denudatio inaugurationis forma fuerit. Vide Pereyram

ram in eum locum ; ita etiam cum animæ nudis pedibus progredi præcipit sponsus , eam ad imperium inuitat. nam subdit Ambrosius, hoc est quod dicitur : *Exi tu in calcaneis gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum*, quia per greges regnum intelligitur, eo quod potestatis sit gregibus præsidere. Præsidet autem unusquisque sibi quadam potestate regali, si coërceat in te corporis luxus, & seruituti redigat carnem suam ; ideoque dictum est : *Regnum Dei internum est*. Vnde pulchrè ait : *Ad animam exi, quasi dicat, Exi à seruitio, exi à carnis imperio, & exi non in carne, sed in spiritu, exi, inquam, ad regimen potestatis. Pasce hædos tuos, hoc est, rege ea, quæ in sinistra tua sunt, coërce petulantiam, lasciuiam tui corporis, eijce è domo leues motus, pasce eos in tabernaculis pastorum qui regere gregem suum norunt*. Itaque mens Ambrosij est : ideo ad dignitatis suæ cognitionem excitari his verbis, vt scilicet ab omni corporea & mortali pronitate exutis affectuum pedibus carnis suæ, atque omnium, quæ in ipsa sunt, passionum & cupiditatum, imperium regnumque fuscipiat sponsa.

Rursus idem Ambrosius lib. 6. *Exaem. cap. 6.* ad hæc verba : *nisi cognoscas te decoram in mulieribus*, de cognitione etiam sua aliquid serit, & sponsam pulchram in mulieribus, hoc sensu dictam ait, cuius scilicet pulchritudini spirituali, omnis alia mulierum corporalis venustas facile cedit : *Nam spiritualis (inquit) pulchritudinis decor, perire non potest, corporalia verò omnia processu ætatis, aut ægritudinis inæqualitate marcescunt*. Si autem expositio ista non displiceat, de comparatione vtriusque pulchritudinis licebit dicere spiritualis venustatis victoriam in eo poni, quod illis fœminis, quæ regendis, pascendisque gregibus operas suas impendunt, ex Solis æstu, aliisque temporum iniuriis, pulchritudo perire solet. In spirituali verò decore contra fit, nam vita pastoritia, id est, vita actiua, per quam anima contemplationis recessus deferens ad curandam proximorum salutem progreditur, & quæ ex hac vita euenire solent iniuriæ & incommoda, non minuunt, vel extenuant pulchritudinem ; sed augent potius & cumulant. Ideo postquam dixit sponsa, *nigra sum, quia decolorauit me Sol*, sponsus, ne Solem amplius vereatur, persuadet his verbis. *Egredere, & abi post vestigia gregum, &c. & pro tabernaculis Cedar offert tabernacula pastorum*, quæ nimirum sub dio etiam manent cœlorum inclementiis exposita. Huc spectauit D. Isidorus, qui illa verba : *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum*, sic expendit ; *Si nimirum non satis agnoscis tibi laboribus, persecutionibus, & ærumnis pulchritudinem accedere, &c. & Cassiodorus ait : Quid querens te denigratam esse, quæ lauacro regenerationis pulchram, sed pulchriorem magis laborum & tribulationum examinatione esse disposuit*.

Denique idem Ambrosius in *Psal. 118. serm. 2.* ista verba de cognitione lapsuum & defectuum, quæ humilitati & despectioni sui inseruit, accepit. *Nisi cognoscas (inquit) te decoram inter mulieres*, hoc est, *nisi cognoscas te mortalem, rationalem, & citò tua peccata fatearis, citò dicas iniquitates tuas, vt iustificeris, nisi conuertaris, vt prius accuses delicta tua, nisi demum cognoscas, quia peccatis obnoxia est. excundum est tibi in calcaneis gregum, exi scilicet nudo pede, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum*. Sed quid inde ? Addit Ambrosius : *quæ sine peccato est, agnos pascit, oues pascit : quæ autem peccato obnoxia est, pascit hædos, qui à sinistris sunt*. Quasi dicat : nisi peccata & crimina, quibus indies te ipsam obstringis, perfectè agnoueris, & ex hac cognitione humilitatem & animi dimissionem hauseris, nudis pedibus progredi opus erit, (pedes verò humilitatem adsignificant,) quos mortalitatis agnitio & priorum criminum confessio, tanquam calcei, qui ex mortuorum animalium pellibus conformantur, ab omnibus superbiæ fascibus & iniuriis tuetur ac seruat. Ideo præmisit ; *Nisi cognoscas te mortalem, &c.* Aptè igitur ait : si carueris hac cognitione mortalitatis tuæ, & peccatorum, quæ hætenus admisisti, nudis pedibus, id est, humilitate indefensa, tibi progredi opus erit. Rursus desertis ouium gregibus, quæ innocentiam adsignificant, ad hædos pascendos, id est, ad nouam semper & recentem peccatorum sobolem ex antiquis peccatis quasi hædos ex hircis prognatam, alendam, nutriendam inter alios similiùm pecudum pastores, hoc est, inter magnos peccatores discedere compelleris. Sic Ambrosium interpretor.

Magnus Gregorius hanc sui cognitionem aliò diuertit : *Si (inquit) inquiras te in hoc positam, vt tentationes per sufferentiam vincas*. Ad stipulatur Isidorus : *Si ignoras (ait) te sub huiusmodi tentationum conditione mihi desponsatam, &c.* Sed ex qua corticis declaratione hanc expositionem præmissi Patres expresserunt ? Dicam quod sentio, non aliunde certè, nisi ex illo verbo *inter mulieres*. Nam (vt diximus supra) ad illa

verba, *nigra sum, sed formosa filia Hierusalem*, tam Gregorius, quàm Isidorus, per filias Hierusalem alias fœminas intelligunt, quæ sponsæ formam incusabant & de- tractionibus, aliquando etiam iniuriis, & contumeliis configebant: quapropter con- sectariè loquentes eandem sponsam in hoc loco, *decoram inter mulieres*, id est, inter iniurias despectus, liuoresque aliarum mulierum decorem seruantem dictam vo- lunt, ac proinde sic exponunt: *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres* (sic ipsi lecti- tant) id est, si non satis agnoscis quod iniurias mulierum tibi obloquentium sustine- re debes, si nimirum ô anima nescis, te ea conditione mihi traditam, vt inter homi- nes conuersari, & eorum iniuriis & persecutionibus exerceri debeas: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hados tuos, &c.* id est, *reprobos sequi opus erit tibi, quos stultitia brutis animalibus fuit similis*. Verba sunt Gregorij; quia nimirum nullum re- probationis certius signum est, quàm à tentationibus & persecutionibus prorsus im- munem esse, iuxta illud; *quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis*. Aliter etiam extrema verba cum prioribus contexit Gregorius, *Quia quisquis tentationum gladijs viriliter non resistit immundas cogitationes quasi hados lasciuos in corde nutrit, & efficitur ei similis, qui à fide recedit*. Hæc ille, qui nomine pastorum hæreticos intelligit, ad quos propius accedere dicit omnes illos, qui luxui, & lasciuix indulgent, non solum, quia non longè absunt, vt fidem re- spuant, sed etiam, quia, dum illam retinent, perinde viuunt & conuersantur; qua- si illam prorsus abiecerint, ethnicè prorsus ac gentiliter agentes.

Nyssenus peculiarem huius loci constructionem commentus est, ac primùm qui- dem ignorantiam sui in eo ponit, quod quis non ea, quæ sua sunt, sed aliena agno- scit & admiratur: aliena autem appellat gloriam, potentiam, facultates, corporis vires, & formam, & valetudinem, quæ ideo aliena esse dicit, quia illa, aut tem- pus, aut fortuna eripit, atque adeò temporis potius ac fortunæ bona sunt, quàm no- stra. *Propterea, inquit, sunt sui non tuti custodes per habitudinem ad alienum proprium ne- gligentes incustoditum. Quomodo enim custodierit aliquis id, quod nescit. Quapropter eo- rum bonorum, quæ nostra sunt custodiendi optima ratio est, si ipsum non ignorare exactè & accuratè se scire quid sit, & si ipsum discere ab his, quæ circa se, ne imprudens alienum pro se ipso custodiat.* & paucis intercalatis ea, quæ propria sunt, & quæ nescire homini perniciosum est, enumerat, scilicet gratiam, charitatem, virtutes, imaginem Dei, & alia id genus quæ temporis & fortunæ iniurias non sentiunt. Hic autem inferere libet sententiam Philonis in lib. de agricultura, qui duplex hoc bonorum genus, al- terum fortunæ, alterum quod à fortunæ iniuriis tutum est; quod proprium & alie- num vocat Nyssenus, cum ouium & caprarum gregibus comparat, hoc nimirum, quod alienum est hircis & hædis, simile esse dicit, qui vix seruari & contineri pos- sunt, quin à pastore suo excedentes alienis prædis & sationibus damna dent. illud ve- rò quod proprium existit ouibus, aliisque lanariis ad simile affirmat, quod pastori suo semper proximè hæret, atque adeò illa custodire ac tueri & à damnis inferendis prohibere facile est. Iam intelligis quod tendam; illæ ergo animæ, quæ ex ignorantia sui ipsius semetipsam, suaque bona non satis agnoscit, & ab alienis extraneisque non discernit. Sic præcipit sponsus: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hados tuos iuxta tabernacula pastorum*. Nyssenus legit, *egressa es vestigijs gregum*. Sic autem exponit, *egressam te reputa*; quasi dicat: greges ouium earumque custodiam te de- feruisse puta. nam bona spiritualia, quæ propria animi bona sunt, bona, inquam, quieta, constantia, ac minimè labentia, atque adeò ouibus perquam similia, incu- stodita relinquis, & pro his hædos hircosque custodis, id est, carnalia & temporalia bona inquieta, inconstantia, ac prorsus labentia & fluentia tuenda & custodienda accipis, quæ nimirum apud te non sine iniuria & damnis aliorum existent, & te quoque quamprimum deferent. Hinc est illud Prouerb. 10. *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos*. vide quæ in eum locum contulimus.

Aliter verò hic verba posteriora cum prioribus conferit, nam per greges, eorum- que vestigia, eas viuendi rationes intelligit, quas hominum, qui pecudum more vi- xerunt, consuetudo extrudit, ait enim; *si te ignoras*, id est, si te ipsam & quæ tua sunt, hoc est, spiritualia bona non dignoscis, & ab alienis secernis, *egressa es in vestigijs gregum, &c.* id est, egressam te aestima, quia citissimè egredieris, & naturam dese- rens consuetudinem aberrantium hominum, confectaberis: inde autem sic infert Nyssenus. *Tu anima, si est tibi cura vt longo tempore duret gratia, & decor tue formæ ne aberres*

aberres post vestigia eorum, id est, ne scilicet deserens naturam rerum, consuetudinem hominum aberrantium vite tue magistram sequaris, ne tempore discretionis efficiaris hædus pro oue; non est enim apertum an sit hædorum via ea, quæ apparet, & quam tu sequeris donec vitam transmiseris, & in mortis stabulum inclusa fueris. Et sanè huic expositioni aptè accommodatur extrema corticis interpretatio, quæ id sponsæ ab sponso persuaderi & præcipi vult, vt seipsum ad vesperam venturum præstoletur, tunc cum hædi ad caulas & stabula referuntur, quod de morte accommodatè intelligitur, ipsa enim (liceat sic dicere) stabulum est, aut caula, quæ ad vesperam, id est, in fine vitæ, cunctos hominum greges, tanquam à pascuis repedantes colligit ac recipit, hædos ab agnis separans & secludens. Sed dices illud, *ne efficiaris hædus pro oue*, à sono allegoriæ abhorrere, iuxta quam sponsa non hædus ipsa appellatur, sed pascere hædos dicitur. Respondeo apud Græcos vocem *ε.φ.θ.*, quæ hîc subest pro hædo, esse generis epicœni, atque ea non modò fœtum caprarum, sed capras ipsas fœtantes significare solitam. Ergo iuxta hanc acceptionem Nyssenus, illud *pasce hædos*, non de pastrice fœmina, sed de capra potiùs hædiculos suos nutriente, ac pascente, intellexisse videtur, itavt sensus sit, si te tuaque ignoraueris, *egressa es in vestigijs gregum, & pasce hædos*, &c. id est, ab ouium gregibus desciscens, ad caprarum hircorumque cœtum transibis, atque non hædus tantùm pro oue, sed capra hædos pasce ac nutriens efficiaris. Sed hoc alienum est à germano litteræ sensu. Ad extremum Nyssenus ex hac cognitione sui ad contemptum despicientiamque alienarum rerum seriò sponsam inuitari affirmat. Vide ibi multa.

Theodoretus eadem verba iuxta sonum litteræ de doctoribus & magistris bono sensu donat. *Si te*, inquit, *ipsam ignoras, vestigia gregum explora, & sequendo pasce, non oues solùm, sed etiam hædos tuos: vult enim benignus Dominus, vt non modò iustos, sed etiam peccatores omni cura & studio complectamur. Non enim egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.* Circa hanc interpretationem obserua de ouibus quæ iustos adsignificant, tantummodo ab sponso mandatum, *abi post vestigia ouium*, quia cum hi sponte ad honestatem currant, boni pastoris est ipsos tanquam oues mitissimas non compellere, non terrere, sed insequi, & coram bonis propensionibus morem gere. De improbis autem dictum, *pasce hædos*, quæ verba, non maiorem solùm, sed etiam seueriorem curam significant, quasi dicat: sic rege illos, sicut pastores regere solent hædos, aut hircos per saltus deerrantes, scilicet terrendo ac minando. Denique idem Theodoretus paulo aliter edisserit ad hunc modum, *Idcirco sponsus ad sponsam sequere (inquit) gregum vestigia, id est, vitam Sanctorum imitare, & in illorum pastorum tabernaculis, hoc est, in Apostolicis Ecclesijs hædos tuos pasce, cum in Euangelijs audiueris: Videte, ne contemnatis vnum de pusillis istis, qui in me credunt. Amen dico vobis quòd Angeli eorum, &c.* Hæc verba de imitatione Sanctorum, accipiunt alij non pauci, quorum exempla, quasi vestigia sunt telluri impressa his, qui illos insequuntur, derelicta: *vestigia (inquam) gregum*, qui in cliuis asperrimis per angustas valde semitas regi solent. Audi Isaiam cap. 26. *Semita iusti recta est, & rectus callis iusti ad ambulandum.* Sed quid est callis? Diuus Isidorus in originibus, *callem* à callo pecudum dictum autumat, quasi callosis pecorum vnguibus extritus sit. Ad hos ergo calles, quos iusti tanquam oues aperiunt & conterunt, angustos illos quidem & acclives, sed inamœna beatitudinis pascua desinentes ingrediendos inuitat sponsus animam, cum ait: *Abi in vestigijs gregum, &c.* Sed cur addit *gregum*, non *gregis*, quia non vnam aliquam singularem vitæ formam & rationem, quam speciale aliquod genus hominum transigit, sponsus animæ proponit, sed plures ac dissimiles, quas diuersa hominum genera, tanquam diuersi greges eo sectantur, vt electioni locum dimittat, vt scilicet cum ex multis quisque statum & viuendi normam ineat, quæ propensionem & votis suis opportuna magis acciderit: *Et pasce (inquit) hædos tuos.* quæ consuetudinè sic replicari debent. Quasi dicat. Non modò aliorum iustitia & sanctitate præstantium virorum instar ouium vestigia, id est, exempla & documenta, persequi tibi necessum est, sed etiam improbos quosque tanquam hædos tuis exemplis ac monitis, pastos ad bonam frugem traducere oportet.

Philo Carpathius illa verba, *nisi cognoscas te*, sic expendit, *nisi intellexeris vbi sis, vbi stes, vbi vigeas, vbi viuas.* quæ ad ignorantiam loci, in quo sponsa manebat, referuntur. & animæ tradita significant ignorantiam, vel potiùs inconsiderantiã qua plures animæ laborare solent, non cogitantes se esse in Ecclesia Christi, in claustris, aut

in locis aliis, quibus probitatis & honestatis plurima obligatio annexa est.

Denique Diuus Bernardus *in sermone* 35. plurimus est in his verbis, ac primum de pœna ignorationis sui, multa serit, quæ ad compendium redacta sic habent. Illud ergo verbum *egredere*, plenum minarum esse, vocesque illas imitari dicit, quas Domini ira perciti ad seruos, vel ancillas intendere solent, cum eas domo expellunt sua. Afferit autem illam subiectis minis *egredi* quidem iussam *de spiritu ad carnem, de bonis animi ad secularia desideria, de requie mentis ad mundi strepitum, & ad inquietudinem curarum secularium*. Huius verò supplicij magnitudinem exaggerans ait: *Talis anima nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius panaliusue ducat, quam postquam incepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei presentiam suspirare, exire de nouo ad illecebras, vel potius molestias carnis, & sensuum inexplebilem repetere curiositatem; & quidem per hædos, ad quos pascendos & nutriendos egredi iubetur, cum plerisque aliis carnales sensus accipit, & per tabernacula pastorum, corpora ipsa intelligit: quotquot enim, ait, in hisce studiosius morantur, hi quidem præfatis sensibus, tanquam hædis quibusdam petulantibus pascendis nutriendisque totos se impendunt.*

Rursus illud, *abi post*, ad supplicij quoque exaggerationem refert, quia nimirum non iam inter pecorum greges tanquam ipsis adsimilis, iuxta illud: *Homo cum in honore esset, non intellexit, &c.* sed post ipsos ire præcipitur anima, tanquam inferior ac deterior ipsis pecoribus. Nam Isaias ait: *agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit*. Inferiorem verò, ac deteriorem hominum, quam pecorum conditionem, primò in eo ponit Bernardus quòd pecora pro belluinis moribus nec reprobari, nec ad iudicium Dei stare, nec demum igni tradi oportet; homines verò belluarum more viuentes, hæc omnia sustinere cogendi sunt. Deinde non dubium, fore, ait, deterius his, quam pecoribus, quæ anima constant, cum his etiam, quæ anima carent, & sola substantiæ & essentiæ dignitate gaudent, posteriora censeantur, quandoquidem ad Iudam semel dictum est: *Melius erat illi si natus non fuisset homo ille.* & quidem de industria dictum, *si natus non fuisset homo*. quasi melius cum illo actum esset, si natus omnino fuisset pecus. Denique sic adiecit Bernardus: *An non tibi videtur ipsis bestiis bestialior homo, ratione vicens, & ratione non viuens, nam pecus quidem si se ratione non regat, excusationem habet à natura, à qua hoc ei munus penitus negatum est. Homo autem meritò post gregales animantes abire dicitur, quòd solum hoc animal conuersione degeneri, iura transgrediens rationis compos, rationis expertia non imitatur solum, sed etiam separat.* Hæc fermè Bernardus, quæ compendio substrinxi, partim sententiam, partim verba excerpens, & ob eam causam anima ab sponso suo Christo discedens, post greges abire perhibetur.

Hæc autem omnia damna & incommoda pro insipientia & ignorantia sui animam experiri affirmat S. Abbas, quam ignorantiam explicat *in serm.* 36. & 37. ac primum quidem omnem aliam scientiam & disciplinam, si absit cognitio sui ipsius, meram insipientiam esse probat; atque ipsam cognitionem sui, gradum esse ad notitiam Dei, quatenus per cognitionem imaginis ad cognitionem rei quæ in imagine adumbrata est, peruenire licet. Quapropter duas ignorantias, & duas quoque cognitiones inter se valde connexas comminiscitur, ignorantiam sui, & ignorationem Dei, ac rursus cognitionem sui, & cognitionem Dei. & de his copiosam rationem habet. Consentanea his, quæ Bernardus serit, adiungit Hugo de S. Victore *erudit. Theolog. ex Miscellan. 2. lib. 1. tit. 8.*

Alij proximè accedentes ad Theodoretum, sic accipiunt ista verba, quasi ad Superiores & Prælatos dicta, quos sapius ignorantia sui, & qui cum hac ignorantia cohæret fastus & tumor ad regendos tum bonos, tum malos audentiores facit; *Si* (inquiunt) *ignoras te*, si videlicet tuam infirmitatem & imperitiam non satis agnoueris, *egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos*, hæc scilicet ipsa tui ignorantia faciet tibi ingentes animos, vt rectoris atque pastoris munus inter alios pastores, non modò oblatum sponte suscipias, sed conatu maximo ad illud contendas. Hanc autem vim habere existimant geminationem illam, *egredere, & abi*, itavt significet summam contentionem euntis. Et sanè hæc, quam diximus, ignorantia sui imperitis hominibus ad inuadendas supremas dignitates & munera plurimam audaciam inspirat, quia dum se minimè ipsi norunt, nihil prohibere putant, quominus aliis sese præferant, quorum proiectissimam audaciam eraditè comprimit Bernardus *in ser-*

mone 37. citato. Cui hanc etiam interpretationem tribuere licet ab illis verbis: *Non est ergo periculum, quantumcumque te humiliter, &c.* Lege ibi plura in hanc sententiam.

Denique S. Hieronymus *in epist. 22. ad Eustochium*, hæc ad Virginem conuertit, quæ cordis atque adeò pudoris sui custodiam abiicit, sic enim fatur: *Sis licet pulchra Virgo, & inter omnes mulieres species tua diligatur ab sponso, nisi te cognoueris, & omni custodia seruaueris cor tuum, nisi oculos iuuenum fugeris, egredieris de thalamo meo, & pasces hædos, qui staturi sunt à sinistris.* Apud quem ignorare perinde est, ac ipsam incustoditam dimittere, illud enim quod custoditum volumus, semper in oculis habemus, ne nobis ignorantibus abeat. Hoc igitur Virgini illi succenset Hieronymus, ne si sui ipsius custodiam tam socorditer omittat, ita vt vel semetipsam & cor suum, vbi sit, & quò abeat, penitus nesciat, tandem aliquando à sponso suo foras pellatur, &c.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA de B. Virgine Maria.

Signoras te ô pulcherrimam inter mulieres, egredere, & abi, &c. Vt versus iste cum superioribus cohæreat, illud cum primis ponendum, de tempore antenuptiali sermonem esse, atque adeò iuxta germaniorem litteræ sensum, ita sanctissimæ Virgini tribui oportere, vt ad tempus illud spectent quod Incarnationem præcessit. Quapropter si memoria recurrat ad partitionem illam septem dierum, qui Marianæ vitæ mysticam hebdomadam complent, de qua fusè diximus in *Isagoge cap. 18.* ipsa verborum series nobis idoneum sensum accommodabit. Inde quidem constabit tertiam diem, in cuius vespera ipsius Mariæ nuptiæ cum Christo per Incarnationem copulatæ sunt, tempus illud ambire, quo Virgo mansit in templo, & Ioseph tradita fuit, vsque ad Angeli annunciationem, quæ annuntiatio præfatæ diei mysticæ, veluti quandam vesperam exhibuit.

Ac primum quidem tum Ioannes Picus, tum Nigidius, ipsummet Gabrielem Archangelum hîc loqui volunt, sed cum hæc verba iuxta germanum corticis intellectum, à choro puellarum pedissequarum vsurpata sint, & per has alij Angelos, alij piorum animas, alij demum vtramque naturam Angelicam & humanam concipiant, his omnibus ac singulis aptari debeant, non curo. ergo siue hæ, siue illæ sint ancillæ,

Præmittendum est communi sanctorum Patrum consensione liquidum esse sanctissimam Deiparam ante Angeli nuncium de sua electione in Dei parentem minime edoctam fuisse, quod ex turbatione subita, & aliis, quæ in colloquio illo cœlesti, inter Angelum & Deiparâ conferta sunt verba certissima deprehendere licet. Quapropter per id tempus affirmare fas est, Deiparam in sui ignoratione mansisse, vtpote quæ dignitatem nesciebat suam, ex qua ignoratione quamplurimæ utilitates in Virginem redundarunt. Sed in primis ex hac ignoratione, maxima humilitatis ac submissionis messis, eidem Virgini suppeditata est; quandiu enim electionis suæ ignara fuit ipsius matris Dei, quam ex Scripturis sanctis non longo interuallo eligendam didicerat, vel ancillam humilem effici peroptabat, atque illius sese dedicauerat seruituti & obsequiis, & pleraque alia ad humilitatem & directionem sui spectantia gerebat.

Rursus per tabernacula pastorum templum & templi adyta, quæ tabernaculi nomine significari in hoc loco annuit Chaldaicus Paraphrastes, qui inter alia sic serit: *Donc mittat eis Regem Messiam, qui ducat eos in requiem ad tabernaculum ipsorum, quod est domus Sanctuarij, quam edificarunt ei David & Salomon pastores Israël.* & cum Chaldaeo concinunt quamplures alij, qui nomine pastorum Sacerdotes templo inseruientes notari volunt. Venio ad sententiam.

Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, &c. Si nimirum ô tu, quæ inter omnes alias fœminas sanctitatis & gratiæ venustate facillè præstas, atque adeò sola digna es, vt Dei Mater nuncuperis, ac sis. Si, inquam, id prorsus ignoras, quia tibi per Angelum adeò missum hætenus denunciatum non est. *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Tene corticis sensum supra in sono alle-

goriæ datum, iuxta quem chorus puellarum suadet Sulamiti, vt interim dum sponsus non venit à meridie, & deinceps agnos hædosque pascat, donec succedente vespera, illos quidem ad caulas, & se ad tuguria pastorum referat; illud enim est tempus ad sponsi diutiùs expectati aduentum natum (sic enim ferebat solennis mos, vt ad vesperam sponsarum traductio & nuptiæ nocte ingruente celebrarentur) simile quidpiam siue puellarum chorus, id est, Angeli, vel aliæ piorum animæ, siue sponsus ipse, aiens ad Mariam: *Quandiu scilicet in ea ignorantia tuæ electionis & dignitatis manes. Egredere, & abi post vestigia gregum*: id est, sequere greges tuos. Sed quid est sequi, vel ire post greges? iuxta mentem Bernardi, idem est ac seipsam extremo loco numerare. Et sanè vtrumque genus pecudum recensuit, oues videlicet, atque hædos, nam gregum vocabulo oues hîc nuncupatas multorum Patrum observatio est; oues autem innocentes ac simplices adsignificant, hædi peccatores notant. Ergo cùm Maria post oues abire, atque hædos insequi dicitur, summa illius humilitas notatur, quæ nimirum non modò seipsam innocentibus ac simplicibus posteriorem ducebat, sed etiam sceleratissimis peccatoribus. *Quomodo autem B. Virgo peccatoribus quibuslibet, quantumuis maximis sese dimitteret, diximus supra versu 4. ad illa verba: nigra sum, sed formosa*, in expositione hypermystica. Qualiter autem humilitas in templo exhibita Beatam Virginem ad dignitatem Matris Dei euexerit, narrat B. Amadæus in sua Apocalypsi, Rap. 1. cap. 9. vbi asserit Sacerdotem quemdam nomine Heli, cuius custodiæ commissæ erant puellæ in templo degentes, sic aliquando Virginem affatum fuisse, *Vsque nunc Maria te habui pro puella seruata in templo Domini: ex nunc te adoro tanquam nostri generis veram Reginam, tu eris certè mater Messie, tu genitrix Saluatoris*. Mariam autem sic occurrisse ait: *Ego me indignam tanta maiestate puto, neque vllam dignam reor, ipse faciet de indigna dignam, de peccatrice iustam. Mihi satis erit ancilla esse ancillarum illius sacratissimæ dominæ*. His autem auditis Sacerdotem sic institisse affirmat. *Valde humilis es ô Virgo, Deus qui sepe humiles exaltat, te quoque exaltabit, & quanto humilior es, tanto sublimior eris, nunc cognosco Deum ordinasse vt sis mater Messie, vel socia ipsius, sed vbi erit mater, si tu non eris. Apud nos certè non est vlla, quæ per mille millia graduum id mereatur, quàm tu, si matrem illam non tenet in cælis Deus, de his quæ in terris sunt, nulla te dignior, nulla sanctior*. Ac rursus quomodo eiusdem Beatæ Virginis in templo manentis, præcipua exercitatio esset sese per humilitatem deiicere, quatenus hæc erat virtus, quæ illam ad dignitatem Matris Dei capeßendam proximè preparabat. Sic enim ipsa ait: *Quia respexit humilitatem ancilla suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c.* Docuimus etiam in hypermystica expositione vers. 1. vide ibi plura, ac proinde, hoc humilitatis ad demissionis exercitium, quod, Bernardo autore, ouium hædorumque ad pastum exeuntium insequitio denotat, *iuxta pastorum tabernacula*, id est, in templo, prope tabernaculum peragi dicitur, ibi enim morabantur virgines, quas ad ostium tabernaculi excubare docet Scriptura.

Itaque vt totam sententiam compendio colligam, sermo sponsi absentis ad Mariam ante Incarnationem, atque adeò ante nuptias sic habet: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum!* si videlicet non satis agnoscis tuam dignitatem supra omnes mulieres, ad quam æterna Dei electio & prædestinatio extulit te, quandiu in ea ignorantie manes, occasionem capta, & quanta possis animi contentione ad humilitatem enitere: *abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos, &c.* non solùm iustis & innocentibus, sed peccatoribus etiam sceleratissimis inferiorem, ac posteriorem te ducito, & hoc age iuxta tabernacula pastorum, id est, ad ostium tabernaculi in templo, ad quod tua & parentum tuorum deuotio triennem adhuc transtulit te. Sed quandiu id ages? quandiu ad eum modum oues hædosque insequi oportebit vsque ad vesperam mystici diei, in qua sponsus tandem venturus est, vt te sibi legitimo adiungat connubio. luculentius dicam, vsque ad nuncium Angeli & Incarnationem Verbi; quam in vespera præfati diei peragi oportere, iam inde sapiùs animaduertimus. Et sanè cùm inter Patres controuersia aliqua sit circa horam naturalis diei, in qua Virgini nuncium Incarnationis ab Angelo delatum est; aliqui enim ad auroram, alij meridie, alij sub vesperam, alij demum profunda nocte deportatum voluerunt, quorum placita & rationes colligit Albertus Magnus in *Mariali cap. 28. & sequentibus*. Ego quidem in eam sententiam discedo, quæ affirmat Angelum ad vesperam diei naturalis ad Virginem ingressum fuisse; nam cùm Incarnatio Verbi diuini ipsius Virgi

virginis ac totius humanæ naturæ nuptias contineret, eo certè tempore peragi debuit, in quo nuptiæ veteri ritu concelebrari & vxores traduci solebant, nempe ad vesperam, & sanè ita expressè tradit B. Amadeus in sua *Apocalypsi*, *Raptu* 5. §. 65. Vbi postquam Angelum Gabrielem, non vtique solum, sed duobus aliis Angelorum principibus stipatum ad Virginem descendisse affirmavit, ex trium nomine sic demum loquitur: *Ingressi sumus ad eam quasi nouissima diei hora, sicut in nouissimis diebus Incarnatio hac fieri debebat, &c.* & alibi etiam dicit: inde natum antiquum morem salutandi Virginem sub vesperum ad signum campanæ inter fideles solenne. Quod autem de naturali die hîc tradunt Angeli, hoc ipsum & de mystica die, iuxta spiritualis hebdomadæ portionem, quæ totam Mariæ vitam distribuit, secundum ea, quæ in *Isagoge cap. 12.* præfati sumus.

Sed licet in hac expositione omnia aptè cadere videantur, tamen alia succurrit accommodatior, quam nobis offert adnotatio Ioannis Pici, qui cum hîc vtrumque pecus agnouisset, oues videlicet, atque hædos, duas quoque facultates, tam interiores, quam exteriores, tam spirituales, quam carnales per duo pecora adumbrari voluit: exteriores quidem & corporeas per hædos; interiores verò ac spirituales, per oues: iuxta quam acceptionem, aliter sensum instituere licet, hoc modo: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum.* Id est, quandiu eius dignitatis & electionis, quæ te cæteris fœminis facile præponit, ignara es, quia nondum Angelus illam significauit tibi, perge vt facis, egredere ex parentum domo, & in templo iuxta tabernaculum agens tuarum potentiarum, tam corporalium, quam spiritualium, mysticum gregem studiosè pasce, & sedulo rege: spirituales nimirum facultates in cõtemplatione, corporales verò in actione exerce, hæc enim duo pabula vtrique pecori accommodata sunt. Hæc autem erant exercitia Mariæ in templo, vt supra *vers. 1.* in expositione hypermystica copiosè ostendimus ex sententia Hieronymi. Iubetur autem Virgo mysticos illos diuersarum potentiarum greges ad vesperam vsque Incarnationis paciscere modo in prima interpretatione præmisso.

Sed ea, quæ huius secundæ expositionis concinnitatem commendant, expendamus. Primò Beata Virgo, etiam ante conceptum Verbi pulcherrima inter mulieres appellatur, quia iam tunc, imò potius à primo suæ conceptionis momento omnes animas gratia & sanctitate longo interuallo superabat; non enim gratis & sine meritis, sed pro meritis, ad maternitatem electa est præ aliis: ideo nimirum aliis prælata, quia nulla vnquam Virgo æqualia merita ad dignitatem istam attulit. Sed quæres, an id etiam ignoraret humilitas Mariæ? Succedat memoriæ translatio Ambrosij, qui locum istum non semel extulit ad hunc modum: *Si non cognoscis te pulcherrimam inter mulieres.* Si videlicet non satis tenes te omnium fœminarum quotquot sunt, aut erunt, sanctitatis & iustitiæ decore longè præstantissimam esse: ignorabat ergo hoc Virgo Maria, & data opera ignorabat, quia summa eius humilitas hoc illi persuadebat, vt scilicet ignorationem & obliuionem istam suæ excellentiæ affectaret, ac se aliis quibusque non priorem, sed posteriorem duceret. Sic expressè affirmat D. Bonauent. in *meditatione vitæ Christi cap. 3.* vbi ex persona ipsius Virginis in templo degentis, sic ait: *Postquam dedimus Deo, quæ per nos possumus, videtur anima in se deficere, & perdit memoriam, & non recordatur se fecisse, vel dixisse aliquid Deo gratum, ac tunc videtur sibi vilior & despectior, quam vnquam fuerit.* Hinc est, vt Maria semper nouissimum locum sibi elegerit. Ita expendit Bernard. in *serm. super illud, signum magnum*, vbi rationem requirens, cur *Act. 1.* Maria, cuius dignitas cæteris tam Apostolis, quam mulieribus, facilè superior erat, extremo loco numerata est, sic ait: *Petrus & Andreas, & ceteri, qui sequuntur, hi omnes perseuerabant unanimiter cum mulieribus & matre IESU. sic attexit. Ita ne & mulierum vltima sese exhibebat, vt nouissima poneretur, verè carnales adhuc discipuli, quando facta est contentio inter illos de primatu, cum Maria quanto maior erat, humiliaret se, non modò de omnibus, sed & præ omnibus: meritò facta est nouissima prima, quæ prima cum esset omnium, se nouissimam faciebat: meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam: meritò denique super Angelos exaltata, quæ se infra viduas & pœnitentes, & infra eam, ex qua eiecta fuerant septem damonia per ineffabilem mansuetudinem sese inclinabat. Quid illustrius?*

Subdit: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos.* Oues atque hædos numerat, geminum ouile vtrumque proprium & cognatum, oues, inquam, id est, faculta

facultates, aut sensa spiritualia & interna, atque hædos corporales, nimirum potentias appetitus, sensusque externos. Vide autem quàm aptè natèque ad rem dicat: illas quidem, id est, oues sequere, & post vestigia illarum perge; hos verò, id est, hædos, pascere, hæc enim erat perpetua Virginis exercitatio: spirituales animi vires quæ in ipsa semper ad Deum, & ad illa, quæ Deo gratissima erant, enitebantur, sponte sequebatur, atque ita quidem sequebatur, ut plerisque visum fuerit Beatam Virginem in quibuslibet actionibus tam intellectus, quàm voluntatis, queis ad diuina intendebat, secundum omnem vim potentiæ atque habitus supernaturalis, quo roborata erat, operari solitam fuisse. Rursus corporalium appetitionem, sensuumque hædos (quos pastu ac nutrimento suo reliqui homines fraudare vel ideo debemus, quia nihil non rationi & honestati aduersum appetunt) Beata Virgo pascebat, illorumque auaritatem meritò explebat, quia per extinctionem fomitis factum erat, ut in ipsa præfati sensus, appetitusque corporei omnia cum ratione & honestate conformia, nunquam non expeterent, vel concupiscerent. Sic Damascenus in oratione i. de Natiuitate Mariæ. *Mentem* (inquit) *diuinitus gubernatam, cupiditatem verò omnem ad id solum, quod expetendum & amandum est, intentam habens.* Talis ergo & tam ordinata cupiditas meritò ad saturitatem pasci debuit.

Quòd si iuxta aliam expositionem in cortice datam, per gregem, cuius vestigia sponta insequi dicitur, matres, id est, capras accepimus, post quas sponsa sub vesperum ad caulas euntes ire, & clausos hædos earumdem lacte pascere & nutrire iubetur. non minus accommodata erit expositio. Nam consuetudinè ad superiorem expositionem per capras, quæ ex pabulis saturæ ad caulas redeunt, internas, & spirituales animi facultates; per hædos verò, qui caprarum è pabulis redeuntium, lac sugunt, appetitus sensusque corporeos, accipere licet; hæc enim erat maximè propria Mariæ exercitatio in templo, ut spiritualium potentiarum gregem peramoenissima diuinitatis attributa, & opera quasi ad pabulum duceret, easque subinde eo pastu saturas, veluti ad caulas reuocaret, ut externos, ac corporeos sensus, quos per sui custodiam seuerissimam, clausos obseratosque habebat, tanquam hædos, concepto lacte innutrent. Quidquid enim exterius Maria agebat, ex contemplatione deriuatum erat, luculentius dicam, contemplatio actionem pascebat: omnis scilicet sensuum, aliarumque externarum potentiarum operatio & exercitatio, id exequebatur exterius, quod interna rerum diuinarum contemplatio, Dei que amor & studium eisdem suggererat, infundebatque. Ita enim expressè docet Damascenus *orat. i. de Natiuitate*, nuper citata, ubi cunctam externarum potentiarum, sensuumque membrorum moderationem copiosè describit, illamque ab interioris contemplationis vsu manare, ac defluere seriò affirmat.

Denique addit: *iuxta tabernacula pastorum*. quæ verba non modò locum illum, in quo Virgo ante Incarnationem mansit, ædem sceminarum, quæ hærebat ostio tabernaculi, designant: sed etiam pastores memorant, id est, Sacerdotes, ut eiusdem Virginis obedientiam innuat. quæ nimirum quandiu in præfatis ædibus mansit, Sacerdotum imperia & mandata, numquam non facebat. Addunt aliqui ipsam in templo non voto virginittatis, aliud etiam speciale obedientiæ Sacerdotibus exhibendæ votum nuncupasse. Bonauentura *de vita Christi cap. 5.* inter alia quæ Mariam in templo per singulos dies à Deo postulare solitam dicit, ex nomine illius sic ait. *Sextò petebam gratiam obediendi mandatis & ordinationibus Pontificum templi.* Illud certius, ipsam à Deo cœlitus admonitam, ut in matrimonij susceptione Sacerdotum id sibi præscribentium voluntatem exequeretur. Ad hunc modum Maria greges suos iuxta tabernacula pastorum regebat, vsque dum vespera successit, & finis illius diei mysticæ, in qua Incarnationis nuptias celebrari oportebat.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

Rupertus affirmat, per hæc verba Virginem admoneri de loco, ubi ipse inueniri debeat: hunc autem non esse alium, nisi humilitatem & fidem; sic enim ait: *Ergo ex fide & humilitate tota pulchritudo tua est, & hic est locus requietionis mea, locus scilicet, in quo dilectus tuus pascendo & cubando delitiatur in meridie, id est, in hoc tempore plena gratia,* &c Nota emphasim verborum. Sanè Beata Virgo, beatissima inter mulieres ab Elisabeth vocata propter fidem. Nam cum præmisisset, *Benedicta tu inter*

ter mulieres, statim subnectit: & *beata qua credidisti*. & paulo post eadem Virgo Maria, quod cæteris fœminis prælata fuerit, humilitati adscripsit. *Quia respexit* (inquit) *humilitatem ancilla sua, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Hæc præmittit Rupertus, atque inde eiusmodi sententiam deriuat. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum*; id est, si fortè (quod absit) non satis tenes, vnde tua tibi beatitudo & pulchritudo contigerit, si nimirum non agnoscis eam tibi ex fide & humilitate euenisse, atque per has virtutes locum mihi intra teipsam idoneum fuisse paratum, in quo libentissima requiescam. *egredere, & abi, &c.* Vbi à te metipsa egressa fueris, nullum locum dignum inuenies, ad quem ego diuertere possim, *omnes enim hædi sunt, aut hædorum pastores*, id est, peccatores, peccatorumque rectores, qui quærentes iustitiam ex operibus legis, & non ex fide, à peccatis suis iustificati non sunt. Hæc obscure satis Rupertus, quæ significant, tunc cùm Christus ad mundum descendit, vnam & solam Beatam Virginem inuentam fuisse à peccatis immunem & puram, atque adeò dignam, vt filius Dei ad ipsam diuerteret, & in illa maneret.

Guilielmus verba illa, *si ignoras te*; conditionalem negationem continere affirmat, itavt sensus sit, *Quia non ignoras te*: quem in hac parte affectati sunt Dionysius, Hailgrinus, & alij interpretes, quamuis de cætero non parum dissentiant. Hailgrinus Cardinalis sic habet: *Quandoquidem non ignoras te, quod stella maris, quod mediatrix Dei, & hominum, atque adeò ad interueniendum potentissima sis: egredere & abi post vestigia gregum, &c.* id est, tam oues, quàm hædos, tam peccatores, quàm iustos, quos proprij pastores regere & gubernare nesciunt, tu ipsa rege & gubernas; veluti Rachel, quæ cùm esset mulierum sui temporis pulcherrima, patris sui Labani greges ad pastum ducere, & reliquis pastoribus præesse non recusabat. Dionysius Beatam Virginem his verbis admoneri vult, vt quandiu seipsam cognoscit ex Iudæis progenitoribus ortam, ne Iudæos incredulos, & auersos deserat, sed eos potius sic regat, vt iuxta sanctorum Patriarcharum fidem, spiritali sacrarum literarum intelligentia pasti resipiscant.

Guilielmus de migratione Virginis ex hac vita, concepit ista verba, quasi dicat, *si ignoras te*, id est, cùm tuam dignitatem ignorare non possis, per quam non modò filij Dei, sed etiam membrorum eius mater existis: *Egredere è corpore, & abi in cælum, atque ad te clametur ab inferioribus membris meis in terra peregrinantibus, vt parturias ea visceribus pietatis, donec plenius Christus formetur in eis*. Sic enim accipit illa verba: *Abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos, &c.* quæ non tanquam ad pastri- cem, sed tanquam ad ouem, aut capram aliquam fœtus suos tum parturientem, tum etiam nutrientem dicta putauit. Qui rursus eadem verba ad Virginem in cælum iam translata intendi posse affirmat, hoc sensu: *Si ignoras te*, id est, nisi tua te felicitas ad ignorantiam & obliuionem tui adduxit, ita vt nescias prorsus te esse matrem, & nos esse filios tuos, egredere, non quidem per separationem, sed per miserationem, è cœlis, & inde ad terras descende, & sequere vestigia gregum, quæ nimirum olim cùm inter homines degebas, gregem Christi præibas, illum omnium virtutum exemplis ad imitationem tui prouocans: nunc certè eundem tuis precibus & auxiliis instando sequere, & non modò fortes & adultos, qui gregis nomine censentur, sed paruulos etiam, & imbecilles, qui hædiculis similes sunt, indulgentia tua foue, & amplectere: *& pasce hædos tuos*, donec hos atque illos inducas in tabernacula pastorum, id est, in cœlestia illa mapalia, quæ Apostoli primi ipsorum pastores, iam tenent. Hæc sunt Guilielmi, & alia etiam miscet valde pia, & ad meditationem vtilia.

Et sanè ad hanc expositionem, quæ verba ista de Virgine ad cœlos migrante concipit, venustè admodum aptare licet germanum corticis sensum, iuxta dicta in sono allegoriæ. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum*. Si nimirum non satis nosti tempus in quo te ad sponsum tuum venire oportet, atque eius in cœlo inter beatos viuendi desiderio ardes, id age: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*, sequere matres, id est, capras, è pascuis saturas, sequere, inquam, insta, & perurge illas vt ad hædiculos suos sub vesperum redeant, illosque de matrum lacte pastos exsatiat, tunc enim præstò aderit sponsus, ac te ex tugurio eductam, ad palatium cœleste traducet. Tene quid dicam. Nosti certè Mariam post ascensionem filij in cælum, ideo in terris relictam, vt Apostolos (liceat sic fari) veluti capras, aut oues, gregis Christi matres, primum quidem pasceret, id est, omnibus fidei mysteriis informaret,

deinde

deinde hoc cœlesti pabulo saturos ad novos, recentesque fideles, ipsorum filios conuerteret, mitteret, vrgeret, vt lacte, id est, doctrina sua, illos pasceret, ac reficerent. Vbi autem munus istud expleuit, tunc veluti ad vesperam venit Christus, & sponsam simul ac matrem suam è tugurio, in quo eatenus manserat, eductam, in cœleste palatium transtulit. Possunt autem hæc verba in vniuersum Virgini accommodari ad significandam eam curam, quam paruulis impendit, magistros, præceptores, & rectores idoneos illis immittens.

Singularis est Honorius in expositione huius loci. Sic enim ait: *Si ignoras te, Maria, inquit, ignorauit maculam sorâis, & ideo benedicta inter mulieres.* Itaque ignorare seipsam apud Honorium, est ignorare ac nescire, vel non experire eas maculas ac sordes, quas naturæ suæ relicta sustinere oportebat. Nescire, inquam, omnia humana, & quæ humanitati coniuncta sunt vitia, id enim ipsa possimum super omnes alias mulieres sublimem extulit: quia nulla ab his naturæ humanitatisque vitiis & iniuriis immunis fuit. Ea verò, quæ subdit, cum his concinunt, quæ alij dixerunt. *Quæ egressa (inquit) est ex muliebri imbecillitate per præseruationem ab illa, & abiit de virtute in virtutem post vestigia gregum, id est, per exempla Sanctorum, & pascit hædos, id est, carnales homines sanctis operibus, iuxta tabernacula pastorum, id est, secundum doctrinam Apostolorum.*

Sunt qui secundam illam expositionem, quam in cortice dedimus, ita Virgini accommodent, quasi Angelus Gabriel ipsam alloquatur: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres.* Quasi dicat: Tu quæ inter omnes mulieres venustate præcellis, non poteris certè ignorare sponsum tuum, nisi teipsam ignores, quia sponsus tuus tecum prorsus & in te manet, atque adeò frustra illum alibi quærendum tibi putas. Quæ autem sequuntur, ironicè, vel potius conditionaliter addita fuisse putant; quasi dicat: *Si ignoras te*, egredi certè, & abire opus esset; sed quia non ignoras teipsam, nulla subest causa egrediendi. Sed quorsum hæc? Hæc verba, inquit, Gabrieli donari debent, quia cum salutatione eius mirificè consonant; nam quod ait: *pulcherrima inter mulieres*, nihil, inquit, differt ab illis verbis: *gratia plena, benedicta tu in mulieribus.* quod autem addit: sponsum non alibi quærendum, quandoquidem apud ipsam, & cum ipsa est, congruit prorsus cum altera salutationis clausula, *Dominus tecum.* Reliqua verò, inquit, cum ironicè, aut conditionaliter subiecta sint, ad rem non faciunt. Ego verò conditionem istam non facilè abiicerem, sed ita quidem exponerem, si quod fieri non potest, teipsam ignorares, atque adeò nescires sponsum tecum manere, atque adeò illum extra te quæreres. Nihil aliud certè extra te occurreret tibi, nisi hædi, id est, peccatores ac impij homines, vt nuper in Rupto dicebam. Licet etiam hîc ex Ioanne Pico aliquid confectarium adscribere, qui conditionem istam non infusè exponit. Nam de itinere quod obaudito Angeli nuncio ab Elizabetha cognatam suam Virgo suscepit, concepisse videtur, hæc verba, quasi id ab Angelo dictatum fuerit, hoc modo. *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasc hædos. Rebecam, inquit, Saram, Rachelem & Anam, cuiusmodique aliarum feminarum gregem considera, quæ fecunditate iam deplorata, & atate facta filios pepererunt, filios, inquam, peccatores, ac non dubitabis Sanctum Sanctorum incolumi virginitate à te nasci posse, & ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua.* Sed dicces iuxta hanc expositionem, non satis aptè cadere illud: *Pasc hædos tuos*, atque adeò fatius esse ad vnam Elizabetham, & vnum Ioannem hæc verba colligere. Ita quidem ego reor, atque sensum sic instituo: *Si ignoras te*; id est, si non satis agnoscis, quoniam modo virginitati incolumi in te maneat, idque ex similitudine aliqua discere vis id, quod tui muneris est, exequi incipe. Nam postquam mater effecta Deum ipsum filium tibi numeras, omnium certè matrum, atque filiorum patrocinium ad te spectat. *Egredere igitur, & abi*, ad montana scilicet conscende, vbi pastores accollunt, & gregem hædosque, id est, matres ac filios curare incipe, Elisabetham inuisè, & filium eius Ioannem, hædum, id est, peccatorem adhuc sanctificationis gratia refice, & videbis illum ex sterile planè & infœcunda matre susceptum. Hæc & alia tute tibi excogitare poteris.

Alij demum præscripta verba Virgini dedunt, tunc cum ipsa ignorante puer IESVS remansit in Hierusalem, qui nimirum tandem aliquando inuentus sic respondit: *Quid est, quòd me quærebatis, nesciebatis, quòd in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Consentanea igitur his, aiunt, respondet sponsus: *Si ignoras te, ô pulcher-*

rima mulierum. Id est, quandiu ita ignorabas, ô Virgo mater, ac sponsa mea inter omnes sanctissima, vbi ego essem, vbi manerem, oportebat sanè vt tecum ipsa cogitates me pastorem omnium pastorum principem ad oues, quæ perierunt, domus Israël missum à Patre, atque adeò non alibi, quàm inter pastores alios inueniendam iri, scilicet apud Sacerdotes & scribas, qui sunt pastores populi. Quapropter, si quidem inuenire tanto studio cupiebas, oportebat vtique te sequi ouium mearum vestigia, hæc enim te ad me tandem deferrent; id verò facile præstare posses, si tuum etiam tu officium & munus agnosceres; munus enim tuum est hædos pascere, id est, paruulos, rudes, & ignaros & peccatores ad iustitiam & honestatem instruere, & informare. Hæc & alia non valde concinna, alij excogitarunt, quæ quia cum sono allegoriæ parum cohærent, haud magni profectò haberi debent.

Vers. 8. Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilauit te amica mea.

EXPOSITIO PROPHETICA
de S. Dei Ecclesia



QUITATVI meo in curribus Pharaonis assimilauit te, &c. Ex his, quæ diximus ad sonum allegoriæ, perspicuè constat duas esse interpretationes corticis præ cæteris litterales. Aliam quidem, qua donauit translationem Septuaginta, iuxta quam sponsus decretum suum, quo Sulamitem sibi adiungere, & ad æqualitatem sub matrimonij iugo excipere apud se statuerat, declarat. Aliam verò, in qua sponsus eandem Sulamitem curru nuptiali exceptam in palatium & regiam à se traducendam promittit. Ex vtrisque ergo sensum propheticum elicere est animus.

Quæ igitur in priori interpretatione delitescit propheta in promptu est: sponsus enim, id est, filius Dei, antequam carnem sumeret, (ita enim ponimus illum ad absentem sponsam verba intendisse) quid tandem aliquando agere apud se statuisset, aperit hisce verbis: *Equa mea*, ait, *in curribus Pharaonis assimilauit te amica mea*, id est, similem meditor. Quasi dicat; nihil sanè prohibebit quominus te, ô Ecclesia sponsa mea, quam totis præcordiis complector, mihi legitimo connubio adiungam, & ad matrimonij æqualitatem sub vno matrimonij iugo assumam. quibus verbis significat primò futuram Incarnationem, hanc enim postulabat æqualitas nuptiarum, vt nimirum filius Dei sanctæ Ecclesiæ innubere posset. Nisi enim se sponsæ suæ naturam & conditionem dimitteret humanitatis particeps factus, & illam rursus per gratiam quæ est diuinitatis participatio ad diuinæ naturæ consortium extolleret, ea æqualitas, quam matrimonij iura inter coniuges deposcunt inter Christum & Ecclesiam omnino inueniri non posse. Quomodo enim tanquam coniuges, id est, duorum instar equorum eidem iugo adstrictorum matrimonij onera perferre possent, nisi priùs filij Dei humanatio & Ecclesiæ deificatio ad prædictam æqualitatem duos sponfos composuisset.

Et sanè nulla comparatio aptior excogitari potest ad matrimonij coniunctionem notandum, quàm duorum equorum biga, in qua tria potissimum spectare solent. Primum est æqualitas duorum, quæ in vtriusque magnitudine & proportione corporum spectatur. Secundum est similitudo, quæ in coloris & macularum cohærentia consistit. Tertium est vinculum, quod in eodem iugo, vnum alteri obstringit. Quartum est finis, hæc enim duorum animalium in idem iugum missorum concordia ad onera portanda inuenta est, vt quod alterius vires portare & mouere non possunt, duorum collecta virtus facile trahat. Alia igitur quatuor his ad vnguem respondentia, in matrimonio inuenire licet, quæ illum sanctum profus ac fortunatum reddunt, ex quibus in sanctissimo coniugio Christi & Ecclesiæ nihil omnino desiderare licet.

Nam æqualitatum primùm Christi ad carnem & humanitatem dimissio, & nature humanæ per gratiam ad deitatis participationem ascensio efficit, quæ tanta est, vt quæ inde consurgit vnitas, meritò coniugium latinè dicatur. Græcè verò *συζυγια* vocatur, quam vocem aliqui *δὸς & ζύγος* deriuant, non quidem quatenus iugum ad-

significat, sed quatenus libram, vel stateram sonat: ita nimirum, ut *οὐλίβοι*, id est, coniuges, perinde sint, ac collibres, seu æquilibres (liceat sic nominare,) id est, ita æquales, sicut duo stateræ brachia ad æquilibrium deducta. O miram Dei & hominis ex tam inæqualibus factam æqualitatem, quam nimirum duorum æquorum æqualium biga, aut duorum vnus stateræ brachiorum ad amissim redactorum æquippodium adumbrat.

Aliquid tamen est in biga, quod huius æqualitatis nobilitatem longè meliùs significat. Nam, ut monet Richelius in equis quos ab æqualitate dictos autumat, hoc experire fas est, ut humilior cum grandiori iugum trahere profus detrectet, cum æquali fortissime adnitatur. Propterea igitur connubium Christi & Ecclesiæ comparatur bigæ, quia vbi Deus sese naturæ nostræ per carnis assumptionem exæquauit, cum ipso pariter connitens ad difficillima quæque onera mouenda conatum, & contentionem maximam adhibere cœpit, quæ olim superiori, id est, Deo ante Incarnationem coniuncta detrectabat, respuebat, & ad leuissima pondera valde imbecillis erat. Sed cur equus humilior grandiori copulatus respicit? rationem ibidem accommodat Richelius, quia nimirum super humiliorem equum iugi, onerisque pondus maximum decedit, & qui grandior est, exoneratus ac leuis graditur. Ad eundem modum cogita Deum cum in sua magnitudine olim perseverabat, ita cum homine ad grauiorum actionum onera mouenda conspirare solitum, ut ipse quidem oneris experis maneret, totumque pondus, supra humilem hominem decumberet. Hæc autem erat vtique respuendi, ac detrectandi ratio; at vbi Deus magnitudinem suam abiecit, & ad onerum nostrorum consortium sese accommodauit, cœpit quidem par cum pari natura humana vehementi nixu, ad grauissima quæque pondera portanda conari & contendere: id autem suspirabat Salomon *Sap. 9.* cum dicebat. *Mitte illam de cælis sanctis tuis, ut tecum sit, & tecum laboret*, sic illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia. Adnota illa verba, *ut tecum sit, tecum laboret.* vbi Græca ad verbum habent, ut præsens mihi adlaboret, *μὲν κομᾶσι*, significat *κομᾶζω* cum lassitudine adniti, & de iugalibus aptè dici monet Conradus; atque adeò fas erit dicere, id sibi Salomonem velle ac deponere, ut nimirum sapientia Patris, id est, filius eius è cælis mouens ad terram descendat, ut cum ipso pariter iugalis in morem equi, non sine lassitudine ad pondera humanitatis portanda conatum adhibeat.

Rursus in equis iugalibus similitudo colorum & aliorum accidentium cum primis obseruari solet. ideo Græci equos curules appellant *ὁμοεῖχα*, id est, *concolores*, meliùs dixeris, similis pili; aliter enim si colores dispares sint, in decore iunguntur. Item *ὁμοσηματῆς*, latinè similia stigmatum, seu macularum, hoc enim etiam in equis iugalibus requiri solet, ut siquidem maculosi & varij existunt, similes profus maculas præferant. Vide Conradum in equo *lit. G.*

Cum ergo sponsus Sulamitem suam equæ iugali similem futuram dicit, ita ipsi se adiungendum deuinciendumque significat, ut similis ei per omnia euadat, iuxta illud: *Formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo*, atque ita vicissim sponsam ita sibi copulandam iri docet, ut similitudinem quoque ipsius induat, eosdem virtutum colores, atque eadem passionum stigmata, in semetipsa exprimat: aliter enim valde indecora, ac turpis esset ista coniugatio. Eapropter Paulus ad Galatas 6. *Mibi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et infra: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Qui enim iugum crucis susceperat cum Christo pariter instar equi ferendum, haud decorum profectò ratus est, non fieri *ὁμοεῖχον*, & *ὁμοσηματῆρον*, concolorem, & similia quoque stigmatum, & ideo etiam Christus Dominus, vbi dixit: *Tollite iugum meum super vos,* &c. de necessaria ista similitudine statim attexit: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Mitis certè, ad tolerandos labores, & humilis ad reliquas virtutum actiones obeundas.

Quid plura? Ad iungendos equos necessarium est lorum, aut vinculū quo inter se inuicem & iugo illigantur: hoc autem significat vnionem illam, qua inter se deuinciunt coniuges, siue hunc amorem mutuū esse dixeris, siue eam, quæ ex traditione vtriusque resultat obligatio ad præstandam fidem. Nam hoc vtrumque vinculum debet esse arcissimum, non laxum ac dissolutum. Succedant memoriæ verba illa supra adscripta *Eccles. 26.* *Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam.* id est,

est, sicut iugum quod ideo mouetur, quia lora sunt laxissima, talis est mulier nequitia insignis. Sensus autem sic habet. Mulier illa, nequissima est, quæ quasi laxum sit vinculum matrimonij, ab eiusdem legibus sese excoluit, onera respuit, & quasi iuris sui sit, licentissimè agit. Nec dissimilis certè est anima quæ perinde ac si vinculum illud quo sponso suo Christo ab initio obstricta fuit, laxum prorsus ac dissolutum esset, ad omne peccatorum genus audacior ac liberior efficitur. Valde tamen dissimilis est illa anima, quæ huius spiritualis matrimonij vinculum arctissimum esse apud se cogitans, ita quidem se teneri putat, vt nihil ex licentia, aut libertate agere tentet, adeò vt nonnumquam ipsamet sponte sua arctius ac pressius sese obstringat, quàm alioquin lex ipsam religat. Ex hoc genere sunt Religiosi, à religando dicti, quia non tantùm se communi omnium debito & obligatione ligari boni consulunt, sed vlteriùs se propria deuotione ad iugum Christi religant & deuinciunt. Et hoc etiam ipsi Ecclesiæ in vniuersum proprium existit, quæ per Christianam religionem, sic enim vocamus Christi legem, ac fidem, ita se iugo Christi obligauit ac deuinxit, vt vinculum hoc enodari, aut dissolui numquam permiffura sit.

Vlteriùs per hoc vinculum, quo vel anima, vel Ecclesia iugo Christi obligatur, charitatem & amorem accipere licet. ait enim Propheta: *Traham eos in vinculis charitatis*, hic enim non aliter Christum & animam coniungit, quàm duos iugales equos sub vno iugo. Quia si rem teneas, facile agnosces duos equos non aliter inter se vinciri solitos, nisi vni eidemque iugo alligatos; ita nimirum, vt iugum medium, quo vterque obstringitur, ipsos inuicem adiungat, & copulet. Certè iugum, ex mente Augustini, Christi crucem adsignificat: iam vides charitatis propriam vim & naturam, quæ nimirum duos, Christum videlicet, atque animam in cruce & in passione vnit, ac religat. Sicut enim Christus charitatem suam erga nos in hoc commendauit quòd pro nobis omnibus passus est, ita etiam nos charitatis & amoris erga Deum, testimonium & significationem non aliter edere possumus, nisi pro illo vicissim multas toleremus passiones, vti ea ratione vnum & commune vtrumque crucis iugum nos iungat, atque deuinciat, dum animi in perpeffione malorum offirmati inter se arctissimè cohærescunt.

Denique finis, cuius gratia animalia in iugum mitti solent, non est alius, nisi onerum deportatio, vnius enim equi, aut bouis robur ad tollenda magna onera fatis non est, ideo duo, vel plures iunguntur, vt collectis viribus ea facile moueant, quæ singuli impellere non valerent. Et sanè nulla est alia similitudo ad matrimonij vtilitatem significandam magis apposita, in quo mulier viro in adiutorium simile data est ad huius vitæ labores & difficultates, quibus solis fortasse decumberent leuiores reddēdas. Nulla etiam comparatio excogitari potest quæ necessitatem diuinæ gratiæ, vel ad bona opera perpetranda, vel ad mala, aduersaque sustinēda meliùs declaret, quàm duorum equorum iugalium similitudo, quia naturæ humanæ robur vsque adeò extenuatum est, vt ne ad minimum quidem opus bonum & honestum perficiendum, neque ad malum vitādum suis ipsa viribus possit, sed cum Christo coniuncta, & quasi in vnum iugū missa, id est, gratia & auxilio illius confirmata, nihil non potest ac valet, inde enim est illud, *omnia possum in eo, qui me confortat, non ipse, sed gratia Dei mecum.*

Non solùm autem per adiutorium gratiæ fit, vt quasi Christo iuncti legis onera ferre possimus, sed etiam vt facilem ac leuissimè feramus. Id enim sibi voluit Christus Dominus *Matthæi 11.* cùm ait: *Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suauè est, & onus meum leuè.*

Multa sunt quæ iugalibus animantibus pondera leuiora reddunt. Primum est collectio roboris ac virium, quæ modum quo diuina gratia cum libero arbitrio ad operandum conspirat, luculenter demonstrat. Secundum est faciliior contentio & nixus ad dicta onera ferenda, quia animalia ad eum modum deuincta & coniugata non excipiunt dorso onera, sed ea pectore trahunt. Et sanè leuitatem iugi atque oneris à Deo impositi, in eo posuit D. Augustinus *serm. 48. de tempore, & serm. 10. de verbis Domini.* Vbi Matthæi verba exponderans prædictam leuitatem in amorem contulit. *Sed in omnibus qui hac non amant, eadem grauiam patiuntur. Qui verò amant, eadem quidem, sed non grauiam tolerant; omnia enim sua & immania prorsus facilia & prope nulla efficit amor.* Et infra: *quæ dura sunt laborantibus, eadem mitescunt amantibus, propter quod ita diuina pietatis dispensatione autumat, vt homo non iam sub lege positus, sed sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat reuera graue iugum,*

*dura cervici conuenienter impositum. Facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quidquid molestiarum exteriori homini diabolus intulisset, interiori gaudio leuiferet; nihil enim tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi ei hæc sufficit Deo. Sed quid est per charitatem ad eum modum sponte & peramanter huius vitæ pondera ferre, nisi ea pectore ac præcordiis trahere, non autem dorso eadem sustinere; sicut aliàs ex persona impiorum hominum pronunciat David: *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* quia hoc esse solet Dei consilium, vt dorsum quod illi peccatores obuertunt, grauioribus, ne dicam, intolerabilibus tribulationum sarcinis profus oneret, quæ vel ideo intolerabiles sunt, quia dorso portatæ, id est, cum violentia & coactione.*

Tertiò, ideo etiam iugalibus equis leuiora redduntur onera, quia hi non per accliuia, sed per plana semper reguntur. Singulares enim equi onera dorso portantes, sæpius accliuæ & nimium arduas semitas inscendere coguntur; hi verò, qui iugo ad currus trahendos adstricti sunt, per planas & curules vias duci consueuerunt, & quidem suauitatem & leuitatem iugi & oneris Christi Domini in hoc posuit. D. Gregorius 4. *Moralium, cap. 39.* vbi inter alia sic serit: *Tollite iugum meum, &c. Quid enim graue mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari omne desiderium quod perturbat præcipit? quid graue subiectis iubet, qui declinare laboriosa huius mundi itinera præcipit?* Et *lib. 20. cap. 16.* cum iterum in eadem verba incidisset: *Plana* (inquit) *bene viuendi itinera Dominus demonstrat, &c.* Sententia Gregorij sic habet, tunc certè asperam & accliuam ascendimus viam, cum contra desideria, atque adeò contra pronitatem & procliuitatem animorum nostrorum contendimus. Quapropter ideo Christus Dominus, vt iugum legis suæ suauius, & onus pariter leuius redderet, non solum praua opera, sed etiam praua desideria lege sua interdicens putauit, vt eiusmodi desiderijs in oppositum minimè contendentibus, via ad virtutem plana, imò prona, ac decliuis remaneret. Rursus semitas quas superbia sibi permittendas proponit, quatenus ad vertices & culmina celsiora tenduntur, asperas valde, & accliuæ esse necessum est: eapropter Christus Dominus his, quos ad tollendum suæ legis iugum inuitat, humilitatem præcipit, cum ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Atque adeò nihil asperum, nihil accliuæ, aut difficile in via virtutis & legis relinquit, vt proinde per illam cuncta onera & pondera sine difficultate perferre liceat, quando homo cum Christo, & arbitrium cum gratia, quasi sub vno iugo copulari inter se coherent.

Denique illud etiam iugalibus equis onera cum primis leuia facit, quòd hæc in plaustris & curribus super rotas trahunt, inde enim fit, vt longè maxima pondera mouere possint. An non illud vsquequaque certum est, promissiones præmiorum spem nostram excitantes, pro rotis esse ad pondera maximorum laborum portanda? Ita quidem sibi persuasit Lycurgus, qui tabulas, in quibus præmia conscripsit, quibus suarum legum sedulos obseruatores donari ac decorari oportebat, ἀξονας, id est, rotas appellauit. Addunt aliqui eas ad rotæ similitudinem deformatas, vt nimirum ostenderet legum pondera subiectis præmijs, tanquam additis rotis leuiora fieri: ideo etiam Christus Dominus his, quos ad tollendum iugum suum animos fecit, præmia statim obiecit, dicens: *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Adde Paulum ad *Hebræos 12.* vbi postquam præmisit: *Omnis autem disciplina, in presenti quidem videtur esse non gaudij, sed mæroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Quibus verbis proponit primùm difficultatem, & labores, & sarcinas virtutis, deinde præmia subnectit, quæ pro illis denique reportanda sunt; ac demum, præmiorum expectatio quantum valeat, ac possit, ostendit consequentibus verbis. *Propter quod, id est, propter hunc fructum gloriæ sempiternæ, quod spectare vos iubeo, remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.* In Græcis pro gressibus subest τροχίας, ex voce τροχός id est, rota. Quasi dicat: *Facite vobis, ac pedibus vestris, orbitas.* id est, vias curules, & rotas extritas: ex his nimirum præmiorum pollicitationibus efformate vobis rotas, quibus per planas & curules vias legis, ac virtutis sarcinas conuehatis.

Hæc de lectione Septuaginta, iuxta quam sponsus Sulamitem suam tanquam equam comparem eidem matrimonij iugo adstrictam se excepturum promittit. Pergo ad vulgatæ translationis sensum, eum scilicet, quem cæteris præferendum statuimus, & iuxta corticem continet futuram sponsæ translationem à gynæceo, vel triclinio

clinio foeminarum in domum regiam sponsi. Et sanè de significatione prophetica huius translationis non perfunctoriè diximus suprà *vers.* 3. ad illa verba: *Trabe me*, & aliquid etiam seruiimus in *Isagoge cap.* 6. Atque (vt compendio dicam) translationem Ecclesiæ à Iudæa ad gentes, & à lege ad Euangelium futuram adumbrat. Iudæa enim, atque lex vetus Ecclesiæ olim pro gynæceo fuit, vt in præmissis locis ostendimus: quibus adde etiam *vers.* 1. huius capituli, vbi fusiùs de gynæceo, & de eius partibus verba fecimus. Congregatio autem fidelium ex gentibus coalescens, pro regia & palatio Christi Domini fuit, de quo palatio loquutus est David *Psal.* 44. (sequor translationem Hieronymi,) *Adducentur Regi virgines post eam, adducentur in latitia, & exultatione, adducentur in palatium Regis*, sic ille restituit pro templo. Huius loci vim expressit Chaldaeus, qui ita conuerit: *Adducentur ad Regem orbis*, quasi dicat: ad Regem utique traducetur hæc sponsa cum pedissequis puellis suis, id est, Ecclesia vniuersalis, cum aliis singularibus Ecclesiis, ad Regem, inquam, cui non iam angustior Iudææ locus, sed totus orbis erit pro regia & palatio, & hunc ad sensum vocare contendit Lorinus vocem *templi*, quam vsurpauit Vulgatus, scilicet pro amplissima totius mundi domo. Quia apud Græcos templum, id est, *ναόν* pro palatio, *βασιλική*, id est, Basilica, pro templo vicissim vsurpari consueuerunt. Et quamuis hunc locum de cælo Empyreo, quod aliàs palatium & regia Dei vocari solet, non pauci interpretentur; tamen ea interpretatio est anagogica: litteralis autem, & germana existit de gentium vniuersitate, id est, de mundi vniuersalis mole, quam Christi Domini & Ecclesiæ commune regnum occupauit. Nam Ecclesiæ sponsæ summi Regis ac reginæ dignissimæ, nec minor, nec angustior, regia aut basilica assignificari debuit. Sed id commune est huic cum præcitatis locis, illud proprium huius carminis, quod modum & ordinem huius translationis depingit.

Duas verò huius translationis, qua sponsa, id est, Ecclesia ex Iudæis ad gentes deducta est, similitudines confici posse (quæ propiùs ad litteram accedunt) ad sonum allegoriæ diximus. Alteram quidem sumptam à translatione plebis Israëliticæ in terram promissam, iuxta ea, quæ in quarta expositione vulgatæ translationis præscripsimus, iuxta quam sensus propheticus est luculentus; significat enim sponsus, id est, filius Dei, se non aliter post assumptam carnem cum Ecclesia facturum, quàm olim cum multitudine filiorum Israël. Sicut enim illam ex præduris & valde rigidis Ægyptiorum operibus, quibus inferuiebat, gazis Ægyptiorum ornatam & diuitem de nocte euocatam per vndas rubri maris, ad libertatem transtulit, & in terram promissam induxit; sic etiam Ecclesiam ex rigidis valde operibus legis, eiusque seruitute educatam, ad libertatem Euangelij per Baptismi mare, de nocte, tunc scilicet, cum densiores ignorantie tenebræ mundum occupauerant, deportauit, atque transmisit. Quomodo autem ea omnia, quæ in translatione illius populi ex Ægypto ad desertum, & inde ad terram promissam, tunc agebantur; Ecclesiæ figuram continerent, disce ex Paulo 1. *ad Corinthios* 10. vbi de illa sermonem habens, semel & iterum inculcat illud: *Hæc autem in figura facta sunt*. Consule etiam Oseam, qui de hac translatione Ecclesiæ ex Iudæis ad gentes, sub eadem similitudine sponsæ ab sponso ductæ loquens ex dicta translatione populi Hebraici ab Ægypto in desertum, similitudinem deriuat tunc cum ait: *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Quasi dicat: non aliter educam eam, id est, Ecclesiam ex Iudæis ad gentes, & ex lege ad Euangelium, quàm olim ipsam Iudæorum plebem ex Ægypto in desertum, & inde ad terram promissam conduxit & transtulit. Nec nouum, aut insolens videri debet, quòd Iudæam tunc cum Christus Ecclesiam ex illa educatam ad gentes transmisit, cum Ægypto comparatam dicamus, & leges seruitutis, quas populus Dei in Ægypto sustinebat, cum lege veteri compositas dicamus, vtrumque enim Scripturæ vsus defendit. Nam Prophetæ non semel aliàs propter errores, quos Israël sponte ebiberat, & multam ignorantiam, ad quam illum deprauatio morum redegerat, Ægypti nomen illi imponunt. Sed tum maximè *Isaias cap.* 52. de tempore aduentus Christi verba facit, additque populum Israël iteratò in Ægyptum descendisse, & colonum ipsius fuisse, ab illis verbis, *In Ægyptum descendit populus meus*, &c. non quia tunc denuò in captiuitatem abductus fuisset, sed quia ipsemet spontè sua in Ægyptum spiritualiter abierat, ad Ægyptiorum mores voluntariè discedens. De seruitute autem legis antiquæ multa Paulus ad Galatas 4. *Nos enim* (inquit) *cum essemus paruuli sub elementis*

mundi eramus seruitutes. Et infra: hac enim sunt duo testamenta: vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, qua est Agar; Sina enim mons est Arabia, qui coniunctus est ei, qua nunc est Hierusalem, & seruit cum filiis suis; & subinde: State ergo: nolite iugo seruitutis contineri. Vide quàm seuerè de veteri Testamento statuatur, iugum seruitutis ipsum appellans: quapropter cum Christus Dominus Ecclesiam ex Iudæa ad gentes, & ex lege ad Euangelium transmiserit, antiquam illam translationem populi Israël ex seruitute Ægyptiorum ad terram promissam per Moysen patraram, tanquam figuram & vmbra futurorum adimpleuit. Lege caput Isaia nuper citatum.

Sed quid inde? Caterùm plebs Iudaica ab Ægyptiaca seruitute per Moysen educta est, omnes Ægyptiorum gazas secum abduxit. Adde etiam equos & currus. Nam plebem Israëliticam Ægyptiorum gazis prædiuitem currus quoque & equos ab eisdem Ægyptiis acceptis ex Rameta exportarunt, vt supra ad Ionum allegoriæ adnotabam. Idem profus accidit Ecclesiæ, nam cum illam Christus Dominus ex Iudæa ad gentes tanquam ex Ægypto ad terram promissam transmiserit, omnes Iudæorum gazas secum eripuit. Gazas autem maximè pretiosas Iudæorum appello Scripturas sacras, quibus olim ditissimi erant Hebræi. Addo etiam currus & equos, quibus Christo authore translatio, seu exportatio ista peracta est, ab eisdem Iudæis assumptos fuisse. Nam quid aliud equorum nomine infertur nisi Apostoli? Eorum enim prædicatio qua fideles ad Christi fidem inuitabant, imò potiùs trahebãt, currus aptissimè vocatur, vtrumque ex eiusdem Scripturæ vsu notum. In primis Abacuc ad dictam exportationem filiorum Israël ex Ægypto clarissimè adludens, Apostolos Christi cum equis illis & quadrigis, qui filios Israël per mare rubrum aperto itinere transportarunt, luculenter composuit: *Numquid in fluminibus iratus est Dominus, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua, qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua saluatio.* Et infra: *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Audi Hieronymum: *Quaro, inquit, equos, super quos ascendat Dominus, & puto non esse alios, nisi sanctorum Apostolorum animas, super quas ascendit sermo diuinus, vt ipsas saluet, & alios per eas.* Et infra: *Qui ascendit in Paulo, ascendit in Petro, & in huiusmodi curribus equitans totum lustrauit orbem;* & iterum videamus quomodo Christus ascenderit in Apostolis suis, & transierit per mare, dicens: *Eunt es in mundum vniuersum, baptizate omnes gentes,* &c. Sed luculentissimè Cyrillus Alex. *Ascendens, inquit, super equos tuos, & equitatio tua salus. Quinam verò sunt isti equi? Beati discipuli Apostolique & Euangelista illi dicuntur, eius voluntati penitus subiecti, illi faciles & obsequentes, & ad omnia ei placita parati, Christum sessorem portantes, calorum sanè equi isti, totum orbem peragrantes, nec frustra cucurrerunt, sed vt saluarent vrbes, regiones & gentes.* Et subinde per mare gentes intelligit, atque adeò extrema illa verba: *Viam fecisti in mari equis tuis,* &c. hunc sensum reddunt. Sicut olim equis & quadrigis populum Israëliticum ex Ægyptia seruitute exportantibus mare rubrum aperuisti, & aquis hinc & inde pendentibus iter solidum in profundo exhibuisti. Ad eundem modum Apostolis ac discipulis Ecclesiam ex seruitute legis ad libertatem Euangelij equorum in morem transuehentibus per fluctuantium gentium gurgites, apertam & liberam viam ad totum latè mundum peragrandum præparasti. Quid certius? Sed de significatione spirituali ac mystica, transitus filiorum Israël per mare, quatenus fuit symbolum & figura Ecclesiæ quoque transeuntis, siue per aquas baptismatis, siue per gentes multas, quæ maris & aquarum nomine passim notantur, siue per tribulationes & passiones, quibus etiam maris & aquarum nomen imponi solet, siue domum per falsa dogmata, prauasque doctrinas, quæ fluctuum & vndarum similitudine censentur, multa passim occurrunt apud sanctos Patres. Lege Augustinum *serm. 9. de tempore.* Origenem *homil. 8. in cap. 14. Exodi,* Rupertum quoque & Rabanum *ibi,* Ambrosium *lib. 2. de Sacramentis,* & Gregorium *lib. 3. Moralium cap. 3.* & alios non paucos. Illud tantùm huius loci proprium est quod hæcenus præfati sumus, scilicet equos & quadrigas ab Ægyptiis acceptos, quibus populus Dei per mare rubrum exportatus fuit, Apostolos prophetice demonstrare, à quibus Ecclesia per mare quoque rubrum secundùm quatuor illas acceptiones nuper dictas ex Iudæa educta ad reliquum latissimè patentem orbem transmissa est. Et sanè locus citatus ex Abacuc, tam affinis est huic, cuius commentarium construimus, vt D. Hieronymus vnã & eandem vtriusque sententiam esse affirmet.

Dixi vlteriùs, per gazas quas Iudæi abstulerunt ab Ægyptiis significari Scripturas sacras,

facras, quibus etiam Ecclesia ab Hebræis ad gentes demigrans, ipsos Hebræos spoliavit. Habes hoc apud Ambrosium in *Psalms*. 118. Vbi prædam quam Moyses cum reliquis Iudæis ab Ægyptiis reportavit, iuxta illud: *Petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, vestemque plurimam, &c.* Eam denotasse affirmat, quam populus Christianus ab ipsismet Iudæis postea egit. *Audisti (inquit) audi etiam de Iudæis, quibus Dominus Iesus, (pro Moysse) abstulit spolia, hoc est, regnum cælorum abstulit, & dedit genti facienti fructum eius, abstulit enim virtutem panis, & virtutem aquæ (dicitur enim etiam farinam multam & acymas conspersiones) Prophetam & admirabilem consiliarium & prudentem architectum, & sapientem auditorem, illis quippe abstulit, nobis dedit; atque adeò merito exulto, sicut qui inuenit spolia multa. Nam sine labore meo inueni spolia quæ non habebam, inueni heptaticum, id est, septem libros, Pentateuchum scilicet cum libris Iosue, atque Iudicum. inueni regnorum libros, inueni Prophetarum scripta, inueni Esdram, inueni Psalmos, Proverbia, Ecclesiastem, & Cantica Canticorum; inueni admirabilem consiliarium Christum, inueni Paulum prudentem architectum, inueni sapientem auditorem, populum Christianum, qui nouit ea, quæ leguntur. Ille enim audit qui ea, quæ audit intelligit, lex spiritualis est: non illam audit Iudæus, qui audit corporaliter, sed ille audit, qui audit in spiritu; habent illi libros, sed sensum librorum non habent, atque adeò nec libros habent. Multa denique habet spolia, qui habet Dei Verbum, habet resurrectionem, habet iustitiam & virtutem, atque sapientiam; habet omnia, quia omnia in ipso constant, Hebræi spoliauerunt Ægyptios, & vasa eorum abstulerunt; Iudæorum spolia habet populus Christianus, & totum habemus quod illi habere se nesciebant: illi aurum & argentum materiale abstulerunt, nos aurum mentis accepimus, nos acquisiuius cælestis sermonis argentum, id est, verba Scripturæ & spiritualium eorum intellectum.* Haftenus Ambrosius.

Ulterius dico in *Psalms*. 67. quem aliqui non epinicium, sed Epithalamium esse volunt, vtramque tam equorum, quàm spoliatorum mentionem reperiri, & Ecclesiam sub nomine ac vocabulo Tribus Benjamin, tanquam sponsam curru vectam induci cum expressa adlusione ad exitum filiorum Israël ex Ægypto, & transitum rubri maris, & luculenta quoque comparatione traductionis nuptialis, vt ad eum locum eruditè adnotauit noster Sanctius: *Currus Dei, decem millibus, multiplex millia latantium Dominus in Sina in sancto; ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Et sanè in his verbis ad transitum rubri maris à Propheta respectum, docet Origenes in *cap. 14. Exodi*, & alij interpretes. Sed difficultas est, an verba isthæc de ascensu Christi in cælum, & de Ecclesia triumphante, an de militante accipienda sint? Aliqui interpretes omnia verba ad Ecclesiam triumphantem referunt. Alij rursus militanti dedunt, alij sic distribuunt, vt illud, *ascendisti in altum*, de Christo cælos scandente accipiant, ac de reliquo qualiter cum Ecclesia, quam in terris ad militandum reliquerat, habuerit, plurima dona illi è cælo dispensans intelligant; atque hæc videtur expressa mens Pauli ad *Ephesios* 4. Cui ego libentiùs assentior, quàm aliis interpretibus. Existimo ergo Vatem, cum respectu ad traductionem filiorum Israël ex Ægypto in terram promissam, & comparatione translationis nuptialis, vt noster contendit Sanctius, Ecclesiæ similem traductionem ex seruitute legis ad libertatem Euangelij, & ex Iudæa ad gentes his verbis describere: *Currus Dei decem millibus multiplex millia latantium Dominus in Sina in sancto, &c.* Hæc verba per comparationem vnius ad aliud edifferenda sunt, itavt quod de plebe Iudæorum pronunciat, de Ecclesia enunciatur putemus, hoc modo. In nuptiali pompa euenire solet, vt currum illum, in quo sponsus cum sponsa vecti procedunt, plurima turba latantium, ouantiumque amicorum sequatur, & translatio nouæ nuptiæ simulata vi, quasi per raptum perfici solebat, vt suprâ ad sonum allegoriæ præfati sumus, itavt cum lætis & ouantibus armatorum quoque non exigua manus satellitum præstans abiret; sic intelligo illa verba: *decem millibus multiplex millia latantium.* Itavt decem millia armatorum, & millia latantium & canentium numerentur: congruunt enim hæc verba cum illis, quæ suprâ citauimus ex lib. 1. Machabæorum *cap. 9. Et ecce tumultus & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius & fratres eius obuiam illis cum tympanis & musicis & armis multis.* Addit Propheta: *Ascendisti in altum*, id est, ipsummet currum tibi præparatum & ornatum inscendisti. *Cepisti captiuitatem.* Paulus loco citato: *Captiuam duxit captiuitatem.* Certè *captiuitas* in hoc loco, plebem captiuam adsignificat, abstractum pro concreto, sicut alias in Scriptura

sacra *Deuteronom. 21.* pro illis verbis: *Captiuosque duxeris, & videris in numero captiuorum, mulierem pulchram, &c.* in Hebræis est, *captiuaueris captiuitatem, & in numero captiuitatis, &c.* quam lectionem secuti sunt *Septuaginta, & 2. Paralipom. 28. Reducite captiuos, in primitiuis, reducite captiuitatem.* mitto alia. Ergo ad solennem morem accipiendi sponfas ex gynæceis, vel ex parentum domibus, adludens *Propheta ait: Cæpisti, seu captiuasti captiuitatem,* quasi dicat: curru tuum pluribus, tam armatis militibus, quam lætantibus ludentibusque cantatoribus stipatum ascendisti, & dilectam plebem, quam sponsam tibi adiungere decreueras, ex claustris, in quibus captiua tenebatur, rapuisti, & veluti captiuam abduxisti, ritum & morem nubentibus solennem imitans. Quid plura? *Accepisti dona in hominibus.* Verbum *אכל* *lachab,* quod hîc subest, significat *depradari, & spoliare;* atque adeò aliqui interpretes ad prædam & spolia quæ *Iudæi ab Ægyptiis retulerunt, Prophetam respexisse volunt. Quasi dicat cum sponsa: etiam plurimam quoque prædam, & spolia opima rapuisti, quæ hominibus, id est, amicis tuis dispensares, iuxta morem, aliàs in conubiis solennem. Nam sponsi in amicos ad nuptias concursantes, dona spargere solebant, vt infra fusè probauimus.*

Hæc igitur quæ *Vates de plebe Israëlitica ab Ægyptiorum seruitute in libertatem assera, sub similitudine sponsæ ad matrimonium raptæ pronunciat, tanquam figurata accipere, & secundum germanum & genuinum sensum de Ecclesia interpretari debemus. ipsa enim à Iudæis, sicut plebs Iudaïca olim ab Ægyptiis, à sponso suo Christo ad legitimas nuptias raptæ fuit, non aliter nisi in curru, per iugales equos vècta, id est, per Apostolorum prædicationem attracta, & à seruitute legis ad libertatem Euangelij perducta. Nec desiderabis prædam & spolia, quibus sponsus amicos suos loco munerum decorauit. Nam Paulus ad *Ephesios 4.* vbi præmisit: *Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus,* explicans qualia essent hæc dona, subnectit, & ipse (ait) *dedit quosdam Apostolos, quosdam verò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, &c.**

Si tamen vltimam expositionem in sono allegoriæ à nobis datam sequimur, quæ verba ista sine allusione, aut respectu ad exitum filiorum *Israëlex Ægypto de eadem traductione sponsæ à gynæceo, seu triclinio scæminarum in regiam, seu palatium sponsi interpretatur. Sensus utique euadet tyncerior, sed superiori profus adsimilis. Equitatu meo in curribus Pharaonis adsimilauit te amica mea.* id est, translationem tuam, imò raptum ô *Ecclesia, sponsa mea proxime faciendum, iam iam adorno, vt à gynæceo legis atque Iudææ, vbi hæctenus inclusa mansisti, ad Euangelium atque gentium, imò totius mundi latè patentem regiam, palatiumque pertranseas. In qua translatione similem te faciam ducibus meis, super currus pulcherrimos, & à generosissimis equis attractos, ad bellum deuectis, sic enim ex gynæceis, aut domibus parentum exportari, imò rapi solent nouæ nuptæ (sic *Salomon pro Christo ad eos equos adludens, præ cæteris generosos, quos illi transmittibat Ægyptus*) & sanè de raptu *Ecclesiæ copiosè diximus supra vers. 3.* ad illa verba, *trahè me.* Propterea enim ex bellatorum curribus assumitur hîc comparatio, vt supra etiam ad sonum allegoriæ monebam, affirmans sponsa non sine armis, & quadam simulatione violentiæ à parentum domibus abduci solitas. Nec desiderabis hæc arma in dicta *Ecclesiæ translatione, nam si spiritualia arma postules, habes utique illa apud Paulum in 2. ad Corinth cap. 10. Arma militia nostræ non carnalia sunt, sed potentia à Deo ad destructionem munitio, consilia destruentem, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentem omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentem ulcisci omnem inobedientiam, &c.* his enim armis *Ecclesia à Iudæis erepta, & vt nuper dicebam, captiuitas ipsa in captiuitatem abducta est. Si verò temporalia & externa arma quæras, dabunt tibi illa Romani, quorum armis & potentia vsus est Christus Dominus ad Ecclesiam suam ex Iudæa ad gentes exportandam. Ita enim affirmat Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei, vbi inter alias causas, ob quas Deus Hierosolymam euerti, & Iudæam vastari voluit; alteram esse dicit vt Ecclesia, quæ eatenus sibi permanerat, inde ad gentes tota migraret, & per vniuersum mundum effunderetur. Adde etiam Eusebium, qui verba illa *Psalm. 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* quibus sponsus, non alia ex causa arma sumere iubetur, nisi vt sponsam, illata vi, sibi rapiat, (vt ad sonum allegoriæ notauimus) de excidio etiam Hierosolymitano intelligit, itaut *Vates illis verbis: ad vindictam***

dictam de Iudæis sumendam, Christum Dominum prophetica adhortatione confirmet. Et eodem sensu donat ea, quæ sequuntur: *Sagitta potentis acuta, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis.* Ad hunc modum rapta est Ecclesia, non per simulatam, sed per veram violentiam Romanorum armis illatam. Lege quæ diximus loco citato de hoc raptu.

Addit sponsus currui iugalibus equis adstricto Ecclesiam sponsam in ea translatione imponendam, currum istum, & equos describit David in eo *Psalm. 44.* verbis nuper citatis: *Prosperè procede, & regna, propter veritatem, mansuetudinem & iustitiam.* quæ iuxta origines Hebraicos, sic efferenda sunt: *in decore tuo prosperè ascende*, sicut eques currum. hanc enim vim habet verbum Hebraicum quod Hieronymus sic transtulit, *inequitas*, eodem sensu; vox autem *prosperè*, vel *feliciter*, magnam pompam & apparatus sonat. Sed quid inscendere debet Hieronymus, *Inequitas super verbum veritatis, mansuetudinis & iustitiæ.* Itaque verbum, seu prædicatio Evangelij, pro curru est, quo inscensio Christus Dominus exceptam sponsam Ecclesiam ad regiam suam, id est, ad totius orbis amplissimum palatium traduxit, *super verbum, inquam, veritatis, & mansuetudinis & iustitiæ.* Aliqui interpretes ex his virtutibus currum sponsi construunt, itavt sensus sit: pro curru tibi sit prædicatio *veritatis*, id est, vera, non falsa, *mansuetudinis*, id est, mitis & benevola, non severa & immittis, & *iustitiæ*, id est, iusta & honesta docens, non iniusta atque turpia, atque adeo tota apta ad persuadendum, nimirum ad trahendas facilè ac iucundè, veluti curru vectas, dociles animas prorsus idonea. Alij rursus ex his virtutibus equos iugales conformant, qui verbi, seu prædicationis currum trahunt, quo sponsus sponsam Ecclesiam ducit. Si tamen obiicias numerari tantum in hoc loco tres virtutes, scilicet veritatem, mansuetudinem & iustitiam, quæ nec bigam, nec quadrigam componunt. Alij quidem ex superiori versu pulchritudinem & decorem accersunt, & cum tribus prædictis quadrigam constituunt, quia nimirum arbitrantur in his descriptas virtutes sponsi, id est, Christi Domini eximia exempla virtutum, quæ ita sponsam Ecclesiam, & quamlibet animam ad ea insequenda alliciunt & inuitant, vt non cum difficultate & labore quasi peditem, sed cum maxima facilitate & voluptate quasi curru insidentem attrahant. Per decorem autem prædictum, Christi Domini innocentiam ab omni culpa & peccato immunem intelligendam esse dicunt, quæ cum veritate, mansuetudine & iustitia quadrigam aptissimam componunt. Alij rursus (quibus ego libentiùs assentior) vt quatuor virtutes numerent, & ex his quadrigam conforment, iustitiam, quæ in eo sita est, vt id quod cuique debitum est, reddamus, in duas distribuunt: alteram per quam Deo, alteram per quam hominibus restituimus quæ ipsis debentur; sic enim iustitiam bimembrem faciunt Theologi Scholastici, cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 26.* & deinceps, vbi (vt quæ hominum propria sunt dimittam) omnes actus religionis, per quos Deo cultum debitum exhibemus, potestatiuas iustitiæ partes appellat. Ergo per *veritatem* omnia, quæ ad veram fidem spectant, per *mansuetudinem* quæcumque ad laborum perpeffionem & tolerantiam pertinent, concipiunt, iustitiam verò bipartitam inducunt; alteram quidem erga Deum, alteram erga homines, atque de his omnibus quadrigam valde conformem componi volunt, qua Christus Ecclesiam ad extremas mundi regiones traduxit; hæc enim sunt virtutes eximie ipsius Ecclesiæ, quæ illam ad longissimas mundi plagas penetrare fecerunt; scilicet veritas, quam semper docet, mansuetudo, quam in laborum perpeffione ostendit, iustitia, quam operibus ac moribus exequitur, quibus complectitur omnem bene viuendi rationem, quæ nos tam Deo, quam hominibus commendat. Ac ne putares Ecclesiam, ab his quatuor virtutibus perlatam, cum labore & difficultate agere; imò potiùs facilè admodum & iucundè prouehi; ideo præmissæ virtutes, velut iugales equi inducuntur, illam curru exceptam, cum facilitate & suavitate incredibili peruehentes. Hæc omnia latent sub illis verbis: *Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* in quibus de Ecclesiæ translatione agitur.

Vlteriùs dico quadrigam istam ad Ecclesiam Christi sponsam traducendam, meliùs fortasse ex quatuor Evangelistis conformari, qui meritò nomine quadrigæ censentur propter summam cohærentiam & concordiam eorum, quæ scriptis suis consignarunt. Hi enim sunt velut quatuor equi iugales, qui currum gloriæ Dei, id est, cognitionem & prædicationem Christi per totum latè mundum pertulerunt. In his
sponfa

sponsa Christi sancta Ecclesia, gloriosius ac splendidius vecta, à vita quæ secundum legem, erat tanquam à gyncæxo, ad eamque cum Euangelio conformis est, & à Iudæa ad gentes translata fuit. Hoc nomen quadrigarum habent quatuor Euangelistæ apud Augustinum lib. 1. retractationum cap. 2. *Has, inquit, Domini sanctas quadrigas, quibus per orbem vectos subegit populos iugo suavi & sarcina leui.* Et Hieronymus in prologo Galeato; *Matthæus, ait, Marcus, Lucas & Ioannes quadriga Domini.* quæ verba expendens Abulensis. *Vocantur (inquit) Euangelistæ quadriga Domini, quia quadriga quatuor equos victos habet; Euangelistæ verò quatuor sunt & quadriga, quia in eorum quatuor scriptis portatur Christus, per quatuor mundi plagas.* Tu igitur in hac quadriga cum Christo Domino Ecclesiam compone, quam similem ad modum quatuor Euangelistæ, ad quatuor mundi plagas asportarunt: sponsam nimirum cum sponso ab his quatuor iugalibus vectam cogita, & finges tibi currum nuptialem. Adde etiam in verbis illis Psalm. 44. *specie tua & decore tuo inequitas super verbum veritatis, mansuetudinis & iustitiæ;* quibus describitur ad litteram currus sponsalitiæ sanctæ Ecclesiæ, (vt hæctenus multis confeci) istam quatuor Euangelistarum quadrigam, non obscure continens.

Nam quatuor Euangelistæ, cum quatuor illis animantibus à sanctis Patribus componi solent; quæ ab Ezechiele iuxta flumen Cobar sese visenda exhibuerunt: quæ animalia licet quatuor vultibus singula constarent: vnumquodque tamen illorum vultum vnum maximè proprium habebat, vt ex Ioanne *Apocalypsi cap. 6.* aperte colligi videtur, & ratione huius maximè proprii vultus singuli, singulis Euangelistis ab eisdem Patribus accommodari consueuerunt: hi sunt Augustinus & Hieronymus *locis citatis in cap. Ezechielis*, Gregorius Magnus *ibidem*, Chrysostomus *homil. 1. in Marcum*, Beda & Bonaventura *in proæmio interpretationis Euangeliorum*; hæc autem accommodatio sic fieri solet, vt facies hominis ad Matthæum pertineret; facies verò leonis tribuatur Marco, facies vituli ad Lucam spectet; vultus denique Aquilæ affigatur Ioanni. Cum igitur quatuor ista animalia ad hunc modum quatuor Euangelistis accommodari soleant, eapropter nobiles quidam interpretes *Psalm. 44.* quatuor illas virtutes, quæ quadrigæ loco induxit Dauid quatuor prædictis animantibus, & sub his quatuor etiam Euangelistis adaptari posse dixit: ita nimirum, vt *decor & pulchritudo* ad formam hominis, *veritas* ad vultum aquilæ, *mansuetudo* ad faciem bouis, *iustitia* denique ad speciem leonis referantur: & in his quatuor Euangelistæ adumbrati respondeant, Matthæus, Ioannes, Lucas & Marcus, modo iam dicto.

Digressio de curru & quatuor animantibus Ezechielis.

Interpretationis susceptæ lapsus ad Ezechielis currum nos leniter satis deduxit, quatenus in quatuor animantibus, quos ad illum currum, velut adstrictos vidit Propheta, quatuor Euangelistas, qui nuptialem Ecclesiæ currum mouere dicuntur, præmissi Patres contemplati sunt. Ego autem non longè absom, vt credam, secundum germanum litteræ sensum, idem prorsus argumentum esse, eandemque prophetiam latere sub vtroque curru Ezechielis & Salomonis. Quapropter de quadriga Ezechielis aliquid hîc adscribere operæpretium duxi. Ne quis autem putet hanc concordiam & cohærentiam à me nouiter excogitatam, audiat Ambrosium, qui Salomonem cum Ezechiele conferens *in Psalm. 118. serm. 2.* super hæc verba, *Equitatus meo in curribus Pharaonis assimilauit amica mea,* sic demum scribit: *O rationabilium equorum grande certamen, ô mirandum mysterium! Rota intra rotam currebat, & non impediabatur, nouum Testamentum in veteri Testamento intra illud currebat, per quod annunciabatur, in quatuor partes rota ibant, & non reuertebantur retrorsum, quia spiritus vita erat in rotis, qui currebat in quatuor partes mundi, & sine offensione currebat, quia bonam equorum vitam quadrabat. Currebant igitur equi, quia non dormiebat qui ascenderat equos.* Hæctenus Ambrosius, qui animalia illa quadriformia, quæ Ezechiel in curru illo mystico vidit, equos appellat, quia loco equorum, illi deuincti erant, vt in quatuor mundi plagas illum mouerent; sentitque nomine equitatus, in hoc loco; ad ea quatuor animantia, quæ vices equorum agebant, à Salomone respectum fuisse.

Vt igitur hæc vtriusque Prophetæ concordia perspicua fiat, Ezechielem replicemus

mus. Ac primùm quidem de forma animantium, & de structura currus compendio dicamus. Formam igitur horum animantium, valde dissimilem tradunt diuersi Auctores, quorum sententias colligunt nouiores interpretes. Sanctius *in cap. 1. Ezechielis*, & Fernandez *de visionibus veteris Testamenti*, & quilibet etiam propriam adstruit. Rationes verò quibus quisque aliena infirmat, placita, & sua corroborat, ab eisdem peti possunt. Id tantùm ego obiter affirmo, priorum sententias à posterioribus satis refutari, & reuinci, atque adeò ex illis interpretationibus, quas recentiores tradunt plures displicere, nullam penitus mihi probari. Sed tamen non est animus nouam aliquam horum animantium formam comminisci, sed antiquam vendicare, quam Hieronymus & Gregorius expresserunt, quibus etiam adstipulatur Ambrosius *loco citato*, quatenus tam rotas, quàm animantia sic configurata fuisse dicit, vt in quatuor mundi plagas expedita, ac prompta tendere possent. hic enim est scopus totius configurationis & structuræ, ex quo formas animalium atque rotarum metiri oportet. quem scopum designauit Ambrosius verbis illis nuper datis: *Quia spiritus vite erat in rotis qui currebat, & in quatuor mundi partes sine offensione currebat, quia bonam equorum vitam quadrabat.* Eundem scopum sibi præfixerunt Hieronymus & Gregorius, vt in eorum commentariis videre est.

Tene quod dico, & cum dictis Patribus hoc tibi ob oculos propositum sit, totam rotarum structuram & animalium multiforium diuersos vultus ad id spectare, vt in quatuor partes orbis sine aliqua euerfione, aut gyratione rapere possent, & de cætero figuras animantium & rotarum ad finem istum accommodatissimas. Verba Ezechielis tibi dabunt, percurram ocyùs.

Et in medio ignis similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis. In eis duplicem similitudinem his animantibus inesse dicit, nimirum similitudinem animalium & similitudinem hominis. Noui in interpretes per hominis similitudinem reliqua, præter caput & pedes, intelligunt, atque tota corporis structura à capite deorsum vsque ad pedes humani corporis speciem prætulisse affirmant. Ego verò cum his interpretibus ita prorsus sentio, hisce verbis significari prædicta animantia, præter ea, quæ expressè à Propheta excipiuntur, reliqui humani corporis formam retulisse. Sed addo, non solum infimos pedes, quos vitulinos fuisse signatè affirmat Vates, sed etiam crura, id est, quæ à trunco corporis infernè pendent, ab humana forma discessisse. Ait enim infra: *Pedes eorum pedes recti.* Septuaginta, *crura eorum recta*, id est, rigida, nullis scilicet vertebris ad ludendum dissecta, vt infra dicam; hoc autem ab humana etiam forma abhorret. Vterius dico, in eo etiam ab his authoribus discedo, quòd illi in trunco corporis, quod humanam exhibebat figuram antè & retro, scilicet pectus & dorsum, comminiscuntur. Ego verò aliter reor, quia, vt infra ostendam, ad illa verba: *& manus hominis sub pernibus eorum in quatuor partibus.* Vel, vt in originibus habetur: *in quadraturis, vel in angulis quadraturæ*, hæc animalia, quòd ad truncum corporis spectat, quadrata & equilatera apparebant: quatuor verò planities æquales, quæ prædictum corpus quadrabant, anticam humani corporis specie redidisse puto; nulla enim ex parte dorsum apparebat. hoc sibi voluit Propheta cum infra dixit: *non reuertebantur cum ambularent.* id est, non gyabant, hæc enim est vis verbi originalis, & *unumquodque ante faciem suam ambulabat.* quasi dicat. Hæc animantia ita erant conformata, vt illis in quatuor oppositas regiones pergere promptum esset, & quamuis nullam corporis conuersionem facerent, semper nihilominus in faciem abirent; id verò fieri non posset, si aliqua ex parte tergum exhiberent, nam in eam abeuntes non vtique in faciem, sed retro in terga discedere dicerentur, quod valde notandum contra Alcaçarem, Pradum & Sanctium, qui id minimè obseruantes, ideo antiquam Patrum sententiam deseruerunt, quia hæc animalia semper in faciem progredi, & numquam retro in dorsum regredi ferebantur. subneçit Vates:

Quatuor facies vni, cum hæc animalia quadrata & æquilatera essent modo iam dicto, quatuor scilicet pectoris humani effigies ex quatuor quadraturæ partibus referentia, quodlibet eorum, non vtique quadriceps, sed quadrifrons erat, luculentius dicam, non quatuor capita, sed ex trunco corporis quadrato vnicum collum & vnum etiam sese attollebat caput, quaternos frontes, aut vultus in se continens, singulos quidem ad singulas prædictæ quadraturæ partes obuertos, atque adeò quatuor oppositas regiones respicientes; id enim sibi volunt subiecta verba: *Similitudo*
autem

autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor, & facies Aquila de super ipsorum quatuor. Cape verba, nam supra cum dixit, *quatuor facies vni*, numerum facierum, quibus singula animalia prædita erant recensiti, nunc verò in his verbis quatuor animalium quaternos vultus enumerat, & eorum situm declarat. Ac primum quidem ait, quatuor animalia quatuor vultus humanos habuisse, omnes quidem ad vnã regionem obuertos, puta ad Orientem, sic enim contemplatus est Gregorius; respectu verò istarum quatuor humanarum facierum ac pectorum, seu thoracium, quæ ad eandem regionem spectabant, capitur dextrum & sinistrum, ideo dicit quatuor vultus leoninos ditorum animalium ad dexteram conuersos esse (puta ad Meridiem) quatuor item facies vitulinas ad sinistram vergere, puta ad Aquilonem, subrexit: *Facies aquila de super ipsorum quatuor.* Hic nodus qui interpretes aliquos strangulat, me autem parum cingit. Nam vt tota conformatio horum animalium aptè quadraret, postquam dixerat Propheta, *à dextris, & à sinistris*, addendum videbatur à tergo. Atqui (vt supra dicebam) animalia ista, non habebant terga, ideo Vulgatus, ab eo nomine abstinuit, & pro illo subiecit *de super*. Adde etiam in codicibus Hebraicis eam vocem desiderari, nam ad verbum sic iacent: *& facies Aquila quatuor ipsis.* Vterius dici potest Prophetam vidisse quatuor animalia Orientem versùs in humanas scilicet facies volantia, atque adeò secundum eam dispositionem, facies Aquilæ, quæ oppositæ erant humanis vultibus, de super conspectas fuisse. quæ solutio mihi ante alias probatur, & omnes aduersariorum obiectiones facile eludit; & quidem omnis ista constructio eò spectabat, vt dicta animalia in quatuor oppositas regiones, sine aliqua conuersione pergere possent, semper in faciem, numquam in dorsum volantia, aut progredientia: subdit Propheta,

Et quatuor penna vni. Mirum est quosdam interpretes alas istas sic multiplicasse, vt pro quatuor, sedecim cuique animanti pennas affixerint, quatuor scilicet pro singulis faciebus, cum Vates quatuor tantum vniciuique animanti alas expressè tradat, sed vbi, quomodo & in quem usum istiusmodi pœnæ affixæ fuerint, declarat Ezechiel, sic demum scribe: *& manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, & facies & pennas per quatuor partes habebant.* Hebraica habent *in quadrilateris, & per quadrilatera.* Ex quo constat in eo corpore quadrato vniscuiusque animantis, quod hætenus descripsimus, ex quatuor lateribus æqualiter inter se distantibus alas totidem ab humeris sursum attolli, quæ quidem sic aptatæ erant, vt animal ipsis leuatum, in quatuor oppositas regiones volare posset. Quomodo autem ad omnes prædictos volatus oppositos præfatus numerus alarum satis sit, facile cognoscet, quicumque considerauerit singulas alas ad duos motus inservire posse, quatenus cum aliis duabus, quæ ad duo latera viciniora hinc & inde affigebantur, combinari poterant. Et eadem ratio est de manibus & brachiis quæ sub pennis hærebant, nam singula quoque cum aliis duobus, quæ à lateribus erant, simili modo conuenire, & combinari poterant, & duobus etiam quadrati trunci thoracibus, seu pectoribus vicissim ad agendum auxiliari. Quod facile agnosces, si intelligas tam alarum, quam brachiorum nexus & iuncturas, sic lateribus hinc inde cohæsisse, vt possent in vtramuis partem, ancipiti motu impelli. Quapropter cum animalia in vnã regionem volabant, duas quidem alas explicabant, & duo extendebant brachia; alia verò duo, quæ ad oppositam vergebant plagam, plicata, demissaque cadebant. Ideo infra addit Propheta: *Due penna singularum iungebantur, & due tegebant corpora eorum.* id est, ex quatuor pennis quibus singula animalia prædita erant, duæ quidem extentæ ad volandum conueniebant, & aliæ duæ plicatæ & contractæ corpus tegebant. Reliqua quæ ad alias spectant, dicam infra, cum de situ & loco horum animalium sermo erit.

Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli. Sicut in manibus horum animalium brachia quoque intelligi debere nuper dicebam, ita etiam in pedibus crura & femora, quidquid enim à trunco corporis deorsum erat, pedes vocantur; ideo Septuaginta conuerterunt: *Crura eorum crura recta*; & Symmachus extrema verba sic extulit: *& planta pedis eorum planta rotunda.* hæc enim est vis vocis originalis. Illud in primis difficile in configuratione horum animalium esset, ne bipedia, an quadripedia. Recentiores interpretes bipedia fuisse decernunt, nam ea specie ab ipsis passim deformari videas. Præcipuumque argumentum huius sententiæ sumunt ab illis verbis, *similitudo hominis in eis.* Ex quibus colligunt hæc animalia,

malia (si alas, caput & pedum infimas plantas excipias,) de reliquo figuram humani corporis exhibuisse. Id quoque Sanctius noster firmat, verbis illis : *pedes eorum pedes recti*, quia nimirum solus homo habet figuram rectam super duos pedes surgentem. Ego verò ab his dissentio, & præmissa animantia quadrupedia fuisse puto, idque tribus etiam argumentis conficio. Primum & maximè robustum sumitur ex fine, ad quem istorum animantium forma referebatur : is autem erat motus rectus in quatuor partes, seu regiones oppositas absque vlla conuersione & gyratione corporum, aut throni, quod super capita leuabant. Istos autem motus exequi non potest animal bipes, nam licet binipedes ita vni corpori per iuncturas habiles inhærere possent, vt in duas regiones oppositas, verbi causa, in Orientem, & simul etiam in Occidentem progredi liberum esset, tamen ad latera, id est, ad Aquilonem & Meridiem, sine conuersione corporis, procedere nequaquam valerent : secus verò, si quatuor pedibus instructa efformentur, vt statim dicam. Secundum argumentum sumitur ex nomine. Scriptura enim vocat illa animalia, Hebraicè צִיּוֹת *chaiotb*, quod nomen non nisi quadrupedibus tribui solet, prout ab hominibus auibusque discernuntur, hæc enim solùm bipedia sunt. Et sanè si duobus tantùm pedibus instructa essent, non video cur non potius aut homines, aut aues dici deberent, cum præcipua formæ pars ad species istas pertineret, minor verò ad animalia spectaret. Tertium argumentum sumere licet à figura pedum ; ait enim : *Et planta pedis eorum sicut planta pedis vituli*. Vel, vt Symmachus restituit, planta rotunda, quia dum pedes vituli habere dicuntur, hoc ipso pedum quoque vitulinorum numerus ipsis tribui videtur. Rursus pedes vituli, aut rotundi, si gemini tantùm existant, nequaquam habiles sunt ad corpus sustinendum. Nam vel ideo natura nulli bipedi rotundos attribuit.

Quapropter sic statuo, hæc animalia, quorum corpora quadrata fuisse hæcenus diximus, ex quaternis quadraturæ dictæ lateribus quaternos quoque pedes deorsum habuisse, sicut quaternas alas sursum : quaternos, inquam, pedes, ita cum reliquo trunco cohæretes, & per habiles iuncturas coagmentatos, vt in quatuor oppositas regiones progredi liberè possent. Et quia reliqua animalia quadrupedia, quæ recto & naturali motu, in vnam tantùm partem feruntur versùs eandem partem, vertebrae & commissuras in poplitibus plerumque habent, addit Propheta, hæc animantia, vt non in vnam, sed in quatuor oppositas regiones incedere possent, habuisse quidem pedes, vel *crura recta*, id est, rigida prorsus, nullisque vertebris defecta, more elephantum, non superiores tantùm commissuræ & iuncturæ bene, habiliterque compactæ, ad quatuor dictos motus dicta animalia accommodabant, aptabantque. Propterea etiam præscripta animantia poplitibus caruisse dicuntur, quia ideo, vel maximè natura poplites belluis dedit, vt eos complicantes nonnumquam iacere, & quietem capere possent. his autem quatuor animantibus quietem negat Propheta. Hæc de forma animalium.

Succedant rotæ, de quibus sic ait Propheta : *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram, iuxta animalia, habens quatuor facies, & aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris, & vna similitudo ipsarum quatuor, & aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ*. Ac primum quidem illud exploratum est, Ezechielem non vnam aliquam rotam, cui thronus Dei insisteret, vt aliqui volunt, sed currum vidisse. Ita enim habes Eccles. 49. *Ezechiel qui vidit conspectum gloria, quam ostendit illi in curru Cherubim*. Si autem currus Ezechieli ostensus est, non ergo vnam tantùm rotam vidit. Sed quid est quod ait : *apparuit rota vna super terram* ? Aliqui sentiunt rotam pro curru sumptam, per figuram synecdochis, est enim modus iste loquendi, non insuetus Scripturæ sacræ. Isaïæ 5. *Et rota eius quasi impetus tempestatis*. & Hieremiæ 47. *in multitudine rotarum eius*, id est, in multitudine curruum. Apud alios verò prophanos authores valde solennes, qui rotam & axem passim vsurpant pro curru. Sed licet id oppositum videatur, tamen non acquiesco ; displicet enim tam anceps rotæ acceptio intra vnam clausulam. Quapropter priora illa verba sincerius interpretor, ad hunc modum. *Apparuit rota vna super terram iuxta animalia*. id est, iuxta singula animalia vna rota, atque adeò iuxta quatuor animalia totidem rotæ. Hanc expositionem commendat translatio Hispanica vetus, quæ sic habet : *e n he vna rueda en tierra a la parte de cada vna delas animalias*. Id est, singulæ rotæ iuxta singula animalia vna iuxta vnum. Agnouit, me iudice, interpres hebraïsmum, qui vocem illam עֲרֵב *eched*, id est, vnam, ad animalia quoque trahendam putauit : reli-

quæ verò cum hac interpretatione aptissimè cohærent. Ait enim Propheta: *habens quatuor facies*. id est, quæuis singularis rota habebat facies quatuor. Est qui voluerit illas quatuor facies, quibus singula animalia insignita erant, singulis quoque rotis impressas fuisse, scilicet in vmbilicis duorum stipitum quæ in medio positi duorum circulorum radios excipiebant, seu includebant; quam interpretationem omnino respuo, libentiùs affirmo, ideo quamlibet rotam quatuor faciebus instructam dici, quia ita compacta erat, vt in quatuor oppositas regiones verti posset, absque vlla conuersione, aut gyratione, sicut de animalibus nuper statuimus. Id enim sibi vult, quod statim attexit, & *similitudo ipsarum quatuor & aspectus earum*, id est, omnes quatuor rotæ, erant prorsus adsimiles inter se; singularum verò forma & structura talis erat: & *aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rota.*

De harum rotarum structura alij alia. Prædus per rotam mediam nihil aliud intelligendum putauit, nisi medium stipitem rotundum, à quo ad circulares canthos ducuntur radij; non probo. Sanctius ad celeritatem motus retulit, ex quo fiebat vt duæ rotæ oppositæ alia intra aliam verti viderentur, vel ad maximam similitudinem, quæ tanta (inquit) erat, vt qui vnã viderat, in illa aliam, imò alias tres reliquas prorsus sibi intueri videretur. Sed tamen hæc mihi aliena videntur. Ego germanam rotarum figuram & formam ex fine illo suprâ adscripto metiri oportere existimo; fabrica enim rotarum, sicut animalium eò spectabat, vt in quatuor regiones oppositas, sine aliqua circuitione, aut conuersione moueri possent. Nam de rotis etiam addit Ezechiel. *Per quatuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur cum ambularent.* q. d. in quatuor partes oppositas sine aliqua conuersione vertebantur. Hebraicè, *per quatuor latera, vel per quadrilatera*: hæc autem lectio, nisi fallor, elidit sententiam nostri Marianæ, qui affirmat rotas istas fuisse orbis, aut globos circularibus aliis etiam globosis circulis quasi capsis quibusdam inclusos sine axe medio, quibus insistens currus in regiones oppositas trahi, rapique poterat, similes per omnia illis rotis, quæ addi solent podagricorum subselliis, quæ satis aptè dici possunt rotæ intra rotas; hæc tamen interpretatio mihi non probatur, quia Propheta expressè asserit præscriptas rotas habuisse quatuor latera, in globis autem ac sphaeris perfectis, nec latera, nec angulos discernere licet. Quapropter ego ita reor, quamlibet rotam ex duobus circulis, seu canthis, compactam fuisse, quæ se inuicem ad æquales angulos interfecabant. Sic enim fiebat, vt singulæ rotæ quatuor latera exhiberent, ad quatuor legiones oppositas spectantia, atque adeò, in easdem quatuor legiones sine circuitione volui ac rotari possent. Nam si circuli, vel canthi duo ea ex parte, qua se interfecant, super terram planam incumbunt, habiles manent, & in promptu, vt in quatuor regiones oppositas versantur; nil certius. Sed obiicies quatuor rotas isto modo compactas axem non habuisse, imò pauimentum currus super illas inniti, & incumbere non potuisse, atque adeò ne quidquam currui subiectas. Respondeo prædictas rotas axe caruisse, ideo illas ab spiritu vitæ, qui ipsis inerat, moueri & impelli, non ab axe in illis incluso, affirmat Vates. Deinde aio, pauimentum currus, quod à Propheta appellatur firmamentum, non vtique super rotas, sed super capita animalium incubuisse; sic enim ait: *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis*, &c. atque adeò rotæ huic firmamento nequaquam affixæ, aut coniunctæ erant, si enim more aliarum rotarum axi suo immersæ, & currui reliquo affixæ forent, nequaquam addidisset Propheta tanquam rem nouam & miraculo similem: *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea, & cum eleuantur animalia de terra, eleuantur simul & rotæ, cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant, & cum eleuatis à terra pariter eleuantur, & rotæ sequentes ea, quia spiritus vitæ erat in rotis.* Si enim istæ rotæ cum firmamento, vel pauimento currus affixæ cohærebant, eleuationem & motum earum non equidem spiritui ac vitæ quæ ipsis inerat tribueret Propheta, sed in structuram ipsam conferret. Nam curru ab animantibus in altum sublato, aut ad terram deposito, non poterant non rotæ eleuari, aut demitti. Addit Ezechiel. rotas oculis multis per canthos distinctas, & staturam earumdem horribilem, id est, magnitudinem mirabilem. hanc enim vim habet vox *horribilis*, quam Hispanica translatio sic extulit: *yel su cupuerto era alto am ar auilla.*

Ad rotas etiam accedebat firmamentum; ait enim Vates: *Et similitudo supra capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis.* id est, pauimentum currus, quod

quod supra capita animalium incumbere, erat ex crystallo admirabili: sic enim notauit Hispanus Hebræus, *era de christal admirable*. & super hoc firmamentum, erectus erat thronus, cui affidebat vir quidam, hominis speciem præ se ferens.

Cum singulas huius excelsi ac gloriosi currus partes, earumque formas & figuras hæcenus descripserim, reliquum est vt qualiter ex his omnibus partibus currus coalesceret, & quis singularum & omnium situs esset, breuiter aperiamus. Quatuor igitur animalia, vt dictum est, firmamentum, seu pauimentum currus subiectis capitibus sustinebant, atque adeò locus animalium erat sub quatuor angulis quadrati firmamenti, hic enim locus maximè aptus erat ad illud portandum. Facies animalium vniformiter ad quatuor regiones oppositas erant obuersæ, puta vultus hominis ad Orientem, leonis ad Meridiem, vituli ad Aquilonem, facies aquilæ ad Occidentem. Ea verò interualla, seu interstitia, quæ quatuor animalia versùs quaternas quadrati firmamenti frontes inter se vacua relinquebant, quatuor rotæ occupabant ac replebant. Nam textus habet: *Apparuit rota vna super terram iuxta animalia*. Atqui pro voce illa *iuxta*, in primitiuis subest *בין* at *בין*, quæ passim in Scripturis ponitur pro *inter*; atque adeò sensum esse reor. *Apparuit rota vna inter animalia*, id est, inter duo animalia, visa est vna rota: atque adeò inter quatuor animalia prædicti firmamenti quaterna latera obtinentia, quatuor rotæ (ideo proximè postquam vnã dixerat quatuor commemorat Ezechiel.) Quæ interpretatio mihi ante alias probatur, quia vnã rotam cum pluribus aptius componit. Tam verò animalia, quàm rotæ sic currui aptatæ erant, vt in quatuor plagas oppositas sine aliqua conuersione, aut gyratione moueri possent, modo iam dicto. huc enim tota conformatio & structura currus spectabat.

At inquires, rotis ad eum modum inter animalia locatis non posse explicari illa verba: *Iunctæque erant penna eorum alterius ad alterum*. Et infra, *sub firmamento autem penna eorum, rectæ alterius ad alterum*, quia si inter animalia media erat rota, non poterant certè alarum extrema remigia ab ipsis explicata, sese contingere, id enim sonant præscripta verba. Aliqui graues interpretes mendum suspicantur, atque ita restituendum putant; *iunctæque erant penna eorum, altera ad alteram*; quibus ad stipulatur originalis lectio, quæ si ad verbum efferatur, in priori quidem loco sic habet, & *iunctæ femina ad sororem suam ala eorum*. & in posteriori, & *sub expansione, ala eorum rectæ vnaqueque ad sororem suam*. alas verò sorores vocat, non quidem animalium à lateribus adiacentium pennas, sed illas, quæ iam eodem animante ad volandum in regionem vnã combinabantur, modo iam dicto, atque adeò sensus vtriusque loci talis est: Quoties volandum erat in vnã plagam, duæ alæ sorores, Hispanè, *las dos alas hermanas*, ad volatum conficiendum iungebantur, id est, coibant, conspirabant, & aliæ duæ oppositæ complicatæ corpus tegebant. Hunc sensum reddunt verba septuaginta Interpretum, & *sub firmamento ala eorum extenta, & volantes altera alteri*, id est, vna quidem aliam ad volandum adiuuante, aliis duabus interim ad tegendum corpus complicatis, sic enim attextunt, *vnicique duæ tegentes corpora ipsorum*. Quapropter vulgatam lectionem, quæ habet, *iunctæ erant penna eorum alterius ad alterum*, non ita accipio, quasi duorum animantium sibi adiacentium extrema alarum remigia sese contingerent; id enim rotæ interpositæ vetabant; sed sensus est: cum volandum erat in hanc, vel in illam regionem, alæ vnus animantis cum alterius alis concordēs iungebantur, id est, conueniebant, & conspirabant, ita vt quatuor dicta animantia in eandem plagam pennis conspirantibus volatum regerent. quasi dicat: non explicabat vnus animal alas versùs Orientem, & aliud versùs Meridiem, &c. Sed omnia in eandem partem. nihil enim non conforme & consentiens in illis erat. Hæcenus de figura animalium, de constructione & motu currus ab Ezechiele visi.

De significatione vera & litterali currus Ezechielis.

Circa germanam significationem huius spectri, quod Ezechieli exhibitum est, valde discordes sententiæ sunt. Nam, vt missas faciam plures expositiones Hebræorum, quas colligit D. Hieronymus in cap. 1. *Ezechielis*, inter nouiores interpretes non modicum dissidium est. Sed multis suppressis duas inuenio extremas sententias quas attextam: alij enim sentiunt, iram Dei contra Iudæos ad vindictam expe-

tendam iam iam festinantem sub hoc symbolo ostensam Prophetæ. Alij verò in eo spectro eductionem filiorum Israël ex Ægypto in terram promissam, & futuram templi fabricam cum hoc curru valde cohærentem contemplantur. Alij alia his similia; sed in his omnibus expositionibus, id quod in figuris animantium, formis rotarum & reliqua totius currus structura, præcipuum est, scilicet motus liber & expeditus in quatuor regiones oppositas, vel idonea accommodatione caret, vel profus absque applicatione missum fit.

Quapropter aliorum interpretum nouas commentationes suspicio, illasque suis cultoribus dimitto; antiquorum verò Patrum Hieronymi, Ambrosij, & Gregorij interpretationem libentius amplector, hæc enim non accommodatitia, sed litteralis & germana magis mihi videtur. Ergo præfati Patres translationem regni Christi ex Iudæa ad gentes & commutationem legis cum Euangelio, sub hoc symbolo Ezechieli referatam volunt. Sed obiicies, id alienum esse à reliquo filo Prophetiæ: imò potius maximè conforme existit; nam cum Deus iram suam contra Iudæos conceptam & iustam ultionem, quam ab illis exposcere iam iam parabat in reliqua narratione Vati deuinciet, exponens illi pennas quas populo illi pro ingentibus ipsorum sceleribus proximè illaturus erat inter alia supplicia; illud certè primo loco ponit quod longè maximum erat, scilicet, ablationem regni Dei, & translationem illius ad gentes, quam tandem aliquando Euangelio per totum orbem disseminato fieri oportebat. Itaque Deus optimus maximus significans Prophetæ scelera Israël, & pennas ab eodem exigendas, eam quæ præ cæteris grauior erat hoc symbolo declarat.

Iam vides concordiam duorum curruum, eius scilicet currus nuptialis, quem Salomon describit, in hoc versu, quo sponsa Christi Ecclesia à Iudæa ad gentes, & ad totum latè mundum tanquam ex gynæceo & scæminarum triclinio ad regiam & palatium sponsi traducenda significatur (vt in superioribus explicuimus,) atque currus Ezechielis, in quo thronum, id est, regnum Christi similem admodum ex Iudæa ad quatuor orbis plagas tandem aliquando exportandum denotat Vates. Hæc enim est litteralis & prophetica significatio illius spectri, quæ ex singularum partium accommodata explicatione clariùs elucescit.

In primis motus ille anceps præfati currus, per quem ad quatuor mundi plagas quoquoersum deferri poterat, eam quam diximus dilatationem regni Dei per totam mundi vniuersitatem præclare adsignificat. Sic notauit Ambrosius, verbis illis supra adscriptis. *In quatuor partes rota ibant, & non reuertebantur, quia spiritus vita erat in rotis, qui spiritus currebat in quatuor mundi partes, & sine offensione currebat, &c.* Et Hieronymus ad illa verba, *& facies & pennas per quatuor partes habebant, Euangelia* (inquit) *hæc sunt, mutuo sibi cohærentia, & in totum orbem volitantia.* & Gregorius Magnus homil. 2. in Ezechielem. *Possunt, inquit, in hoc loco quatuor partes mundi accipi, scilicet Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio, quia prædicatio regni Dei ad cunctas mundi partes egressa est.*

De quatuor animalibus alij alia. Ego verò, eorumdem Patrum vestigia premens, iuxta veram & propheticam significationem, quatuor Euangelia in quatuor animalibus adumbrata esse reor; nam eorum prædicatio regnum Dei ex Iudæa exportauit, & ad gentes transmisit legem, vetusque Testamentum cum nouo commutauit, & ad omnes regiones perlata sceptrum Christo per totum latè mundum protendit. Ideo hæc animalia quatuor vultus habebant ad quatuor eiusdem mundi partes rectè inspicientis. Sed quales vultus? Hominis certè, leonis, vituli & aquilæ, quia singulorum Euangeliorum historia, quatuor præcipuas theses describit. Hæc sunt Incarnatio Christi, prædicatio, mors, & quæ morti successit resurrectio, & ascensio. Ergo figura hominis Incarnationem Christi adsignificat, forma leonis eiusdem prædicationem notat, facies vituli immolationem, seu mortem eius exprimit, vultus aquilæ resurrectionem & ascensionem pertendit. Hieronymus ad quatuor dignitates Christi refert, quæ in singula Euangelia splendescunt; hæc sunt humanitas, diuinitas, regnum & sacerdotium. Atqui humanitas per formam hominis, diuinitas per speciem aquilæ, sacerdotium per vituli figuram, & regnum per vultum leonis aptissimè exprimuntur. Denique Gregorius loco citato. Chrysostom. homil. 1. in Marcum, Bonaventura in præmio commentariorum in Euangelia, & alij passim quatuor, prædictas formas, quatuor Euangelistis singula singulis affigunt, nimirum faciem hominis Matthæo, quia ab humana generatione Christi historiam exorditur: formam leonis

Marco, quia à Ioannis in eremo tonantis vocibus auspicatur: vituli speciem Luca, quia ex Zachariæ Sacerdotio initium sumit: Ioanni denique vultum aquilæ, quia velut altè subuolans diuinam Christi originem speculatus est. Sed cur in prædictis animalibus, quæ, vt hætenus diximus, quatuor Euangelistas, vel quatuor Euangelia adumbrant, non vna in singulis, sed quaterna forma ad quatuor regiones versa repletur. Gregorius id ad concordiam Euangeliorum refert. *Quatuor, inquit, facies vni sunt, quia si requiras quid Matthæus de Incarnatione Domini sentiat; hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas & Ioannes; si quæras quid Marcus? hoc quod Matthæus, Ioannes & Lucas; si quæras quid Lucas? hoc quod Ioannes, Marcus & Matthæus; si quæras quid Ioannes? hoc quod Matthæus, Lucas & Marcus sentit. Quatuor ergo facies vni sunt, quia notitia fidei, quæ cognoscitur à Deo, eadem est in vno, quæ est simul in quatuor, eadem simul est in quatuor, quæ est singulariter in vno.*

Rursus horum animalium forma quadrata erat, vt supra probauimus, quod agnatum ab Ambrosio, & de iusta & honesta euangelizantium vita identidem explicatum fuit; sic enim ait: *& sine offensione currebant, quia bonam equorum vitam quadrabat.* Ipsa etiam Euangelica doctrina vndequaue quadrata est, quippe quæ totius honestatis & virtutis quadraturam, id est, perfectionem in se continet. Quomodo autem, & quam ob causam viri honestate & virtute præstantes quadrati dicantur, & ipsa virtutis perfectio quadratura appelletur, aliàs docuimus in nostris commentariis ad Salomonis prouerbia. Illud valde proprium Euangelicæ doctrinæ, quòd sicut quadrata corpora ea Medici vocant, in quibus quatuor humores ad temperiem redacti sunt; atque ad eò optima valetudine vtuntur, sic etiam in doctrina Euangelica omnia dogmata, siue quæ ad morum informationem, siue quæ ad mysteria fidei pertinent, tantam inter se cohærentiam habent, & omnibus virtutibus inter se relatis, cunctisque veritatibus inter se comparatis, quasi in optimo temperamento ita sunt coniugata, vt nihil in ipsis infirmum, nihil non validissimum sit. Nec alienum hoc à figura prædictorum animantium, in quorum quadratura quatuor humorum, quibus corpora constant, temperiem, tum naturalem respectu salutis & incolumitatis naturalis, tum moralem respectu virtutum & honestæ operationis, tum speculatiuam respectu veritatum cognitionis & assensus Hebræi, contemplati sunt, vt notat Hieronymus *in hunc locum.*

Sed quia quadraturam horum animantium speculamur, illud certè in eisdem notatione dignius, quod supra dicebamus; quod nimirum corpus eorum sic erat quadratum, vt ex nulla quadraturæ parte tergum obuenterent, sed quatuor pectora vndequaue ostentarent; illos autem, qui non semper eadem sentiunt, nec satis sibi constantes sunt, *tergiuersari*, hoc est, terga vertere dicimus. quid enim aliud est ea quæ nuper dixeris, paulo post inficiari, nisi faciem priùs, ac subinde terga referre. Id ergo proprium quatuor animalium, ait Propheta, quòd numquam in terga, aut in dorsum ibant, quia in Euangelistarum doctrina, nulla inconstantia, nulla tergiuersatio esse potuit. Id etiam quòd dicta animalia pectora vndequaue offerebant, mysticam significationem continet, nam dorsum vertere detrectantis est, & odium, auersionemque præferentis. Sic Hieremias ex Dei nomine cap. 18. *Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* quæ verba respondent his, quibus cap. 2. populi mores inculcat: *Verterunt ad me tergum, & non faciem, &c.* id est, *insensos mihi sese exhibuerunt, non gratos ac beneuolos.* Optimum ergo symbolum Euangelistæ & Doctoris est, & corpus quadratum dorso carens, & ex omni parte pectus & faciem ostentans, nullum videlicet ex odio, aut displicentia detractans, sed gratum, beneuolumque erga omnes sese præbens. Adde etiam hoc symbolum Euangelicæ doctrinæ præstantiam notari, quæ inimicitias, iras & odia etiam erga hostes repudiat, & (liceat sic dicere) auersionem omnem ignorat, id est, faciem & pectus cunctis offert, & per dorsi conuersionem nullum auertit. Denique absurdum non erit dicere per istam formam quadrati corporis, & pectora vndequaue exhibentis formam, Euangelistarum, Apostolorum & Apostolicorum virorum constantiam & perseuerantiam in gratia & iustitia non obscure notatam, quia in omni peccato lethali, iuxta Augustini doctrinam, reperitur *auersio à Deo, & conuersio ad creaturas*; quatenus is, qui grauius delinquit, ipsi Deo dorsum & terga vertere, creaturis verò faciem offerre videtur. Quia igitur Apostoli in gratia per singularem Dei prouidentiam auxiliis diuinis suffulti, ab incommutabili bono per grauem aliquam culpam, quasi

terga dantes, auerti non poterant; ideo per dicta animantia dorsis carentia aptè significati sunt.

Rursus quatuor facierum vnum tantum caput, collum, & guttur erat, vt supra notabam, vnum, inquam, caput, quia quatuor Euangeliorum vna mens & vna sententia, nam si multis capitibus constarent, tot sententias, quot capita concipere integrum esset. Vnum etiam guttur erat, caput prædictum cum reliquo trunco necens, quia cum voces ex vno pectore, efflato per collum gutturque aère exprimantur, quamuis dicta animalia per singula ora, quibus singulæ facies constabant, singulas voces redderent; eas tamen vnicus diuini Spiritus flatus, quasi per guttur vnicum expressus effingebat. Luculentius dicam, quatuor Euangelistarum dissimiles ac diuersæ voces sunt, quasi per ora diuersa proflata, sed vnus, idemque omnium Spiritus sancti halitus, quia *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.*

Ad hæc quatuor alas, & subter alas totidem manus habere feruntur dicta animantia. D. Gregorius alas ad contemplationem, manus verò ad actionem pertinere dicit, vt vel ex eo constet Euangelicam doctrinam, non purè theoreticam, aut merè speculatiuam esse, sed practicam, & operationi, actionique prorsus addictam; quidquid enim per lucas contemplationis alas assequitur, id certè manibus, hoc est, operibus ipsis carpit ac continet, fidem cum actione coniungens. Id verò quod ait Propheta, prædictas alas ita per vices inseruire, vt duabus ad volandum explicatis, aliæ duæ oppositæ ad corpus tegendum sese demitteret, aptè accommodat Hieronymus. *Quod autem, inquit, duæ penna extenta sunt, & in altum se eleuant, prædicationem celestium significant, & omnia ad Dei tendere maiestatem. Per duas autem, quibus teguntur corpora humana, excluditur scientia, nec perfectus præbetur intuitus, dicente Apostolo; ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Et sanè doctrina Euangelica tunc cum maximè sese velut explicatis alis aperit, retegiturque vt humanarum mentium obturibus pateat, vnde quaque videri, capi, obiri que non potest. Sed plura mysteria quasi duabus item pennis complicatis celat, & acutissimis etiam doctissimorum hominum luminibus eripit. Quomodo autem in explicacione eiusdem doctrinæ sacros expositores versari oporteat, ipsa dictarum pennarum compositio declarat. Nam illud in dictarum alarum configuratione mirabile quòd ita inter se cohærebant, vt singulæ cum aliis duabus, quæ quadrati corporis vicina latera hinc & inde tenebant, per vices ad volandum conuenirent. quod optimum Euangelia explicandi modum, non obscure innuit vnum locum per alium, & media per ea, quæ antecedunt, vel subsequuntur, exponere liceat. Ita enim sapius euenire solet, vt ea loca, quæ difficiliore explicatus habent, cum aliis, quæ ex proximo hærent, collata & composita, faciles expositiones offerant.

Ad pedes ergo dimittamus sermonem: *Pedes eorum, pedes recti*, ait Propheta. Pro quibus Septuaginta interpretes, *crura eorum recta*, id est, *rigida*, poplitibus, ac vertebris carentia, ita vt iacere non possent; nam ideo natura poplites ac vertebrae animantibus dedit, vt his complicatis ad quiescendum decumbere possent. Significat autem Euangelistarum, & Apostolorum labores sine intermissione, aut quiete, ex quibus alter, Paulus scilicet in 2. ad Corinthios 7. cap. labores quos in prædicatione Euangelij susceperat, exaggerans sic fatus est: *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus foris, pugna intus, timores, &c.* & rursus cap. 2. *Cum venissem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset, in Domino non habui requiem spiritui meo, &c.* Erat enim Paulus ex his mysticis animantibus alterum, cui nimirum non natura, sed gratia rigidus adderet pedes, vt quietis & vocationis expers nusquam discumberet, nusquam otia retur, neque itinera susceptosque causa prædicationis labores intermitteret. Elephantibus, quibus rigidas poplitibusque carentes tibiae natura concessit, quia iacere & discumbere non possunt, sed arborum stipitibus incumbere, in hisque satis inquietam & molestam quietem carpere solitos, ferunt. Hoc ipsum de Paulo & aliis etiam Apostolis enunciare licet, qui cum sibi omnem quiescendi, ac feriendi copiam sponte ademissent, non otia, non ferias sectabantur, sed labores ipsos, ærumnas & cruces quietis & intermissionis loco ducebant. Sic enim Paulus ad Galatas 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, &c.* & iterum 2. ad Corinth. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo, &c.*

Ad rigidas tibias horum animalium accedebant pedes rotundi, seu vitulini, quæ eis tunc cum volatum intermiserant telluri insistebant, quod significat Euangelistas, & Euangelicos Doctores non semper sublimiorum mysteriorum auras peruolare, imò sapius ad imam tellurem descendere, vt imperitissimorum hominum captui accommodatam doctrinam impertiri possint. Et quia hanc doctrinam non celerius totam simul rudioribus infundunt, sed (liceat sic dicere) pigrius lentiusque & per partes ipsam tradunt, vt imperitis mentibus melius sedeat. Ideo bouinos, id est, pigros, lentosque pedes his animantibus attribuit Propheta. Vel aliter, ideo dicta animalia hisce pedibus constare feruntur, quia Euangelistas & Euangelicos Doctores ab excelsarum prædicatione rerum ad terram demitti, & ad tuendam temporalem vitam opportuna subsidia inde sumere necessum est, & quia ministros Euangelij de suo ministerio victitare oportet, ideo supra dictos pedes vitulorum plantis adsimiles fuisse Propheta affirmat, vt cum Paulo cohæreat, qui de prædicantium victu loquens 1. ad Corinthios 9. *Quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid, secundum hominem hæc dico, an & lex hæc non dicit? scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti, numquid de bobus cura est Deo, an propter nos utique hæc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.*

Ad hæc Diuus Gregorius per dictos pedes eorumque gressus opera intelligit; sic enim fatur: *Quid per pedes nisi gressus actuum designantur, quia sanctorum Euangelistarum, atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta.* quibus verbis Gregorius prauam intentionem opera detorquentem exclusit. Atqui Septuaginta, pedibus alas addiderunt, nam illa verba: *Et planta pedis eorum sicut planta pedis vituli,* sic extulerunt, & *pennati pedes eorum,* vt nimirum eos pedes, id est, opera prædicantium, quos praua intentio non detorquet, per binam intentionem, non modò rectos effici, sed etiam ad cœlestia quasi additis pennis, leuari ostenderent. Sed mirabilis prorsus pugnantium rerum concordia, pedes bouini, atque adeò pigri & lenti, & alæ perniciosissime volantes iisdem pedibus affixæ ab Ezechiele conferuntur, & sanè multum simulacrum aptius excogitare poterat ad illam sententiam symbolicè adumbrandam, *Festina lente.* quod omni homini honestè operanti egregiè accommodatur. Adde Hieronymum, qui de hisce pedibus sic demum attextit: *Quod pedes (inquit) animantium, recti esse dicantur, & planta pedis vituli, seu rotunda terrena quæque ad cœlestia subuolare docet, & omnibus angulis amputatis rotunditatem sequi, quæ omnium figurarum pulcherrima est.* qui omnes huius loci lectiones paucis complexus vtile in anagogiam expressit.

Sed à pedibus animalium ad rotas excurramus, de quarum fabrica, & configuratione supra diximus. Sicut ergo animalia, currum gloriæ ac regni Dei in quatuor mundi regiones sine aliqua gyratione, aut conuersione trahentes Euangelistas & viros Euangelicos ad significant, Christi fidem doctrinam & regnum ex Iudæa ad gentes exportantes, & ad totum latum orbem inferentes; sic etiam rotæ illæ quatuor quæ ad quatuor etiam orbis plagas sponte & sine gyris volui poterant, sacram Scripturam notant, sic Hieronymus & Gregorius *locis citatis*, quamuis accommodationem singularum partium alius aliter pangat: Gregorius vnâ tantum rotam agnoscere videtur quatuor faciebus præditam, & in his quatuor faciebus totidem sacræ Scripturæ principales partes contemplatur, in veteri quidem Testamento duas, Legem scilicet, atque Prophetas: in nouo item duas, Euangelia nimirum, & Apostolorum scripta: Hieronymus verò quatuor rotas recepit (cuius expositionem nuper alteri præferebam.) Per istas verò quatuor rotas non totam Scripturam, nouam scilicet, ac veterem adumbratam reor, quia nouum Testamentum in quatuor animalibus delineatur, id est, in quatuor Euangelistis, ad quos alia Apostolorum scripta referuntur. Quapropter rotæ quatuor, vel quatuor maiores Prophetas notant, ad quos etiam minores alios reuocare licet, vel, quod satis puto, ipsius veteris Testamenti quatuor partes nobiliores designant: hæc sunt Pentateuchus, qui aliàs legis nomine censerit solet, libri historiales, quique sapientiales vocantur, & Prophetarum scripta. ista enim est maximè celebris veteris paginæ partitio.

Ac primùm quidem id quod prædictis rotis cum quatuor animalibus commune erat, scilicet in quatuor oppositas regiones volui, communem etiam cum motu eorumdem

rumdem quatuor animalium significationem fortitur. Nam antiquarum Scripturarum, sicut etiam Euangeliorum, ex Hebræis ad gentes, & ex Iudæa in quatuor mundi partes translationem aptè designat. Audi Gregorium in vna rota hoc ipsum contemplante & eadem de quatuor rotis enunciata æstima. sic enim habet: *Vnde rota eadem que iuxta animalia apparuit, quatuor facies habere describitur, quia Scriptura sacra per gratiam prædicationis extensa, in quatuor mundi partes innotuit. Vnde & rota eadem vna prius iuxta animalia apparuisse, & postmodum quatuor facies habuisse describitur, quia nisi lex Euangelio concordaret, in quatuor mundi partibus non innotesceret.* Ideo rotæ animalium tam gressum cum per terram ferebantur, quàm volarum, cum à terra eleuabantur in omnes regiones, æmula quadam imitatione confectabantur, quia veteris Testamenti denunciatio ad gentes per Euangelistas & Euangelicos viros effecta, ipsius Euangelij notitiam insecuta est. Alia verò, quæ de forma rotarum scripta à Propheta, huic sententiæ sponsi subferuiunt.

Et aspectus earum, & opera quasi sic rota in medio rotæ, id est, erant duæ rotæ, vna inter aliam, quæ se ad æquales angulos interfecabant, vt scilicet expeditæ, & sine conuersione, in quatuor regiones oppositas voluerentur. Ergo per rotam in medio rotæ nouum Testamentum in veteri tanquam in vmbra & figura inclusum notari, Gregorij, Hieronymi & aliorum sententia fert. Non reluctor, sed addo præmissam rotarum configurationem quatenus ad id potissimum referebatur, vt dicto modo ad quatuor mundi regiones oppositas verti possent, eam quam diximus veteris Testamenti denunciationem genibus factam, cum primis, iuxta litteralem sensum notare. Sed tamen illud etiam non inconcinnè dici posse; ideo singulas rotas ex duobus inter se confertis orbibus conformatam, quia quælibet dictarum partium, quibus vetus Testamentum constat, geminum sensum spiritualem & litteralem coërcet. Spiritus verò sensus veteris Testamenti ab Euangelio & per Euangelium expressus est, imò ipsissimum Euangelium est.

Sed quid quòd singulæ rotæ quaternas facies habere feruntur, si cum his sentiamus, qui earumdem rotarum umbilicis, ex quibus radij ad canthos, seu circulos deducebantur, quatuor vultus animalium versùs quatuor regiones expressos dicunt, mirabilem Euangelistarum cum Prophetis concordiam designatam dicemus. Nam sicut ex eo quòd quatuor animantium facies in singulis quater repetitæ erant, ipsorum Euangelistarum inter se summam consensionem significatam, vt cum Gregorio nuper dicebam, ita etiam ex eo quòd eidem quaterni animantium vultus in rotis quoque singulis insigniti forent, Euangelistarum cum Prophetis incredibilem concordiam, symbolicè adumbratam affirmare licet. Sed tamen veriore interpretationem quatuor facierum, quibus rotæ præditæ dicuntur, suprâ exhibuimus.

Rursus harum rotarum canthos oculos fuisse docet Vates, & iterum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum quatuor, &c. Hoc verò ad præuisiones Prophetarum spectat, nam vetus Testamentum ad futura totum, velut ex longinquo coniectis oculis respiciebat, id enim est, oculorum maximè proprium disiuncta tueri, & quæ longiùs distant speculari. Denique addit Propheta prædictas rotas non esse emortuas vitæ expertes, sed ab spiritu Dei inanimari, & vitales reddi, quia sacra Scriptura Spiritus sancti afflatu concepta est, & in eo ab aliis distat Scripturis, quòd illæ spiritu carent, atque ad eò auribus tantùm externis insonant, nec ad cor, animumque peruadunt; at Scripturæ sacræ verba spiritum continent, & per aures in animum influunt, & quasi vitam ipsimet vitæ inspirantia, ad honestas quasque operationes obeundas permouent & impellunt. Sed tamen alia succurrit accommodatior ratio, ob quam rotæ animatæ dicuntur, ea nimirum, quam suprâ adscripsimus, quia videlicet dictæ rotæ non more aliarum curru adstrictæ ab animantibus impulsæ trahebantur, vel (si fas est ita loqui) per accidens mouebantur. Sed ipsæmet sponte post animalia ibant ac vertebantur, vt eo symbolo significaretur Testamentum vetus ad Euangelij dogmata conformanda & roboranda, non vtique per vim trahi & euocari, sed spontanea quadam sequela vtrò accedere & conuenire ab spiritu Dei, qui vitam, animamque ipsi donat, impulsus. Tanta enim vtriusque Testamenti consensio non temerè, non à casu, non ex accidenti, sed summo consilio & Spiritus ditini afflatu perfecta est.

Hinc autem petitur ratio, propter quam tam animalia, quàm rotæ non conuertebantur cum ambularent, id est, nequaquam in gyros vertebantur, sed rectè semper

in anteriorem partem ibant, quia scilicet Scriptura sacra non est detorquenda, & ad sensus coactos & violentos deflectenda; sed iuxta eam sententiam, quam Spiritus sanctus intendit, directè intelligenda & exponenda est. Vel aliter *conuersio* mutationem significat. Qui enim sententiam mutat, & quod semel dixit, indictum, aut quod fecit infectum cupit, is quidem reuertenti & gyrum conficienti similis est. Ideo ergo tam rotæ, quàm animalia nec reuerti, sed in faciem tendere ac moueri semper dicuntur, quia Euangelistarum & Prophetarum sensus & doctrina, nec mutationi, nec conuersioni subest, sed constantiam & firmitatem omnimodam fortitur. Huc spectauit Gregorius cum de veteri Testamento sub figura rotarum ait: *Bene ergo dicitur quòd rotæ euntes ibant, & non reuertebantur cum ambularent, quia nouum Testamentum non rescinditur dum vetus spiritualiter intelligitur, post se non redeunt, quia vsque ad finem mundi immutabilia persistunt; ambulant ergo, sed non reuertuntur, quia sic spiritualiter ad cor nostrum veniunt, ut eorum præcepta, vel studia ulterius non mutantur.* Nec discors est Hieronymus, qui sic ait: *Non reuertebantur cum incederent, hoc vtriusque Scripturæ indicat Sacramentum, quòd in quatuor istis animantibus, & totidem rotis lex & Euangelium ad futura festinent, & numquam retro motum accipiant.*

Ad hæc istius currus, perquam gloriosi, pauimentum erat thronus Dei illi impositus, non rotis innixus, vel adstrictus, sed animantium capitibus incumbens, vt supra dicebam, id est, super capita sublatum in omnem regionem portabatur: quia nimirum, regnum ac notitiam veri Dei, non veteris Testamenti rotæ, non Prophetæ, non alij scriptores sacri antiqui, sed Euangelistæ ipsi & viri Euangelici ex Iudæa ad reliquas orbis plagas transfulerunt. Erat ergo (nisi fallor) thronus iste Dei sella gestatoria, & currus simul, nam quatenus rotas subiectas habebat, currum imitabatur; quatenus verò non rotis, sed capitibus animalium impositum vectabatur, feretrum referebat, non enim insolens fuit apud veteres feretra & gestatorias sellas portitorum, seu calorum capitibus impositas deuehere. (Adde Lipsium in *Electis*.) Significat autem Euangelistas & viros Euangelicos capita sua, id est, mentes omnes, videlicet rationes, consilia & cogitationes suas, ei quo secundum fidem est doctrinæ subiicere intellectum suum in obsequium eiusdem captiuantis, atque adeò illam veluti super capita sublatam gestantes.

Super firmamentum, seu pauimentum dicti feretri insidebat, simulacrum illud filij hominis, non alium, nisi Christum Dominum adumbrans, sed qualis erat ipfius functio? D. Hieronymus sententiam aliquorum commemorat, qui filium hominis throno insidentem pro auriga fuisse dicunt, ad animalia in hanc, aut in illam plagam regenda. Sic enim ait: *hanc igitur quadrigam in aurigæ modum Deus regit, & incompositis currentem gradibus refrenat, docilemque facit, & suo parere cogit imperio.* Hæc ille ad quartam expositionem earum, quas in commentario Ezechielis recensit, iuxta quam per quatuor animalia totidem animæ vires & facultates intelligi affirmat. Sed non assentior; nam vices aurigæ omnino supplebat Spiritus Dei, qui impetu suo, siue rotas, siue animalia, in omnem regionem impellebat. Sic enim habes: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, &c.* Quapropter filium hominis non alterius nisi Regis throno assidentis speciem retulisse puto, atque thronum, siue regnum suum aliò transferentis, id est, ex Iudæa ad gentes, & ad omnem latè mundum traducentis; hic enim est totius visionis scopus, atque adeò vna eademque est Ezechielis in eo capite & Salomonis in hoc versu mens & sententia. Nam quod Ezechiel per exportationem throni Regis ab vno loco in alium, hoc ipsum Salomon per translationem sponsæ à gynæceo in palatum exprimere & adumbrare voluit, scilicet translationem Ecclesiæ ex Iudæa ad gentes, quam translationem Ezechiel proponit Iudæis tanquam supplicium Iudaici populi, Salomon verò tanquam beneficium gentibus collatum.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

PRæterea quæ hætenus seruiimus, alia non pauca ad sensum Propheticum spectantia miscuerunt Patres. Chaldæus hanc prophetiam de veteri Iudæorum Ecclesia, hoc est, de Synagoga de more exposuit, ad hunc modum: *Quando egressi sunt filij Israël de Ægypto, sequuti sunt Pharaon & exercitus eius post eos in curribus & equitibus, & erat via clausa eis à quatuor partibus, à dextris, & à sinistris erant deserta plena*

plena serpentibus ignitis, & post tergum eorum erat Pharaon impius, & exercitus eorum, & ante eos erat mare carectosum. Quid fecit ille sanctus & benedictus? reuelatus est in virtute potentia sua super mare. eum suffocatus est Pharaon & exercitus eius, & currus & equites, & equi eius: & similiter perisset Israël, nisi Moyses extendisset manus suas in oratione coram Domino, & auertisset iram Domini ab ipsis, & aperuerunt ipsi generationes illius os suum, & dixerunt canticum, & transferunt in medio maris carectosi, per siccum, per meritum Abraham & Isaac & Iacob dilectorum Domini. Hæc Chaldæus, quæ nescius alienus à fide sit, per similitudinem ad nouam Christi Ecclesiam transferri debent, iuxta commentationes Patrum, quas iam iam subiicio. Cum Paraphraсте concinunt Rabinorum proceres. In his Rabbi Salomon cum sic transtulisset: *ad equitatum meum in curru Pharaonis silentium imposui tibi socia mea*. Sic demum infit: *Ego collegi exercitus meos, & equitatum meum, contra currus & equites Pharaonis, ad seruandum te, & ibi conticescere feci clamorem tuum, iuxta illud, Dominus pugnabit, & vos silebitis*. Quasi dicat: tunc cum vos silentes & minimè repugnantes per sicci maris semitas gressus regebatis, ego quidem aduersus equites & currus Pharaonis, alium copiosorem ac fortiozem equitatum mouebam, vt vos tutos redderem, & eiusdem Pharaonis copias marinis verticibus obruerem. Alius etiam Hebræorum magister lectionem illam, *Silentium imposui tibi socia mea*, de oratione interpretatur, hoc modo, id est, te clamantem, & preces ad me fundentem exaudiui, & opportunè occurrens clamores tuos oppressi.

Cæterum si hæc translatio non reiiciatur, dicerem sanè in his verbis iuxta litteræ sonum, ad ritum quendam nuptialem, ad cursum supra in Isagoge cap. 4. & infra etiam cap. 2. vers. 14. non perfunctoriè dicam ad illasmet: *Vox tua in auribus meis*, &c. scilicet sponsam in prima nocte, à vespera translationis suæ ad vsque tempus matutinum secundæ diei nuptialis, nullum verbum cum sponso confere, sed ipso etiam rogante filere ac verba premere solitam. adi præscripta loca. Hunc ergo ritum, vt fas est credere, respiciens sponsus ait: *ad equitatum meum in curru Pharaonis silentium imposui tibi socia mea*; id est, ex quo nuptialem currum me iubente & suadente ad meas ædes ventura incendisti, files prorsus, ac nihil sermonis ad me facis. Quod silentium de taciturnitate Ecclesiæ, id est, Apostolorum ante aduentum Spiritus sancti, ex quo Euangelij prædicationem inchoarunt, explicabimus dicto loco.

Denique Abenezrha de exitu plebis Israël ex Ægypto concipit prædicta verba, quæ nimirum commodatos currus & alia vasa ex Ægyptiis accipiens de nocte, vt consuetudo nubentium ferebat, ex Rhamata in desertum abducta est. Quæ interpretatio concinit cum expositione quam in sono allegoriæ septimo loco dedi, & expendi, & per similitudinem ad Ecclesiæ nuptias cum Christo transferenda est, vt ibidem notauit.

Origenes in homil. 2. ex quatuor, de Ecclesiâ interpretatur, ad hunc modum: *Equitatu meo in curribus Pharaonis similem te arbitratus sum proxima mea*. id est, Ecclesiâ, quæ olim erat similis equis & curribus Pharaonis; quia scilicet omnes animæ, quas continebat, à diabolo tanquam ab auriga agebantur & ducebantur, contra seruos Dei. *Certum enim est*, ait Origenes, *quia tentationes & tribulationes, quas excitant demones, sanctis per aliquas animas excitant, ad hoc ipsum aptas & conuenientes*. Iam inde postea in equitatum meum conuersa est. Sed qualis sit equitatus Dei, & qualis currus illius, colligit Origenes ex 4. Regum 6. vbi de Elisæo sic scribitur: *Et aperuit Dominus oculos eius, & vidit, & ecce mons plenus erat equitibus & currus ignei in circuitu Elisæi*. & ex Abacuc 3. *qui ascendens super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio*. & ex Apocalypsis 6. *Et vidit cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & exercitus eius erat in cælo, & sequebatur eum in equis albis, induti byssino albo puro*. In his enim locis repræsentatus est equitatus & quadrigæ Dei, cui Ecclesiâ adsimulatam putat Origenes, quasi dicat: *Equitatu meo qui fuit antè in curribus Pharaonis*, (verba sunt dicti Autoris) *& nunc sequitur me in equis albis, purificatus in lauacro aquæ, similem te arbitror proxima mea*. *Beate ergo sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curruauerunt, vt recipiant sessorem verbum Dei super se, & fræna eius patiuntur, vt quocumque ipse voluerit flectat eas, & agat eas habentis præceptorum suorum, quia non iam propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur voluntate sessoris*. Proxima autem dicitur Ecclesiâ, quæ ex multis congregatur animabus, illis scilicet, quæ prius fuerant sub iugo Pharaonis, & modo equitatus Domini appellantur. Eadem distributione temporum

vi sunt Honorius & D. Thomas, qui hinc hæc verba non de omni Ecclesia, sed de cœtu prædestinatorum, & de discretionem ipsorum à reprobis intelligunt, hoc modo: *Cum adhuc (inquiunt) operibus demoniacis inferuires, ego te equitatu meo adsimilavi, quia attendi quod per prædestinationem in te fecerim, & equis Dei te comparavi, quia habet equos Deus, sed multos videt adhuc esse equos Pharaonis, & quia considerat occulto iudicio, occulta prædestinatione ad bonum esse commutandos, similes illos attendit, iam equis suis, quia videt illos ad currum suum ducendos, qui prius in curribus Pharaonis deseruiebant.* lege ibi plura.

Cum Origene & aliis concinit Philo Carpathius, qui Ecclesiam comparatam voluit equis Dei, tum etiam curribus Pharaonis tunc similis erat, cum in cultu idololatriæ miserrimè vertebatur, usque dum eius mores nefandi stultissima instituta, & impios ritus, qui erant misera illius vite peiores, veluti rota, perinde in salutiferi baptismatis undis obruta fracta & dissipata sunt, sicut currus Pharaonis in mari rubro olim demersi fuerunt. Postea verò equis Dei similes effecta fuit, propter Apostolos & iustos, qui ob id equi appellantur, quòd velociter in stadio pietatis suæ cursum bene beatèque viuendo & prædicando confecerint. Existimo autem dictum Philonem, imò & Origenem de præfatis equis sic apud se statuisse, vt qui prius in curribus Pharaonis, ad onera trahenda adstricti erant, à iugo liberati & soluti, non iam currus agerent, sed quod liberale, ac generosum magis est, fessorem exciperent. Hinc autem emicat disparitas maxima inter peccatores & iustos, nam illi grauissimo feruitutis iugo alligati, suorum delictorum onera super inconstantia, & morum consuetudinumque prauarum rotas illiberaliter trahunt, his verò quod speciosissimum ac decentissimum est, Rex, hoc est, Christus siue ad pompam, siue ad cursum, siue ad bellum honestissimè inscendit. Adde etiam Iustum Orgelitanum, qui per dictos equos, Apostolos & Euangelistas intelligit, & sententiam per comparisonem extulit, hoc modo: *Sicut Pharaon, id est, princeps huius mundi falsis Prophetis tanquam elatis curribus usus est, ad perniciem: ita ego mea sapientia repletus Apostolis usus sum ad salutem.*

Ambrosius in his equis, primùm quidem totam Ecclesiam, deinde Apostolos contemplatur. Quos propterea cum Pharaonis equis collatos dicit, quia Ægyptiorum Regis eximios valde equos alebant. De Ecclesia autem sic scribit. *Sicut equi iuncti concorditer trahunt currum, & patienter suscipiunt iugum, & portant congrua cum gratia, & iugi illius susceptione mansuescunt; sic & congregatio ex gentibus indomita moribus se ante iactabat; ubi verò suscepit iugum, dicens: Tollite iugum meum, &c. capit sponsa Christi concordia esse sublimis, &c.* de Apostolis verò paulo post sic attexit: *O bonorum equorum duodecim iugum mirabile, quibus frena pacis, habena sunt charitatis, constricti inter se concordia, vinculis & iugo fidei subiecti, quatuor rotis Euangelij mysterium totius orbis finibus inuehentes bonum aurigam, portantes Dei Verbum, cuius flagello fugata sunt illecebra seculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum est cursus impletus.* Hæc Ambrosius in Psalm. 118. sermone 2. Alia verò, quæ de Ezechielis curru subnectit, habes supra in expositione prophetica, id est, humanitati assumptæ.

Theodoretus item cum legisset: *Equa mea in curribus Pharaonis, &c.* hunc sensum effinxit: *Cum sis vna & sola equa mea ad debellandum vniuersum equitatum Pharaonis.* Accinunt tres Patres apud Theodoretum, qui similem ad modum per equitatum, vel equos, Apostolos intelligit, per currus Pharaonis gentium populos ad fidem adductos, & Apostolicam vitam insequentes; quia verò suam sponsam, id est, Ecclesiam amoris stimulo, seu calcari percitam, & ad se currere festinantem vidit, equæ aëripedi similem esse dixit; de agmine verò Angelico, cui similis perhibetur sic addit: *Quòd si queras, cur equitatu sponsus Angelorum ordinem comparet, facilis erit responsio, quia bellum gerit, si cum sagittario pugnandum est, arcum & sagittas parat: si pedes cum pedite galeam & hastam sumit, si equus cum equite, Imperator cum Imperatore congregitur, quasi dicat: Angelicus iste ordo cum Pharaone, hoc est, cum Dæmonum principe & Imperatore inequitante pugnaturus, currum quoque ascendit, & Imperatorem agit.*

Rursus, in altera interpretatione, aliter sensum conformat Theodoretus: *Equa mea in curribus Pharaonis, &c. equa, inquam, mea, te similem æstimo, qua vtens demersi, atque obrui Pharaonem intelligibilem, & currus eius, scilicet Diabolum, & eos, qui ipsum insequuntur.* Itaque Ecclesiam humanitati suæ adsimilem esse dicit, quam

quam contra Diabolum produxit non solam, sed diuinitati veluti alteri eque compari sociatam. Sic enim exponit illud, *equa mea*, id est, equæ compari, nam ita subdit *huic equa te similem iudico, quam mihi charitatis vinculo & necessitudine propinquam asserui: formam autem serui quasi currum quendam adhibuit, cum ea indutus exinaniuit semetipsum*; ideo verò per currum formam serui intelligit, quia currus iugi adminiculo trahitur. Iugum verò, seruitutis symbolum est, nam vt militaris forma congrueret per istam diuinitatis, humanitatisque bigam, currus Pharaonis, id est, Diaboli copias debellatas fuisse dicit. Aliquid etiam non dissimile ferit Origenes *homil. 2. ex quatuor*, in fine commentarij. *Et fortassis, ait, videbitur secundum hoc quod ex multis animabus congregata est Ecclesia, & exemplum vitæ accipit à Christo, non ab ipsa deitate Verbi, qua utique supereminet eos actus, vel affectus, qui ad exemplum dari hominibus debeant, sed ab illa anima quæ assumpta fuit ab eo, in qua erat summa perfectio, illa utique ad exemplum posita sit, cum ait, equa mea.* id est, animæ meæ, quæ cum diuinitate, tanquam equa iugalis, coniuncta est. Hæc enim esse videtur mens Origenis, cuius similitudinem habere debet Ecclesia ex multis animabus congregata, quæ prius erat sub iugo Pharaonis, &c.

Apponius hæc verba secundum vulgatam lectionem pendens, illum equitatum, cui similis sponsa, id est, Ecclesia asseritur, Angelos simul & Apostolos intelligit: *Equi, ait, mihi videntur virtutes esse Angeli, & in quibus ante Incarnationem Domini vehebatur Spiritus sanctus, quibus equis sociati intelliguntur Apostoli simul, & illi, qui succedunt in eorum locum, vel ordinem, qui sedentem super te, portant Deum in corpore suo, &c.*

Currus verò Pharaonis, quos ab eo equitatu expugnatos dicit, dæmonum exercitum intelligit, qui super impios Reges, vel Philosophos, magicarumque artium Doctores equitabant, & de singulis secundum virium qualitatem, currus, equos, vel arma fecerunt. Rursus Domini humanitatem in cruce, tanquam in geniali curru euectam contemplatur, atque dæmonis copias equos & currus vnde euertentem. Sed quas copias? *In hoc, inquit, pralio tam funesto, videntur mihi principes Sacerdotum equorum, & currum vices egisse, qui primi in tanto scelere cucurrerunt, & post se omnium crudelium turbam pro curru traxerunt, de quibus currum fabricasse probatur aëreus Pharao Diabulus, in quo curru cariosum, fragilem temonem Iudam aptauit, &c.* Ad extremum recedit in expositionem Origenes supra datam.

Beda, Isidorus & Diuus Thomas sponsam cum agmine filiorum Israël qui Pharaone demerso ad littus rubri maris euasit, collatam sentiunt. Sed diuerso lepore. Isidorus, *sicut priorem populum de Ægypto liberaui timore, sic te Ecclesia, si in me confideris, liberabo inanimibus minis.* Quasi dicat: sicut Israëlitas liberaui, iratum faciens timorem illorum, ita etiam Ecclesiam libertati reddam, persecutorum minas inanes reddens. Beda semel quidem sic ait: *Exercitum filiorum Israël equitatum inde vocat, quia sicut equitatu auriga praesidere solet, ita tunc ei populo regendo Dominus praesuit, cui equitatu Ecclesiam suam comparauit, quam per aquam regenerationis quasi per mare rubrum sibi fecit amicam.* Eadem fermè contulit Diuus Thomas, eadem Anselmus, nec disparia Honorius. Vtteriùs etiam Beda, quia (vt in cortice dicebam) translatio sponsæ in domum sponsi, de qua hîc sermo est, de nocte fiebat, prælati facibus & lampadibus, & simile quidpiam cum plebe Israëlita actum est, quam Deus quoque nocturno tempore ex Ægypto extraxit, & columnæ ardentis illustratione reduxit, id utique Ecclesiæ ab sponso suo Christo longè meliùs impensum ait Beda. *Nam in hoc quod Dei plebem tunc columna ignis illustrabat, Ægyptias verò turmas densissimè obscurabant tenebra, in huius sæculi nocte semper agitur, cum superna dispensatio probos à reprobis certa ratione secernens, hos sua gratia irradiat, illos in sua cecitate relinquit.* Denique summersionem Pharaonis & euasionem filiorum Israël ex marinis aquis de morte cum lepore explicuit Beda. *Sed hoc etiam quod filij Israël diuiso gurgite liberantur, Ægyptijs autem reuersis aquis sommerguntur, non ne manifestum est quod ipsa mortis vnda, qua cunctis ocurso est mortalibus, rapiat prauos ad interitum, pijs autem iter ad salutem reseret.*

E X P O S I T I O M Y S T I C A
de Anima.

PLURES interpretationes ad sonum Allegoriæ suprâ dedi, quas per mysticas expositiones animæ accommodare pronum est; duas autem, quas ibi reliquis tacite præferendas dixi, ad mysticum sensum vocabo; aliam verò accommodatorem lectori permittam. Prior est translationis vulgatæ: *Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea*, id est, non aliter te curru euectam geniali à domo parētum, seu gynæceo, vi quadam raptam in palatium meum perferam, quàm solent duces magni in curribus Ægyptiis sublimes ferri. In qua traductione animæ denuò resipiscētis à carnali conuersatione ad spiritualem translatio præclarè adumbratur, per quam illa anima, quæ olim secundum carnem agebat, vbi Christo tradita est, ad spiritualem & liberam viuendi rationem transit. Quantum verò carnalis ab spirituali vita distet, eleganter explicat Paulus, ad Roman. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant, lex enim spiritus vita in Christo liberauit me à lege peccati & mortis.* Et infra: *Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum; qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt, nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita & pax: qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Et sanè hæc est prima lex nuptiarum cum Christo, vt anima quæ ipsi per gratiam & charitatem iungitur, sicut vxor ab ædibus parentum in sponsi domum, sic ipsa à carnali conuersatione ad spiritualem migrat, vt non amplius secundum carnem ambulet, sed secundum spiritum. Nec ea, quæ secundum carnem sunt, sapiat, sed ea, quæ sunt secundum spiritum, sentiat, nec prudentiam carnis sectetur, quæ mortem adducit, sed prudentiam spiritus sequatur, quæ vitam & pacem confert.

Sed vide huius migrationis cum sponsalitia translatione concordiam. Traducebatur quidem sponsa, non pedes, sed curru eleganti euecta, anima quoque non suis viribus, sed diuinæ gratiæ auxilio tanquam curru quodam subleuata, à carnali ad spiritualem vitam exportatur: noli ergo difficultatem dictæ migrationis causari, de hac enim Dei gratia sub sapientiæ interioris inspirantis nomine dictum est illud Prouerbiorum 4. *Arripe illam, & exaltabit te*; vel, vt ex primitiuis suprâ eliciebam, *supra currum imponet te*; id est, non peditem & laborantem ad ea, quæ probitatis & honestatis sunt, adducet te. Sed curru exceptam, & quadrigis vectam absque labore & difficultate; sicut Cyrillus Alexand. contemplatus est ad verba illa Isaïæ: *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domini in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in carrucis, &c.* quæ sic expendit: *facillimam autem fore ac leuem, sine omni sudore, industria & labore gentium, ad Deum reuersionem, declarat aperte, velut exemplo à nobis sumpto, cum dixit, adducendas esse cum equis & curribus & lecticis & umbraculis. Nam, vt illi, qui his rebus iter suum conficiunt, nullo labore expediunt; sic illi via plana & trita venient vecti, & Deo eos omnis requietis genere dignante.*

Sed qualis currus, & quales item quadrigæ, quibus animæ à vita carnali ad spiritualem, & à vitio ad honestatem perferuntur? eorum structuram nobis donat Apponius hic: *In his (inquit) curribus rota sunt voluntas & rationalis sensus, id est, voluntas & intellectus, hæc enim cum à Deo afflata sunt, facilem ac leuem veluti supra rotas, arduum alioquin ac difficilem ad honestatem motum reddunt.* Subdit, *temones agens, officium per quos aut Pharaonis, aut Christi, vnusquisque efficitur currus; officium autem vocat exercitationem cuiuscumque, quam temonis locū tenere dicit ad currum mysticum trahendum, at textit: & quàm sunt splendidi isti currus vera conscientie auro obiecti, quàm resurgentes in omni sancta conuersatione; tales enim esse oportebat nuptiales currus.* Rursus prædictorum curruum spiritualium axes, nobis offert Salomon Prouerb. 3. vbi de sapientia sic fatetur: *Via eius via pulchra, & semita illius pacifica:* atqui extrema verba sic extulit lectio scholastica: *& axes, vel axones eius pax;* id est, tranquillitas animi interior, hæc enim voluntatem & intellectum duas, scilicet rotas axis in modum excipit, & ad omnes virtutis motus labiles atque expeditas efficit.

Quid plura? Dictis quoque curribus equos alligauit Apponius, non alios quidem, nisi exemplum & doctrinam Apostolorum, & eorum, qui Apostolicam vitam agunt, ex quibus bigam componit. *A potentibus (inquit) & mansuetis equis, nempe à vita exemplo, & sana doctrina, trahuntur per iusticia campos.*

Sed quia supra in prophetica expositione currus istius à Salomone descripti, & eius, quem Ezechiel *cap. 1.* ad Dei gloriam portandam depinxit, quod attinet ad prophetiam de Ecclesia, non dissimilem sensum expressimus, ita etiam quod ad mysterium pertinet, haud disparem interpretationem de anima, conformari posse dicimus. Quapropter multa ex his, quæ ibi de Ecclesia tradidimus, ad animam conuertere integrum est. Sed id maximè, quod Hieronymus in commentario Ezechielis ferit, ubi ex quatuor animi facultatibus, seu viribus internis quadrigam componit, quæ à Deo gubernata, animum ad honestatem & iustitiam velocissimè rapit, hæc sunt rationales, concupiscibiles, irascibiles, & ea, quam appellant synderesim, quas mysticorum animalium quatuor vultibus ad amissim respondere affirmat: nimirum rationalem homini, irascibilem leoni, concupiscibilem vitulo, synderesim aquilæ, & de his ita demum sic scribit: *Hanc igitur quadrigam in auriga modum Deus regit, & in compositis currentem gradibus refrenat, docilemque facit, & suo parere cogit imperio.* Nihil vltius desiderandum in mystico ac sponsalicio curru, quo anima pietatem inchoans, ex mundana & carnali ad eam, quæ supra mundum est, spiritalem & deiformem vitam portatur. Habemus enim rotas, axem, temonem, vehiculum, bigam quoque, & quadrigam, omnia quidem & ad traductionem dictam perficiendam nata.

Sed quia ista sponsi traductio, per simulationem violentiæ fiebat, itavt raptum imitaretur, id quoque ad mysticum sensum spectat; significat enim naturam, non omnino sponte diuinæ gratiæ motum insequi, sed à vita mundana & carnali conuersationem, velut illata vi, rapi & abduci; hanc vim, quam naturæ affert gratia, significauit Christus *Ioan. 6.* cum ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* & iterum *cap. 12.* *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* quod ad rem nuptialem non sine lepôre licet referre. Nam, vt supra in sono allegoriæ notabam, sponsus currum ascendens, sponsam suam eidem curru impositam, è domo parentum in ædes suas de more rapiebat. Ait igitur Saluator: Si ego tanquam sponsus crucis meæ currum nuptialem inscendero (sic enim de cruce Domini censuit Apponius supra citatus, ubi eam currum Christi appellat.) & accinit Ambrosius in *Lucam lib. 6. cap. 23.* ab illis verbis, *currum suum triumphator ascendat*, ubi plura confert in hanc sententiam: si, inquam, ego crucis nuptialem currum ascendero, *omnia traham ad me ipsum*; puta Ecclesiam omnem, aut omnes animas, quas natura etiam repugnante auxilio gratiæ ad me ipsum rapiam.

Et quidem ita dicere fas est in hac traductione animæ à conuersatione carnali ad spirituales viuendi rationem, crucem Christi, id est, eiusdem carnis mortificationem, de qua dictum est: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Mystici currus vices agere, quo Christus sponsam suam, id est, piam animam à carne ad spiritum per simulationem violentiæ transire compellit, vt proinde aptè quadrent suscepta verba: *Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilauit te*, iuxta expositionem nuper datam.

Alter interpretatio ex multis, quas ad sonum allegoriæ contulimus, pertinet ad lectionem septuaginta Interpretum: *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilauit te*, id est, equæ compari, vt iugum matrimonij vnanimè subeamus. quasi dicat: Te alioqui conditione imparem ad æqualitatem illam extollam, quam inter coniuges honorum, diuitiarum, ac nominum communio efficere solet, & sanè Christi Domini sublimem celsitudinem, & animæ profundam humilitatem, matrimonium mirabiliter exæquat: quia per has nuptias factum, vt Deus ad humanæ naturæ infimam conditionem descenderit, & anima ad diuinæ naturæ consortium euedta fuerit, ad omnem bonorum suorum communionem admissa. Audi Petrum: *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ, &c.* Græcè *νομοβολ*, quod verbum sic efferre licet, vt efficiamini diuinæ communes naturæ: id est, vt communionem diuinæ naturæ assequamini, vt si licet omnia vobis sint cum natura diuina communia, per

per participationem quandam bonorum & attributorum eius, hæc enim est lex matrimonij.

Coniuges à iugo dictos suprâ dicebam, quasi ad idem iugum trahendum æquales, Græcè *συνζυγοί*, à notissima voce *ζυγός*, quæ iugum & stateram significat, atque adeò non solum coniuges, id est, eiusdem iugi contortes, sed (liceat sic dicere) *collibres*, quasi eiusdem libræ duæ lances, aut duo brachia appellare fas est. In quo nomine eorum, qui coniugio iuncti sunt, summa æqualitas denotatur, quæ illos tanquam vnus stateræ ad amussim redactæ brachia duo, aut duos item lances imitari oportere significat (vt in commentariis Prouerbiorum obseruauimus.) quæ similitudo ad notandam eam, quæ ex coniunctione Christi & animæ per nuptias spirituales resultat, parilitas idoneam comparationem accommodat: hæc enim parilitas reddit eos (liceat sic dicere) collibres ad quandam similem amussi æqualitatem redactos, non quidem ponderum æqualitate, sed diuinæ condescensionis demissione, & humanæ depressionis subleuatione. Alcuius asserit in nuptiis quæ olim per emptiorem ac venditionem fieri consueuerunt, sicut in aliis etiam emendi, ac vendendi pactis libripendam intercedere solitum, hoc est, virum quempiam stateram manentem ad æquilibrium redactam. Sed quorsum? Non quidem alio consilio, nisi vt summam æqualitatem, quam inter sponso coniugium inducebat, eo simulacro significaret. Quapropter meritò appellantur *συνζυγοί*, id est, collibres, quasi eiusdem stateræ lances. Sed quid est illud quod illam sublimem valde Dei nostri lancem, ita depressit, vt cum nostra humilitate ad æqualitatem composita, velut in æquilibrio esset? Profectò lances cum pondera excipiunt, grauiora tunc demittuntur; amor autem Dei erga sanctam & piam animam grauissimi instar ponderis obtinet, quod excelsam naturæ diuinæ lancem ita deiecit, vt humanæ summissioni exæquari posset. Quid item grauissimam & humi pressam naturæ humanæ lancem leuiorem reddere, & cum diuina ad amussim componere valeat? *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrenam inhabilitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Certè corporis pondus per spiritualem viuendi rationem mirum in modum eleuatur; nam caro per spiritum extenuata (fas sit dicere) omni grauitate sublata in spiritum vertitur. Cui sententiæ attestatur Paul. ad Rom. 8. cum ait: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si autem spiritus Dei habitat in vobis.* Et infra: *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis,* scilicet in spiritu expurgata carne vitam agetis, vt proinde cum Deo, qui spiritus est, ad amussim venire possitis per nuptias charitatis & gratiæ.

Non dispar est iugi duos equos copulantes comparatio ad dictam æqualitatem notandam, quæ addit vlteriùs coniunctionem virium ad onera portanda, in qua etiam matrimonij spiritualis Christi & animæ præcipua vis consistit, quatenus per ipsum fit, vt anima, quæ suapte natura ad omne bonum impares vires habet, Christo adiuncta & ipsi coniugata nullum pondus graue, nullum onus non leue ducat, vt ab ipsa accepimus, Christo; cum ait: *iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.* *Iugum*, inquam, *suauis*, quia illud vnà cum homine ipse fert Christus, *onus autem leue*, quia illud etiam homo simul ac Christus, coniunctis viribus suis portant. Illis certè insuauis est iugum istud spiritualis conuiuij, illis etiam onus graue, qui vinculum, aut lora, quibus ipsi obstricti sunt, laxant. Nam, vt ait Ecclesiasticus: *Sicut bouum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam;* id est, matrimonium quod quispiam cum vxore nequissima copulauit, simile est iugo quod vincula & lora non satis adstricta habet, atque adeò non grauius modò redditur portanti, sed etiam mobile, quia nimirum facile excuti potest (quasi dicat) tale coniugium intolerabile est, & non longè abest à repudio, quia nimirum laxa & distracta sunt amoris vincula, quæ coniuges arctius copulare solent, (loquitur enim Salomon iuxta legis antiquæ iura, quæ repudia permittebant viris.) quæ verba ad animam in sensu mystico aptare licet, huic enim spiritualis matrimonij iugum, tunc grauissimum redditur, atque spirituali repudio vicinum, cum charitas, quæ est vinculum perfectionis, ipsam Christo satis arctè non copulat, cum nimirum amor animæ erga Deum non satis robustus est.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

ORigenes homil. 1. ex duabus, & 2. ex quatuor, verba illa: in curribus Pharaonis per comparationem sic expressit: *Quantum differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es omnibus filiabus, tu sponsa, tu scilicet anima Ecclesiastica ab animabus, quæ non sunt ecclesiastica, id est, quæ intra Ecclesiam est, ab his quæ extra Ecclesiam factæ sunt. quia nimirum sicut equitatus Pharaonis perijt, equitatus verò Domini saluus euasit; sic dicta anima, &c.* Ad hunc sensum aduocat illa verba Abacuc: *Et equitatio tua salus, vel, vt est in vulgatis, & quadrigæ tuæ saluatio.* id est, non perierunt fluctibus obruta, sed saluæ & incolumes ad litus euaserunt quadrigæ tuæ.

Nyssenus verba illa, in curribus, sumit pro contra currus, atque animam cum illis equis collatam vult, qui curribus Pharaonis in mare demersis salui euaserunt, puta Israëlitarum equis, nam inter alia hæc miscet. *Fieri non potest, vt assimiletur quisquam equis, per quos in profundum sunt demersi currus Ægyptiorum, nisi per aquam mysticam liberatus à seruitute aduersarij, omni sensu Ægyptiaco, & omni externo vitio & peccato in aqua relicto, purus emergat Ægyptiaca conscientia, nihil secum abducens in vitam postea futuram.* A Nysseno minimè abludit Gregorius Magnus: *Scimus (inquit) quia equitatus Israëliticus fugiens currus Pharaonis in mari demersos reliquit, huic sancta anima similis efficitur, quæ prius in Baptismo omnia peccata sua extincta quasi Pharaonis exercitum reliquit.* Gregorij verba obseruauit nouus autor, atque illud expendens Hebræorum equos non repugnando, sed fugiendo Pharaonis copias & currus in mare fluctibus obrutos reliquisse: hanc similitudinem ad pugnas castitatis conuertit, in quibus castæ & puræ animæ, non ex conflictu, sed ex fuga victores euadunt.

Rursus idem Nyssenus in priori expositione, collationem factam putat animæ sanctæ cum Angelicis copiis. Nam postquam ita constituit, fieri non posse vt quisquam in equestri prælio victus fuerit, quin aliquæ inimicorum equestres copię ex aduerso steterint. Inde colligit contra Ægyptiorum equitatum alium à Deo productum fuisse. Sed qualem? non alium certè, nisi Angelicum exercitum, qui id ipsum inuisibiliter per miracula agebat, quod equestres copię visibiles contra equitatum alium, ex aduerso pugnantem agere solent. Nec verò insuetum est Scripturæ Angelis equos tribuere. Dauid *Psal. 67. & 4. Regum 6. Zacharia 1. & alibi.* His ergo Angelorum equestribus copiis, quæ de Pharaonis equitatu victoriam reportarunt, animam Deo coniunctam, comparatam vult Nyssenus, comparationem verò istam ad Baptismum refert modo iam dicto. Adde etiam per eam similitudinem significari nobiliorem & excellentiorem virtutem, per quam dicta anima contra diaboli funestas acies pugnat. Quæ nimirum diabolum & copias eius fortitudine ac viribus perinde superat, sicut Angelorum exercitus & equitatus, quadrigas & copias Pharaonis potentia & robore superabat, atque adeò nisi sponte succumbat, & hostibus sese dedat, numquam non certa est ex pugna victoria.

Succedat Bernardus, qui hæc verba piæ quoque animæ tradit, eamque equitatu Domini, tum propter virtutes dissimiles, quibus instructa est, tum etiam propter Angelorum custodiam, qua vndique præcingitur, collatam vult: *Inter sanctam (inquit) ac spiritualement animam, & equitatum Domini, planè comparatio est, & inter Pharaonem & diabolum amborumque exercitus. Nec miraberis vnã animam equitatus multitudini simillimam, si adueras quantæ in ipsa vnã quæ tam sancta anima est, virtutum acies habeantur, quantæ in affectionibus ordinatio, quantæ in moribus disciplina, quantæ in orationibus armatura, quantus in zelo terror, quantæ denique sit cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphantium. Aut, si id tibi non placet, noueris huiusmodi animam numquam esse sine Angelorum custodia, qui eam emulantur in emulatione solliciti viro suo seruare, & virginem castam exhibere Christo: & ne dixeris in corde tuo, vbi sunt? quis eos vidit, vidit Propheta Elisæus, & orando fecit vt videret Giezi, &c.* Huius autem comparationis accommodationem sic complet. *Ergo Angelicis fultis ministerijs, & superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatu Domini, illi scilicet, qui quondam in curribus Pharaonis tam stupendo miraculo triumphauit. Si enim diligenter adueras, cunctaque ibi miraris magnificè perpetrata. inuenies nihilominus admiranda: ibi populus eductus est ex Ægypto, hic homo de seculo; ibi prosterneretur Pharo, hic*
diabolus

diabolus; ibi subuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia desideria, illi in fluctibus, isti in fletibus; marini illi, amari isti, & subinde tres, imò quatuor currus diaboli cominiscitur, malitiæ videlicet, superbiæ, luxuriæ, & auaritiæ, & singulas rotas, equos & aurigas accommodatos tradit, ac de his multa ibidem ferit.

Honorius animam inter falsos fratres constitutam, quos Pharaonis, id est, diaboli currus appellatos vult, cum equitatu Dei, id est, cum Apostolis & Prophetis comparatam sentit, quos similem ad modum à falsis fratribus multa perpeffos fuisse constat.

Ambrosius in lib. de Isaac & anima cap. 4. ad translationem Septuaginta, sic scribit: *Virtutis labor querit victoriam, ut possit æquè illi, quæ Salomonis est, comparari, velox ad currendum, habilis ad partum, quoniam fecunditas animæ desideratur ac queritur; huic aquæ similis estimatur hæc anima Apostolica, ac prophetica virtutis, eo quòd in eorum annumeratur gregem, qui fecunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia resperferunt. & quamuis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritualis sensere dispensia.* Non longè absum vt credam, Ambrosium his verbis ad illarum equarum naturam respexisse, de quibus Plinius lib. 4. cap. 22. asserit, ita faciles esse ad conceptum, vt perflantis Fauonij solo haustu concipiant, ita leuis ad cursum, vt etiam post susceptum ea ratione fœtum, quasi vteri pondere carentes ipsius venti velocissimum cursum imitari videantur. Talem enim oportet esse animam Dei sponsam, ita scilicet facilem ad conceptum, vt ex solo Dei afflatu quiduis facile concipiat & pariat, & leuem ad cursum, vt in nullis difficultatibus prægrauata omnia Dei iussa, præcepta & consilia, velocissimè obeat. Denique plura ex his, quæ de Ecclesia contulerunt Patres, animæ adaptari procliue est. Vide in superiori appendice.

EXPOSITIO HYPERMYSTICA

de B. Virgine.

QUITATI meo in curribus Pharaonis, &c. Plures expositiones habes in sono allegoriæ, quas Virgini Beatæ accommodare procliue est: mihi enim fat erit duarum, quas ideo cæteris præferendas dixi, quia susceptæ commentationis contextum seruât, accommodationem vigere. Prior est vulgatæ lectionis, iuxta quam sponsus Sulamiti suæ pollicetur breui futurum, vt ipsam currui geniali impositam à gynæceo in palatium, non sine violentia celebrius adductam, legitimo connubiali copulet. Ex his verò, quæ suprâ vers. 1. & 3. diximus, constat vitam & conuersationem Mariæ in templo ante conceptionem ipsi pro gynæceo & Parthenone ad animæ culturam fuisse attributam. Quomodo autem inde ad nuptias per Incarnationem denique copulandas, siue propter humilitatem, siue propter virginitatis illibatam custodiam, non sine vi rapta fuerit, ibidem docuimus, ad illa verba, *trabe me.* Sed qua demum ratione trahenda dicitur? Currum nimirum euecta geniali, bigis quadrigisque ipsam portantibus, quod iuxta ea, quæ suprâ dicebam in mystica expositione, ad facilitatem laboris, lassitudinis expertem referre licet, vt contemplatus est Cyrillus ibidem, itavt sensus sit: *Equitatu meo in curribus Pharaonis, &c.* id est, ad nuptias illas, qua Incarnatio perficiet pro meritis tuis, tandem aliquando venies; ad eam verò meritorum magnitudinem, quæ te tanta gloria dignam statuit, non labor, non molestia aliqua, veluti peditem ducet, sed gratiæ diuinæ adiutorium, tanquam currus quidam intellectus voluntatisque ad omnem bonitatem pronissimæ rotis voluentibus, incitato cursu perferet; quippe quæ nec appetitus contra nitentes, nec fomitis retardantis, nec viciatæ naturæ cursum morantis labores ac difficultates vnquam senties, vt proinde ad ea virtutis fastigia quæ demum tenuisti, atque ad eò ad Incarnationis legitimas nuptias ita facile perueneris, ac si currui leuissimo vecta fueris. Huc transferre licet verba Salomonis *Proverb. 3.* qui de sapientia, & sub illius symbolo, de Maria, sic fatur: *via illius via pulchra, & omnes semite illius pacificæ.* Extrema autem verba translatio Scholast. sic versat: *Et axes, vel axones eius pacifici.* axes verò pro curribus per synedochem concipi posse ad eum locum notauimus, ita vt sensus sit: axis, vel currus, quo Maria Virgo ad perfectionis celsitudinem peruecta est, non sunt bellici, hoc est, ferrei, falcibus ferrisve instructi ad hostes proffigandos,

sed pacifici & geniales; quia nimirum gratia & auxilia diuina, à quibus portabatur, nullas appetitionum, aut suggestionum obluentium repugnantias in eadem Virgine peruincebant, sed cum summa pace & pompa ad omnem virtutis & honestatis exercitationem ipsam vectabant.

Non solum autem diuinæ gratiæ adiutorium per currum, quo Maria Virgo ad nuptias Incarnationis adducta dicitur, intelligere licet, sed quædam alia in eodem curru mysticè adumbrata fuisse haud ineptè dicemus. Ac primum quidem cum Ambrosio in *lib. de Ioseph cap. 7* per dictum currum merita Christi intelligo; sic enim ait: *Carrus quoque significat fastigium sublime meritorum Christi.* Hæc autem Christi merita, ideo nomine currus censentur, quia animam suis viribus ac meritis diffidentem, ac per seipsam ad honestatem & probitatem contendere nequaquam valentem portant. Humilitas verò eò redegerat Mariæ animam, vt suis prorsus diffidens meritis ac viribus, tota ex meritis Christi penderet, vt nimirum his subleuata & portata ad nuptias eiusdem Christi prouheretur, fieretque simul sponsa & mater. Nam quamuis ipsius Virginis promerita ad matris Dei munus aliquam congruitatem attulerint: ad illud tamen ex condignitate obtinendum, sola Christi merita æstimatione sua valere potuerunt, atque adeò ab his portatam prouectamque non ineptè dicemus.

Ad hæc Diuus Gregorius in *cap. 8. lib. 1. Regum*, per currus, quibus animæ ad sublimia & excelsa quoque feruntur, sancta intelligit desideria; nam ad illa verba: *filios vestros tollet, & ponet in curribus suis*, sic scribit: *Sanctorum currus eorum sunt deuota desideria, nam dum superna gaudia feruenter appetunt, velut in curribus ad alta feruntur, & notandum, quia tolli dicuntur, & in curribus poni, quia prius debent à carnalibus desiderijs abstrahi, & per magnam violentiam, vt terrena desideria electus auditor penitus deserat, & in celestibus sublimiter se tollat.* Hæc ille, qui vehemens quodlibet desiderium ideo curru comparandum putat, quia eum, quem tenet ad rem desideratam, quasi vehiculo quoque susceptum sine difficultate & labore sponte adducit. id verò spiritualium desideriorum maximè proprium est, quia non modò desiderantem ad rem desideratam, spontaneo quodam impetu perfert, sed ipsam etiam rem expetitam vi sua quasi è longinquo euocatam eorum, qui desiderant, votis celerius potiundam offerunt, quatenus à Deo celeriore eisdem rei desideratæ consequutionem impetrant; hoc ergo vehementioris desiderij leuissimo curru sublaram ad Incarnationis nuptias adductam Mariam, sine iniuria affirmare licet. tum, quia desiderij de ipsamet Domini Incarnatione suscepti vis illam ad expetitas nuptias ocyus attulit, tum etiam, quia Incarnationem prædicto modo maturauit, accelerauit; vt communis fert Theologorum sententia.

Sed iucundior est accommodatio sanctæ Brigittæ *lib. 4. reuelationum cap. 17.* vbi currum quemdam describit, qui iustos ad perfectionis culmen perducit. Huius verò currus pauimentum ad discumbendum constratum cum Dei voluntate, quatuor item rotas eidem addit. Prima est, *nihil desiderare nisi Deum.* Secunda *humilitas.* Tertia *dilectio Dei & proximi* propter Deum. Quarta *castitas & carnis moderatio* discreta, auriga quoque eidem curru præficit *custodem Angelum*, intellectum autem, & voluntatem, *equorum* loco ponit, & hos denique equos *sanctis inspirationibus*, tanquam *frenis* quibusdam regi ac temperari affirmat. Non dissimili curru sanctam Virginem ad celebrandas per Incarnationem cum Christo nuptias adductam affirmare fas est, nam si aurigam cogites, ipse est Gabriel Angelus Incarnationis nuncius & minister, iuxta illud: *Missus est Gabriel Archangelus,* &c. Si rotas spectes, alia quidem est virginitas & moderatio carnis, ad quam pertinent verba illa: *ad Mariam Virginem desponsatam,* &c. Altera rota est ardens dilectio Dei, quam Spiritus sancti flamma eidem impressit, vt ad suscipiendum visceribus suis Dei filium proximè præpararet. Inde est illud: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi,* &c. Tertia rota est humilitas, ad quam refertur illud: *Ecce ancilla Domini.* Quarta rota est, nihil desiderare præter Deum, subdit enim Maria: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Nam Diuus Bernardus *tom. 2. serm. 88. art. 2. cap. 11.* verbum fiat, quod B. Virgo Angelo Incarnationem nuncianti dedit, desiderantis & affectantis fuisse dicit. Nam inter alia sic fert: *Et quia per Angelum sentit se in Dei Matrem & sponsam electam, ideo verbum affectantis desiderij plenum Angelo subdit, fiat mihi, quia si diceret: O vtinam id mihi contingat quod abs te, ô Gabriel, denunciante accipi.*

Cum Bernardino sentiunt Athanasius & Euthymius. Hic enim ait: *iam non solum credidit, sed etiam optabat, ut sibi contingeret, sicut dixerat Angelus, cum ait: Fiat mihi. illi verò Maria inquit: etiam nunc hæsitans; sed tamen optans, fiat, inquit, mihi, &c.* Ad hæc, prædicti currus pavementum est conformitas cum diuina voluntate, quam continent etiam dicta verba, *fiat mihi secundum verbum tuum*, secundum interpretationem Augustini, Bernardi, Ambrosij & aliorum, qui vocem *fiat*, ad eiusdem Mariæ perfectam obedientiam referendam censuerunt. Denique pro frænis sunt inspirationes sanctæ, quibus animæ potentias, tanquam leuissimos equos doctus auriga, id est, Angelus Dei, regit. Nec desiderabis hæc fræna in Marianis quadrigis, quibus tum mens, tum voluntas Deiparæ obsequentissimè parebant. Huc enim spectat illud: *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, &c.* quæ verba eo animo instillauit, inspirauitque Gabriel, ut ipsam ad inuisendam Elisabetham ea suspiratione permoueret, cui actutum paruit Virgo B. quando, *exurgens abiit in montana cum festinatione, &c.* Adde etiam, per fræna equorum intelligi posse pudorem & verecundiam, ut contemplati sunt Nyssen. & Theodor. ad sequentè verum, quorū verba infra dabimus in appendice hypermysticæ interpretationis, & cum his coherent quæ Lucas de Virgine serit: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista saluatio.* quæ pudori & verecundiæ adscribit Ambros. En tibi curi um mysticum, geniale & pompicum, quo Christus sponsus Mariam sponsam simul & Matrem suam ad se traxit, ut legitima cum ipsa iniret connubia, qui currus per mysticas applicationes, totam Incarnationis dispensationem ac dispositionem coërcet.

Sed vterius currum alium ad Mariam vectandam offert nobis Philippus Apostolus in sermone quem de laudibus Deiparæ in obitu eiusdem texuit, quem Angelo Gabriele dictante accepit Amadæus in sua Apocalypsi raptu 7. vbi S. Philippus Mariæ commendationes ex nomine suo depromens, quia Philippus amatorem equorum sonat, eidem Mariæ currum & quadrigas tribuit, his similes, quibus Solem per cœli conuexa deferri fabulantur Poëtæ. Nam inter alia sic serit; *equos quibus Sol iste corporeus, & inter corpora pretiosissimus vehitur, multos esse, Græci fingentes nomina tradunt, & veritas ex multis eorum vanitatibus colligenda est: non enim sequimur indoctas fabulas, sed veritatem complectimur. Sol est Christus Dominus noster, ecce hinc stellam, ex qua Sol prodit, videtis Mariam, & tamen ipsa Sol est, non cessans moueri, sed semper proficiens. & nunquam deficiens. Sol iste dabit equos quibus vehitur, qui nihil aliud sunt, quàm virtutes infusæ & acquisitæ naturales, & supernaturales, intellectuales, & illæ, quæ in appetitu sunt.* Et infra ex quatuor cardinalibus virtutibus quadrigam componit, *inter alios equos, ait, est prudentia quæ est virtutum moralium regula, & iustitia, fortitudo & temperantia, sub quibus reliquæ virtutes cum totidem equis componit Amadæus*, à quibus Solis currum trahi narrat Poëtæ. ergo ab his omnibus virtutibus tanquam ab equis pulcherrimis ac fortissimis B. Mariam Sole ipso splendidior, ad nuptias Incarnationis adductam affirmare fas est; nulla enim ipsi non adfuit, quin potius omnis velut equi iugales conspirarunt, ut ipsam ad tantam dignitatem prouerent.

Sed quia quatuor sunt, ante alias, illæ virtutes, quæ Mariam ad dictam Incarnationem potius adduxerunt, hæc tunc virginitas, verecundia, fides & humilitas, obedientiæ coniuncta, quas Lucas Euangelista recensuit ab illis verbis: *Missus est Gabriel Angelus ad Virginem, &c.* Et quia Philippus nominum meminit, quos Solis equis imposuerunt antiqui Poëtæ; ait enim: *equos Solis multos esse fingentes nomina tradunt.* isthæc nomina cōmemorare opus est, nam cum dictis virtutibus mirificè cōcordant Lampus, Erythreus, Philogeus & Erieteus. nam quamuis Ouidius & alij passim Vates prædictis equis alia indiderint nomina, D. Fulgent. in Mithologio his potissimum censuit, ex quibus Lampus, id est, candidus, virginitatis candorem notat. Erythreus, id est, rubicundus, verecundiam, seu roborem designat. Philogeus, qui terræ amicū sonat, humilitatem significat, quæ ab humo quoque nomen trahit. Erieteus, qui fluit à verbo ἐρείνω, id est, frango, fractum significat, hoc est, edomitum & fræno obtemperantem, atque aded obedientiam innuit. En quatuor virtutes, quæ Virginem Sole amictam tanquam equi solares ad Christi nuptias perduxerunt, & eandem de cursu huius vitæ spatio gloriæ radiis fulgentem cœlo intulerunt.

Ad hæc locus iste iuxta lectionem septuag. Interpretum non ineptè Virgini accommodatur. *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilauit te.* de hac equa sic Ambros. *ut possit equæ illi, quæ Salomonis est, compari, velox ad currendum, habilis ad partum.* Adde etiam

etiam, si placet, *elegans ad pompam*. Hæ sunt generosissimæ equæ eximiæ dotes, vt nimirum sit *habilis ad partum*, vt nuper dicebam. D. Ambrosium ad eas equas forsan respexisse, de quibus Plinius asserit ita faciles esse ad conceptum, vt solo perflantis Fauonij haustu prolem suscipiant; his ad similem Dei parëtem ausim dicere quæ de Spiritu sancto fœta, diuinam humanamque prolem edidit mundo, accinète Luca Evangelista: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Addit Plinius prædictas equas ex Fauonij flatu suscipientes, susceptasque, ita leues ad cursum extare, vt venti ipsius velocitatem cuique haustu editæ dicuntur, sua pernicitate superent. An non equæ isthæc Mariam adumbrant, quæ simul ac Christum de sancto Spiritu concepit, à sancto quoque Spiritu afflata. *Abijt cum festinatione in montana, vt saluaret Elisabeth*. Quid plura? Equa illa, cui ad similes dicitur diua Virgo, *elegans quoque ad pompam*, quia nulla alia creatura honestiùs & gloriôsùs Deum gestauit, cui nimirum omnes illi cedere vsquequaue debent, de quibus cum Paulo dicere fas est, *glorificate & portate Deum in corpore vestro*, id est, tanquam equi pompici illum gestate ad ostentationem & gloriam.

Ad hæc cum Salomon ait: *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilauit te*, equam intelligit comparem, cum qua vni iugo adstrictus sponsus coniugij, onera trahere debeat. Puta ergo Mariam ab sponso suo Christo ad supparem quandam æqualitatem euectam. Quorsum? vt crucis & passionis iugum, quod illum subire oportebat, vnâ secum portaret, fieretque duorum vna crux, & vna passio, vt humani generis vniuersam redemptionem coniunctis viribus meritisque tanta, ac tam nobilis biga proueheret, Christus ex condignitate, Maria verò congruitate mundi saluatione perficientes.

Appendix superioris expositionis ex Patribus.

Rupertus, per equitatum, cui Virgo sanctissima assimilata dicitur, virgam Moysis adumbratam vult; hæc enim ad debellandos Pharaonis currus, & copias prodigiis editis pro equitatu Dei fuit, itaque sic fatur: *Illi signo, illi equitatu meo assimilauit te amica mea; sicut enim virga illa virgas maleficiorum deuorauit, & omnem superbiam Ægyptiacam obtriuuit, ac deinde geminauit, fronduit, floruit, fructum protulit: non planta, non succo terra animata, sed virtute cælesti supra vsum naturæ prouecta; sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam prauitatem hereticam interemisti, superbiam diaboli deiecisti conceptu florida, partu fructifera, incorrupta virginitate frondita*. Cum Ruperto concinit Honorius, nisi quod comparisonem inter duas virgas initam putet, vt nimirum B. Virgo virga sit, virgæ Moysis ad euertendas diaboli falcatos currus viribus ac potentia minimè inferior.

Philippus Abbas per equitatum, quem Deus contra Pharaonis currus regebat, nõ virgam, sed ipsum Moysen concepit; sic enim ait: *non hercle ob aliud rectè dicitur equitatus in curribus Pharaonis, nisi quia Deus ei spiritualiter insidebat, subiectoque populo inde rector misericorditer presidebat, eiusque presidentis ille currus extitit, vel quadriga: hunc autem equitatum, id est, Moysen populi lectorem ex omnibus curribus Pharaonis electum feci meum, & seruitio meo mancipatum*.

Sed quid inde? Subnectit Philippus, ad eundem modum B. Virginem ex omnibus ac super omnes mulieres electã & benedictam, vt ipsi Dei Verbum insideret, ac sic demum fatur: *omnes quippe motus, omnes impetus, quos caro suggerit, quos mens congerit, eneruata, omnes vitiorum turbas, quas emittit & immittit Ægyptus perditè deprauata, summersi, & extinxi aqua iudicio deprimentis, tuas verò extersi maculas gratiæ beneficio diluentis, extinctis autem hostibus meo te seruitio liberiùs assignatam leui iugo & suauiter ceruice voluntaria mancipatam, potens equis auriga doctis per medium maris duco, stat à dextris & sinistris aquarum imminens altitudo, quas in modum maceria fixas tenet inuisibilis Dei fortitudo, obstupefcunt, & mirantur insueto genere se teneri, & huic quadrigæ dari viam, undasque labiles non timentis; sic enim conuersans, versansque inter medium peccatorum, ex eorum malitia, non culpam tibi contrahis, non peccatum*. Adnota Philippi verba, quibus appositè admodum significat modum, quo B. Virgo peccatum originis vitauit in nobilium Theologorum sententia, quia nimirum prædictum peccatum tunc cum impendens, & quasi iam iam incumbens, communi lege in Virgine deriuandum fuerat, speciali priuilegio per infusionem gratiæ quasi cohibitum, ne in ipsam decideret.



INDEX

Rerum præcipuarum, quæ his duobus
Tomis continentur.

*Primus numerus tomum significat, secundus paginam; littera a,
primam pagina partem, b, secundam, c, tertiam
& ultimam quasi indigitat.*

A

Abstractum.



ABSTRACTA pro concretis sæpe
Scriptura vsurpat. tom. 1.
pag. 163. b

Accubitus.

Accubitus quid. 1.188. b

Adam.

Adam primus Vates de Christo & Ecclesia prophetauit. 1.52. c. 56. b

Ritus nuptialis Hebræorum inuenit Deo afflatus, eosque filiis suis imperauit. 1.57. b

Adami & Euæ matrimonium Christi & Ecclesiæ coniunctionem notat ex sensu Ecclesiæ. 1.54. a

Adam secundus Christus primum quomodo in Paradisum reuocauit. 1.104. c

Adiuratio.

Adiuratio sponsi quæ. 1.215. c

Adiurantur puellæ sponsæ per capreas, cetuosque, & quare. 1.214. b

Adiurandi modus duplex. 1.215. a

Adolescentula.

Adolescentulæ sociæ sponsæ significant animas Christum diligentes. 2.87. b

Quomodo Regum filiæ vocentur. 2.82. a

Per adolescentulas item martyres notantur, & quomodo. 2.90. c

Quomodo item infirmæ animæ. 2.91. a

Enigma.

Enigmata in Cœnis proponi solita. 1.206. a

Item in conuiujs alijs. 1.361. c

S. Agnes.

S. Agnes quomodo dicta liliū inter spinas. 1.102. c

Allegoria.

Allegoriæ genus duplex. 1.35. c

Eiusdem duplex sententia quasi cortex ac nucleus. 1.37. b

Picturæ similis est allegoria. ibid.

Amara.

Amara quid sonat. 1.271. a

Amicus.

Amici sponsi quid notent. 1.91. b

Salazar in Canica.

Amor.

Amor nuptialis similis ceruicis ocyus colles transilientibus. 1.218. c. 219

Amor vinam est. 1.212. a

Amoris languor, febris, morbus, imò mors. 1.211. b

Amor Beatorum erga Beatam Virginem, quomodo & quare sit longè maior, quàm quilibet amor quo se inuicem prosequantur. 2.112. a

Amavit nos prior Deus, & quomodo. 2.152. a

Imò antequam essemus futuri, & quomodo. ibid. b

Amplexus.

Amplexum B. Virgo poscit, & quid per amplexum poscat. 2.54. b

Amplexus, quid notet. 2.55. b

Anathema.

Anathemata à militibus dedicata & suspensa ex arcibus. 1.264. c

Anima.

Anima sponsæ quomodo liquefacta fuerit. 1.299. c

Animæ duplex translatio, quæ. 2.131. a. & 132. c

Animæ raptus à timore Dei ad charitatem. 2.132. a

Quomodo fiat. ibid. b

& à quibus causis. ibid. c

Anima quandonam matrimonium cum Deo contrahit. 1.115. a

Anima quomodo dicat se nigram, & formosam. 2.185. b

Animæ progressus qualis. 2.186. a

Quomodo dicatur nigra, sed formosa sicut tabernacula Cedar, & pelles Salomonis. ibid. b

Quomodo se dicat fuscam. 2.206. a

Quomodo se à Sole decoloratam appellet. ibid. b. c. & 207. b. c

Quomodo dicat filios matris suæ pugnasse contra se. 2.208. b, c. 209

Quomodo se positam asserat custodem in vineis. 2.209. c

Quomodo dici possit à Sole decolorata, id est, à Christo. 2.210. c. 211. 212

Qualiter, & quare quærat sibi indicati vbi sponsus

Index Rerum.

- sponsus cubet in meridie.* 2.238.c.239
*Quid timeat, dum timet vagari post greges
 sodalium Dei.* 2.239.c.240.241.c
Animæ pecudes quæ. 2.262.b
Animæ dignitas. 2.266.c
Annus.
Anni tempora quomodo partiantur Iudæi.
 1.233.a
Annulus.
Annulus regis dignitatis insigne. 1.313.c
Alius sponsalitiis, obsignatorius alius. 1.
 313.c
*In Annulis vxores & mariti mutuos amores
 suos offerre solebant.* 1.370.b
Annulus olim pro clauæ erat. 2.145.a.b.146.b
Olim Doctoribus, & Prophetis datus. ibid.
 145.c
& quid notaret. ibid.
*Formula verborum qua summus Pontifex an-
 nulum accipit.* 2.146.b
Pro clauibus erat vxoribus. 1.159.b
Antichristus.
Antichristus Religiosa instituta euertet. 1.102.
 c.103
*Eius tempore relaxatio vitæ monasticæ vnde
 futura colligitur.* ibid.
Apostolus.
*Apostoli & 70. discipuli Monasticæ vitæ autho-
 re Christo primi obseruatores fuerunt.* 1.101.
 c.102
Arx.
*Arces eburneæ apud Iudæos quæ & quare sic
 dictæ.* 1.264.a
Argentum.
*Argentum in lingua sancta colorem album no-
 tar.* 1.185.c
Aromata.
Aromata quid notent. 2.13.c
Formam curant. 2.10
Arrhabo.
Arrhabones quid sint. 1.118. b
Ascensus.
Ascensus purpureus quid. 1.249.a
Ascensionis Christi in cælum figura. 2.283.b
Augurium.
Augurati pro salutare. 1.208.c
Augurium Iosephi exponitur. ibid.
B.
Baiulus.
B Aiuli Germanici qui. 1.247.c
Balnea.
Balneæ inter gynæcei oblectamenta. 2.8.a
Baptisma.
Baptismatis & balnei comparatio. 2.8.c.9.a
& quare. ibid.9.a
In Baptismate vnctio duplex. 2.9.a
Baptismus mors appellatus. 2.9. b
Item sepultura, & quare. ibid.c
in Baptismo quare vngimur, & vnde ritus ille.
 2.10.a
*Baptismus Ecclesiæ cum Christo nuptias quo-
 modo ratas efficit.* 2.14.a.b.c
*Baptismi minister olim quare baptizatum oscu-
 laretur, & amplexu stringeret.* 2.14.c
*Super recens baptizatos olim occidebatur, &
 quare.* 2.15.a
in Baptismo tingimur, & linimur, & quare. 2.
 8.b
*Baptismus animæ nigredinem abstergit, & quo-
 modo.* 2.175.c
Digamiam non abstergit. 1.55.a
Baptismus votum est Eucharistiæ. 1.67.c
Beatus.
*Beatus quomodo dicatur gaudere magis de glo-
 ria Beatæ Virginis, quam de sua.* 2.113.c
Beata Virgo.
*Beata Virgo quandonam & quandiu in sponfa-
 libus fuit ante nuptias cum Christo.* 2.31.c
& quomodo. 231.c.32.33
*Munera antenuptialia B. Virgini quando da-
 ta, & à quo, & qualia.* 2.32.b.33
*Per B. Virginem Christus toti Ecclesiæ vt
 sponsæ se addicit.* 2.34.b
*Eius desideria quibus Christum sponsum de-
 siderauit.* 2.34.c
& ex quo tempore cepta. 2.35.a
*Quomodo clausula fuerint expectationis Pa-
 trum antiquorum.* 2.35.b
Illorum desideriorum valor qualis. 2.35.c
B. Virginis gynæceum quodnam. 2.37.c
Qualiter in templo vt in gynæceo fuit. 2.
 39.a
Nymphagogus eius quis. 2.42.a.b
Quæ ornamenta ei accelerata. ibid.
Quæ pedissequæ. ibid.
In gynæceo virginitatem vouet. 2.42.c
*Quomodo soror, & mater Angelorum dici
 possit dum in templo habet.* 2.43.a
Cibi Mariæ qui. 243.b.c.44.a
Qua Eucharistia in templo vteretur. 2.45.c
& quomodo. 2.46.a
Tres cibos habebat in tempore, & quos. 2.
 46.b
Eius in templo lauaciones quæ, seu balnea.
 246.b
Eius post balnea vnguenta quæ. 2.47.a.b
Quomodo à D. Bonauentura rea dicatur. 2.
 49.a
*In quo appellata sit Cinamomum, Balsamum,
 & Myrrha.* 2.93.a
Quomodo sacrificium fuit holocaustum. 2.
 94.c
*Quomodo vnà cum Christi meritis nostram
 redemptionem sit promerita.* 2.94.c
Sacerdotium habuit in summo, & quomodo.
 2.95.a
*Totius Ecclesiæ Doctrix, & magistra fuit, &
 quomodo.* 1.95.b
Mariæ nomen quale. 2.96.a
Eiusdem nominis effectus variij. ibid.a.b.c.
 & 97.a,b
Ex similitudine olei. 97.b.c
*B. Virgo, si Deus clarè videri non posset impos-
 sibile, sufficeret ad satiandam Martyrum
 Confessorum aliorumque omnium Sancto-
 rum voluntatem, si eam videre permitteren-
 tur, & quomodo.* 2.112.c.113
*Qualiter de Beatitudine essentiali & acciden-
 tali dispenfer.* 2.114.a
Quomodo secundi diei Domina & Regina. 2.
 113.b.
*Nobis congruis suis meritis obtinuit quod
 Christus*

Index Rerum.

- Christus condignis, & quomodo. 2.117.a
 An electionem vnus præ alio meruerit de
 congruo hîc disputatur. 2.117.b
 Affirmatiuaque concluditur & probatur. 2.
 117.c.118.119
 Quare introducatur B. Virgo, dicens ex gynæ-
 ceo, Trahe me post te, &c. 2.137.c
 & quomodo à Christi nuptiis quasi abre-
 pta dicatur. ibid. & 138.a
 B. Mariæ Virginis humilitas eximia. 2.138.b.c
 Eius ancillæ quæ. 2.138.e
 Virgines sunt martyres, &c. ibid. & 139.a
 Propter Mariam virgines & Sanctæ gratiis
 quas habent, ornantur, & quare. 2.159.b
 Ante omnes prædestinatos prædestinata est,
 & quomodo id factum sit. 2.139.b
 Comparatur cum Abigail ducta ad nuptias
 David. 2.139.c
 B. Virgo in templo prima votum paupertatis
 emisit. 2.139.c
 Qua coactione dicatur tracta ad Christi nu-
 ptias. 2.140.a.b
 Voti eius virginitatis in aditu templi formu-
 la quæ. 2.140.a
 Quare ab aliquibus dicatur Virgo in ipsa sui
 conceptione virginitatem vouisse. 2.140
 Eius de virginitate voti exemplum virgines
 ad vouendam virginitatem traxit. 2.140.c
 Virgo fomitem non habuit. 2.141.a
 Quomodo in remedium peccati condita sit.
 2.141.e
 Quomodo Patrum animæ B. Virginem è cœ-
 lis euocauerint. 2.142.c
 Eius nutus ad Incarnationem à Deo spectatus
 est. 2.142.a
 Salutis humanæ desiderium eius voluntatem
 ad consensum nuptiarum cum Christo tra-
 xit, & quomodo. 2.142.a
 Eius voluntas statere similis fuit quando ex-
 acta est cum primum ab Angelo rogata est
 consensum. 2.142. b
 Quidnam à Christo filio suo didicent. 2.
 142.c
 Quæ causæ eius in gratia confirmationis. 2.
 142.c
 Eius charitas erga salutem hominum. 2.
 143.a
 Quomodo dicatur mater Eucharistiæ. 2.165.c
 Quomodo Mariam & Martham in se colle-
 git, & quando. 2.165.c.166.a
 Eius fecunditas quomodo designata. 2.166.a
 Cæteris rebus fecundior fuit. ibid.
 Concurrit ad omnes supernaturales genera-
 tiones, & quomodo. ibid. c
 Eius pedisse quæ quæ. 2.167.b.c.168
 Eius formæ partes quæ. 2.189.a
 Quomodo se nigram dicat, sed formosam. 2.
 189.b.191.c.192.193.a
 Rationes quare Mariam copulate nuptias
 oportuit. 2.189.c.190.a.191
 Comparatur cum tentorio Salomonis non
 castrensis, sed viatorio, & quare. 2.190.c
 Eius humilitas. 2.193.c.194
 Quomodo dicat, Nolite me considerare quod
 fusca sim, &c. 2.213.c.215.a.216.b.217
 Quomodo dicat se à Sole, id est, Deo decolo-
 ratam. 2.214
 Quos fratres matris suæ dicat contra se pu-
 gnasse. ibid. b
 Quomodo dicitur in instanti suæ conceptio-
 nis originalem gloriam habuisse. 2.219.
 c.220.a.b.
 & quare. 2.221.b
 Non tamen eam habuit toto vitæ spatio, &
 quare. ibid. b.c
 Quomodo dicat se suam vineam non custo-
 disse. 2.222.a
 & tamen alienas vineas custodiendas sus-
 cepisse. 2.222.b
 Quomodo decolorata à Sole. 2.222.b.c
 Creationis donum solis Christi meritis sola
 Virgo debet, & quomodo, & quare.
 2.223.b
 Argumentum humilitatis eximiæ in Maria
 quodnam sit. ibid.
 Quomodo vtatur verbis istis: Indica mihi
 quem diligit anima mea, &c. 2.247.c
 & quare velit locum discere, in quo spon-
 cuber de meridie. 2.248.a.249.c.250.b
 Eius circa Incarnationem desiderium ardens.
 2.248.a
 Ante Annuntiationem de sua electione in
 Dei Matrem non fuerat edocta. 2.271.b
 Eius humilitas eximia. 2.272.b.c
 Quomodo ante conceptum Christum sit &
 dicatur pulcherrima inter mulieres. ibid.
 Quare post filium in terris relicta. 2.275.c
 Modus quo originale vitauit ex nobilium
 Theologorum sententia. 2.308.c
Bibens.
 Bibentes antiqui Deos salutabant. 1.209.a
Bigamus.
 Bigami ab Ecclesia Catholica à sacerdotio ar-
 centur, & quamobrem. 1.54.a.55.a
Bonum.
 Bona nuptiarum tria. 1.53.b
 Boni genus ex Philone duplex, & quodnam.
 2.168.b
Botrus.
 Botrus quid notet. 1.191.c
 Quid Botrus Cypri. ibid. & 192.a
 Flos, vel fructus opobalsami. 1.192.a
 Botrus Cypri, id est, florens. 2.192.c

C.

Calceus.
 Calcei aurei Regum erant & sponforum. 1.
 118.a
Calceamentum.
 Calceamenta nuptialia. 1.118.a
Caliga.
 Caligæ quid. 1.317.b
Campus.
 Campus locus sterilis. 1.200.b
Canticum Canticorum.
 Canticum Canticorum quare sic appellatum.
 1.1
 In eo canitur Incarnatio. ibid.
 Canticum hoc secundum literam de nuptiis
 Christi & Ecclesiæ debet intelligi. quod &
 probatur. 147.b
 Quare de veteri Synagoga exponi non pos-
 sit. 1.68.b
 Cantici huius interpretes bis centum & amplius
 nostra hac vigent memoria. 1.37
 Nullum tempus formas in hoc Cantico la-
 tentes
Dd 2

Index Rerum.

- tentes exhaurire poterit. 1.37.c
- Cantici huius sententia externa imago est. *ibid.* c
- Ex D. Gregorio machina est ad res grauiores eleuandas. 1.38.a
- Quod eleganter explicatur. *ibid.* b
- Omnium est Canticorum compendium. 1.1
- Omnibus præstat cantionibus. *ibid.*
- Post illud nullum aliud expectandum est. 1.2.a
- Non simplex est, sed plura cantica in vnum quasi corpus collecta ex Nazianzeno. *ibid.*
- Est Salomonis & Salomoni. *ibid.* 1.3
- Carmine conscriptum à Salomone, & quo spiritu. 1.4.b
- Poëma dicitur. *ibid.*
- Qui Eclogam dicunt, errant. *ibid.* & 5
- Epithalamium est quo vera panguntur & decantantur nuptiæ, 1.5.a.b
- Hoc Canticum. 8
- Epithalamii quatuor vespertinis, matutinis quatuor constare demonstratur. 1.23
- Allegoria est. 1.36.a
- Enigma est. *ibid.*
- Sensus huius Cantici Propheticus est & literalis de Christo & Ecclesia & omnium quæ Ecclesiæ singulis sæculis euentura erant absolutissimum vaticinium. 1.47.c.48.a
- Hoc Cantico non anima solum & Ecclesia ad vniõnem cum Deo ducitur, sed ad aliquid dignius. *ibid.*
- Hoc Cantico notata finis sunt eorum quæ tota notantur Scriptura. *ibid.*
- Quare Canticum dicatur Canticorum. *ibid.*
- Cantica matutina & vespertina Virgini quæ, 1.134.c
- Eius Cantici huius expositio tertia de Beata Virgine. 1.121.c
- Quæ in hoc Cantico relata ad Ecclesiam & animam, prorogationem notant, relata ad Virginem, præseruationem. 1.122.c
- Circa eius Cantici expositionem variæ sententiæ. 1.146.a
- Cantu connubiali vinum & epulæ laudari solita. 1.163.a
- Canticorum matutina & vespertina iteratio quid significet. 1.85.c
- Canticorum liber solemnes nuptiarum ritus continet. 2.76.b
- In eo totus Ecclesiæ à Christo processus, & decursus exprimitur. *ibid.*
- Cantilena.*
- Cantilenæ excitatoriæ ad solam sponsam intendebantur, & quare. 1.216.b.c
- Cantionibus baptizati olim in Ecclesiam excipiebantur quasi recentes sponsæ in geniale sponsi cubiculum. 1.86.b
- Capillus.*
- Capilli sponsæ quo colore essent. 1.257.c
- & quis color capillorum olim pretiosior. *ibid.*
- Caprea.*
- Capræ & Cerui nomina amoris. 1.214.c
- Caput.*
- Caput sponsæ qualiter vt Carmelus. 1.347.a
- Carmelus.*
- Carmelus mons qualis. 1.347.b
- Carmen.*
- Carmen amœbæum vetat laudes proprias vsurpare. 1.201.a
- Catininis amœbæi leges. 1.196.a
- Carmena nuptialia puellarum quid prophetice significant. 2.151.b
- Casia.*
- Casia orationem notat, & quomodo in Beata Virgine. 2.49.c.50
- Catechumenus.*
- Catechumenorum status similis gynæceo. 1.76.a
- Cedar.*
- Cedar tenebras sonat & quare. 2.180.c
- Cedaritæ viri pugnaces. 2.181.a
- Cedari Dei & montes Dei qui. 2.152.c
- Cella.*
- Cellæ tres contemplationes. 2.163.c
- Cella cum cælis comparata. 2.173.a.b
- Cellaria vinaria quid. 1.207.b
- Cellaria notant contemplationem, & quomodo. 2.165.c
- Cellaria idem quod triclinium. 2.166.c
- Item quod cubiculum geniale. 2.167.a
- Cellaria prophetice Eucharistiæ conuiuium notant, & quomodo. 2.146.c.161.a
- Cellariorum tertia acceptio. 1.160.c
- Ceruus.*
- Ceruorum proprietates. 1.218.b
- Charitas.*
- Charitas quietis dies. 1.115.c
- Charitas perfectissima quæ. 1.116.c
- Charitatis Sabbarum quid. 1.120.b
- Charitatis nomine quid notetur. 1.249.c.250.c
- Salomon ipse ipsa Charitas est. 1.250.c
- Imò sponsa. 1.251.a
- Charitas vestis est nuptialis. 1.70.a
- Chrisma.*
- Chrisma olim duodecimalis coopertum. 2.69.b.c
- Christianus.*
- Christianus quare in baptismo se mortuum æstimare debeat. 2.9.c
- Christiani primitiui Monachi. 1.102.a
- Christus.*
- Christus quomodo Ecclesiam adhuc nigram sibi copulauit. 2.179.a
- Christus Corona vt symposiarcha cinctus est, sed spinea, & quare. 2.150.c
- Quomodo dicatur venisse in tertia mundi ætate. 1.81.a
- Christus Botrus Cypri. 1.41.c
- Quare & quomodo cum Angelis nubere non potuit, ex Augustino. 1.44.c
- Christi corporis manducatio triplex. 1.130.a
- Ad quid venit Christus in mundum. 2.177.b
- Christi cubiculū qualiter sit ipsius corpus. 2.165.b
- & quomodo Maria in illud cubiculum introducta est. *ibid.*
- & quæ potestas in B. Virginem hinc deriuata est. *ibid.* c
- Christus quem gryphum discipulis in cœna vltima obiecerit. 1.362.b
- Christum quomodo Synagoga parere arserit. 2.12
- Christus sponsus, & Pontifex. 2.14.a
- Christi verba oscula sunt, & quomodo. 2.28.c.29
- Christus quomodo à Spiritu sancto vnctus, & quo vnguento, an Trinitate, an Spiritu sancto solo, an à natura diuina. 264.b.c.65
- Christi sanctitas & Dei quomodo differant. 2.65.b.c
- Christi nomen oleum, & vnguentum est, & quomodo. 2.66.c
- Quomodo in nos effundat vnguentū. 2.69.70.b
- Christus

Index Rerum.

Christus quare appelletur principiu. 2.74.c.75.b
 Quomodo comparatus cum iota. 75.c.76.a
 Quomodo fons quatuor fluminum paradisi
 terrestris. 2.80.81
 Quomodo oculus. 82.c
 Quare Christus sic dictus est. 2.92.c
 Quomodo à peccatis hominū attractus. 2.141.c
 Christi voluntatis & Mariæ circa prædestinatio-
 nem quorundam præ aliis concordia. 2.118.b
 Christi penu ex sanctissimis Sacramentis instrui-
 tur. 2.146.b
 Christus in communicantis pectore symposiar-
 cham agit, & quomodo. 2.147.b. 148. & seqq.
 Christi thalamus Crux fuit. 1.6.b
 Christi & Ecclesiæ nuptiæ, non rati tantum ma-
 trimonij formam imitantur, ut volunt recen-
 tiores quidam Theologi, sed consummati.
 Quod & hic demonstratur. 1.59.a.b.c
 Christi nuptiæ in thalamo, id est, in B. Virginis
 utero consummatæ sunt, secundum aliquos.
 1.59.c.60
 Secundum alios in passione & morte tantum.
 1.60.a.b
 Ab ipso Incarnationis momento, Ecclesiæ
 sponsus esse & maritus cœpit, sed tamen
 per solum matrimonium ratur. 1.65.b
 Christi & Ecclesiæ nuptiarum tempus quod-
 nam. 1.68.c.69.70

Chorus.

Chori castrorum qui nam fuerunt. 1.337.a.b
 Choros castrorum in Sulamite quomodo spon-
 sus dicat videri. 1.336.c.337

Cibus.

Cibi Dei ipsius quinam. 2.45.b

Cincinnati.

Cincinnati quid. 1.292.c

Circitor.

Circitores quid. 1.238.c

Circumamicta.

Circumamicta quid proprie. 1.172.b

Clavis.

Clavis scientiæ quid significet. 2.146.a
 Claves cellariorum potestas est Clavium Eccle-
 siæ. 2.146.a
 Claves die nuptiarū vxoribus dari solitæ. 1.158.c
 & cur. 1.159.a
 & quare. 2.160.b

Cæna, Cænaculum.

Cænaculi nuptialis & Cænæ descriptio. 1.25.b
 Cænæ nuptiales quater repetitæ, & in horto
 exhibitæ in hoc cantico, quid prophetice
 significant. 1.107
 Cænæ nuptiales Eucharistiam notant. 1.107.b.c
 Cænā sacram cur Christus Luna decima quar-
 ta celebravit. 1.112.c
 Cænæ vespertinæ Hebræorum. 1.112.c.113
 Cænæ Cantici Salomonis quid notent. 1.113.a
 Cænæ vocabulum unde sit deriuatum secundum
 quosdam. 1.113.b
 Cænæ nuptiales extra urbem in horto, aut ne-
 more, quid prophetice velint. 1.113.c
 Cænæ quatuor nuptiales, & octo Epithalamia
 qualiter B. Virgini accommodari debeant. 1.
 129.c.130.132.c

Cognitio.

Cognitionis sui necessitas. 2.266.b
 Cognitio suæ dignitatis & defectuum. 2.267.b
 Cognitio matutina, & vespertina quæ. 1.121.a

Commentarius.

Commentarij huius institutio, & ratio exponi-
 tur. 1.48.c
 Eius structura. 1.49.b

Concarnatio.

Concarnatio tertia quid notet. 1.53.c
 Quid multiplex concarnatio.

Concupiscentia.

Concupiscentiæ prægnatium quomodo sunt de-
 sideria infantium. 2.11.c

Coniux.

Coniugij indissolubilitas unde peratur. 1.47.b
 Vinearum coniugia. 1.194.a
 Coniugia vino stabilita apud Hebræos. 1.209.a
 Emptione peracta. 1.371.a
 Coniuges consortes fiunt eiusdem dignitatis, &
 quare. 2.61.b
 Coniuges suspiciosi tria verentur, & quæ. 1.220.c

Coniunctio.

Coniunctio Christi cum anima matrimonium
 non est, & quare. 1.47.b

Connubiale.

Connubiale præceptum quod. 1.139.a

Conseruatio.

Conseruatio vitæ nostræ quæ sit ex meritis Bea-
 tæ Mariæ Virginis. 2.113.c

Conuiuium.

Conuiuia nuptialia. 1.159.c
 In illis sponsa mensis imperabat. ibid.
 Conuiuiorum Rectores, Induperatores, & Reges
 dici soliti. 1.159.c
 Conuiuium nuptiale quater repetitum quid no-
 tet circa animam iustam, & quidem quid no-
 tet prophetice. 1.120.b
 In cœuiuis Hebræi vngueta adhibebat. 1.188.b
 Nardo tempora in iis perfundebant. 1.188.c
 Item in iis Coronæ nardinæ. ibid.
 Conuiuij magister corona oblata constituebatur.
 1.189.b
 Sponsæ locus in conuiujs quis. 1.191.a
 In his puluina epularia ex qua materia. ibid.
 In his puluini rosis facti. ibid.c
 Modus discumbendi initio conuiuij. 1.213.c
 In his quæ amoris significationes. 1.209.b
 Conuiuij Regis munus quodnam. 1.160.b
 Hebræi in conuiujs Musicā adhibebat. 1.162.c
 Conuiuij Princeps Estiator dictus. 1.160.a

Cor.

Corde Sanctorum domus eburneæ, & quomodo.
 2.21.c

Corona.

Coronæ nuptiales ex qua materia. 1.251.c
 Quod earum vsus spectaret. ibid. & 252
 Quare ex floribus. ibid.a
 Coronam à sponsa accipiebat sponsus apud Gen-
 tiles. 1.252.a
 Sponsa verò à matre. ibid.

Cothurnus.

Cothurni quid. 1.295.a

Crater.

Crater poculis non egens, quid notet. 1.342.a

Crinis.

Crines capere vittis, vel plicate idem quod nu-
 bere. 1.347.c
 Crinis vnus quid apud Iudæos. 1.274.c
 Crines pro capillorū discriminib. multis. 1.275.a

Crobylon.

Crobylon quid esset apud Persas. 1.349.a

Index Rerum.

Crus.

Crura sponsi quomodo sicut columnæ marmoreæ. 1.317.a
 Quomodo fundatæ super bases aureas. ibid.c

Cruis.

Cruis Christi thalamus fuit. 1.6.b
 Cruis paradisum restituit. 1.114.b

Cubiculum.

Cubiculum pro aula ubi thalamus genialis. 1.241.a

Culpa.

Culpa hæreditaria. 1.123.b

Currus.

Currus Ægyptij. 1.183.c
 Currus sponsi quomodo ex virtutibus constructus est. 2.285.a.b
 & quibus. ibid.c
 Item quomodo ex quatuor Euangelistis. ibid.
 & quare. 2.286

Currus & quatuor eius animalia Ezechielis exponitur. ibid.b.c
 Currus nuptialis cum curru Ezechielis concordia nobilis. 2.292.b.293.& seqq.
 Currus animæ à vitio ad honestatem perlata. 2.301.c
 Currus constructus ex quatuor animæ facultatibus. 2.302.a
 Currus descriptio quo iusti ad perfectionis culmen ducuntur. 2.306
 Currus B. Mariæ Virginis. ibid.c.& 307.b
 & virtutes quæ illum construunt, quæ. ibid.c
 Quis currus, lectus, siue lectulus dicebatur. 1.247.a
 & quare. ibid.
 Eius columnæ. 1.248.c

Cyprus.

Cyprus, vel Cyperus differt à Balsamo. 1.92.a
 Cypri in vineis Engaddi, & quomodo botri Cypri dici possent. ibid.c
 Botri Cypri expositio germana. 1.193.a
 Item aliæ expositiones. ibid.

D.

Dapes.

Dapes meridiane aut nullæ, aut leuissimæ apud Hebræos erant. 1.111.a

Dea.

Dea Numeria quæ. 2.76.b

Decora.

Decora in delitiis quid significet. 1.350.c.351.a

Defunctus.

Defuncti solemani ritu abluti & vncti. 2.9.b

Demeritum.

Demerita Patrum Christum accelerant. 2.12.b
 & quomodo. ibid.

Denarius.

Denarius numerus perfectus Deum notat, & quare. 2.76.b

Dens.

Dens ouinus innoxius. 1.259.c
 Dentes humani omnino similes ouium dentibus. 1.260.a
 Dentes iuniorum ouium quales. Item prouecturum. ibid.b

Dentes sponsæ quomodo sicut greges tonsarum. 1.259.a
 Alia huius similitudinis expositio. ibid.b
 Germana item. 1.260.a
 Dentes ouium aliorum animantium dentibus antecellunt, & quare. 1.259.c

Desiderium.

Desideria Patrum Christum accelerant. 2.12.b
 Desideria eorum pro eorum meritis. ibid.
 Desiderium cum fide præire solet dilectionem. 2.22.c
 Desideria ad charitatem dispositiones sunt. 2.23.a
 Desiderium cordis vox est. 1.120.c

Deus.

Deus quomodo Ecclesiæ veteris culturam in Verbi incarnatione deproperauit. 2.13.a
 Dei filij sponsæ quatuor, & quæ. 1.42.c
 Deus erga homines quomodo nutricem benignissimam egerit. 2.29.c
 Deus filius quare suadeat sponsæ Ecclesiæ, vt domi se contineat. 2.256.c
 Inter Deum & Synagogam nullæ nuptiæ, & quomodo. 1.122.c

Diadema.

Diadematis sponsi expositiones variæ. 1.252.c
 Per illud concluditur tantum coronam regiam intelligi, & quare. 1.253.b

Dibapha.

Dibapha quæ. 1.305.a

Dies.

Dies spirituales quomodo distincti matutino, & vespertino tempore. 1.117.a
 Vnu smundianæ durationis dies. manè ante Christum, vespera post Christum, ex Theophylacto. 1.111.a
 Quinque dierum nuptialium numerus qualiter animæ iusti accommodari possit, & debeat. 1.114.c
 Prima dies allegoricè de anima iusta exposita. 1.118.c
 Secunda dies de eadem explicatur. ibid.
 Item tertia de eadem. 1.119.b
 & denique quarta de eadem, & quinta explicantur. ibid.c.& 120

Dierum vitæ B. Virginis numerus. 1.125.b
 Dies quinque nuptiales qualiter B. Virgini accommodari debeant. 1.121.c
 Dies nuptiarum quæ sit prima, secunda, tertia, quarta & quinta apud Hebræos, & quænam tum ab sponso, & eius amicis, à sponsa, & eius pedissequis solemniter gererentur. 1.19.20. 21.22.& 23

Dies quinque nuptiarum apud Hebræos solennes, omnes Ecclesiæ perseuerantis ætates ad finem vsque adumbrabant. 1.76.b
 Quod & suadetur. ibid.

Dies septem conditionis mundi, adumbrant septem illius durationis ætates, siue septimanam mundi. ibid.c
 Quomodo Irenæus dierum illorum septem enumerationem conditionis orbis conformet. ibid.
 Quomodo S. Augustinus. 1.77
 Quomodo multi alij. ibid.b

Dies mundi sex. ibid.
 Die sexta, id est, ætate mundi, Christus venisse dicitur. ibid.
 Dies durationis mundi septem numerari debent ante

Index Rerum.

- ante eiusdem consummationem & Beatorum
requiem in cœlo. 1.77.c
- Dies octava, non septima Beatorum requiem re-
præsentat. 1.78.a
- Dies mundana septimana æquales esse non de-
bent, & quare. 1.82.a
- Dies tres medij nuptiales à Christi morte ad fi-
nem mundi partiti primus sub Apostolis &
viris Apostolicis, qui & iuventus Ecclesiæ
dici potest, secundus sub Martyribus per 10.
persecutiones, qui & vigor dici potest, ter-
tius sub Doctoribus, qui & senectus dicitur. 1.
83.b
- Dies hi tres medij, Christi & Ecclesiæ nuptia-
les sunt. ibid. c.84
- Secunda dies sponsæ in hortis primitiuos
Christianos notat mundo renuntiantes.
1.104.a
- Dilectus.*
- Dilectus sponsæ similis capræ, & quomodo. 1.
218.b
- Dilectus à dilecto, quis loquendi modus. 1.
303.a
- Quare Sulamitis sponsus dicatur à filiis Ieru-
salem Dilectus ex dilecto. ibid. b
- Quomodo dictus candidus & rubicundus. 1.
304.b.c
- Disciplina.*
- Disciplina quam sponsus tradebat prima nuptia-
rum die, qualis. 1.363.c
- Diuina.*
- Diuinæ naturæ in nos transfusio quomodo in-
telligenda sit. 2.66.c
- Doctor.*
- Doctores Hebræorum annulo donati soliti, &
quid notet hic ritus. 2.145.a
- Doctrina.*
- Doctrina legis vino comparata, & Euangelij
lacti, & quare. 2.29.c.30.a
- Doctrina Euangelij quomodo dici possit oscu-
lum Verbi. 2.16.b
- Domus.*
- Domus & cubiculum quæ differant. 1.361.a
- Domus pro cœnaculo. 1.241.a
- Donum.*
- Dona antenuptialia quomodo arrhæ dictæ, &
quare. 2.20.c.21.a
- Dormio.*
- Dormire inter medios Cleros quid sit. 1.228.b
- Dos.*
- Dos Ecclesiæ quænam sit. 2.21.a
- Dos Ecclesiæ Christi corpus illi traditum. 1.
66.a
- Dotabantur sponsæ à viris. ibid.
- Duco.*
- Ducere pro nubere. 1.100.c
- Duellum.*
- Duellum geniale quodnam. 1.212.a
- E.**
- Ebrietas.*
- E**brietas in mysteriis sensum habet. 1.211.c
- Contra Ebrietatem vnguenta. ibid.
- Item poma, & quæ. ibid.
- Beatitudinem & amorem significat Ebrietas.
1.212.a
- Ebrietatis antidota quæ. 1.212.a
- Ebur.*
- Ebur pro colore albo. 1.344.b
- Ecclesiæ.*
- Ecclesiæ initium & progressus per comparatio-
nem cum quinque diebus nuptiarum Hebræa-
rum. 1.102.c
- Ecclesiæ clades tempore Antichristi quæ. 1.103.a
- Ecclesia de Eucharistia cessante lugebit. 1.110.a
- Ecclesiæ restitutionis figura. 1.114.a
- Ecclesiæ & Synagogæ vnitas. 1.52.a
- Ecclesia gentium quare gentium dicta. ibid.
- Ecclesiæ mater cœtus infidelium dicitur & Ba-
bylon. 1.53.a
- Ecclesiæ & Synagogæ discrimen. 1.93
- Quandonam Ecclesiæ videri, & videre inte-
grum fuit. 1.97.a
- Inter persecutiones Ecclesia non vsque adeo
latuit vt videri quasi per flammeum non
potuerit. 1.99.b
- Quare Ecclesiæ pulchritudo non patuit om-
nino in persecutionibus. ibid.
- & quandonam tota illius pulchritudo ap-
paruit. 1.99.c
- Ecclesia ex duplici hominum genere, sæcula-
rium scilicet, & Religiosorum constat. 1.
102.b
- Ecclesiæ à Iudæis translatio comparata cum tra-
ductione Israël ex Ægypto. 1.182.a
- Ecclesia fidelis est sponsa, & vxor Christi. 1.
49.c
- Ecclesiæ ætates recensentur. 1.81.c
- Ecclesiæ concordia & fides Cantico Salomonis
adumbrata. 1.85.a
- Ecclesia Romana sensu quidem accommodati-
tio Cantici dici potest Christi sponsa, litte-
rali verò non nisi omnes totius orbis Eccle-
siæ. 1.91.a
- Ecclesia quomodo vna & multiplex dicatur. 1.
92.c
- Quo tempore Ecclesia liberius pateat. 1.95.a
- Ecclesiæ cognitio ænigmatica tenui velamine
sponsæ notatur. 1.97.a
- Ecclesiæ ætas tertia mysteria fidei videt clarius.
1.97.c
- A sanctis Doctoribus erudita. ibid.
- Ecclesiæ Doctores sponsæ pallium tollere notat.
1.98.a
- Ecclesia Dei visibilis est, non inuisibilis. ibid. b
- Ecclesia Dei reuelata & manifestata est. ibid. c
- Ecclesia inter zizania crescens semen est. 1.
99.b
- Ecclesia quomodo, & quando in gynæceo fuis-
se dicitur. 2.6.b.c
- Ecclesia non est sponsa nisi in quantum vna est.
2.59.b
- Vnde vna oriatur. ibid.
- & quæ illam vnitatem efficiant. ibid.
- Ecclesiæ multæ significatæ per pedissequas mul-
tas sponsæ. 2.59.60
- Ecclesiæ regia dignitas probatur. 2.61.b.c.68.b
- Tam spiritalis, quàm temporalis. Item di-
gnitas sacerdotalis. 2.68.c.69
- Ecclesia quomodo dicatur trahi ex lege. 2.127.a
- Item à Iudæa quomodo postulet se extrahi.
ibid. b
- Ecclesiæ vniuersalis authoritas designata. 2.
129.b
- Ecclesia quomodo nigra dicitur vt tabernacula
Cedar,

Index Rerum.

- Cedar, & formosa sicut pelles Salomonis. 2.183.c.184
- Ecclesia quomodo fatetur se ad Christi nuptias indotatam venisse. 2.197.b
- Quomodo à Sole decoloratam se asserat. 2.196.b.199.c
- Ecclesie translatio à Iudæis prophetata. 2.202.c
- Ecclesia, quomodo & quare postulet sibi indicari eum quem diligit. 2.227.a.b.c.228.c
- Quomodo timeat vagari post greges sodalium Dei, & quare. 2.29.a.b
- Ecclesia quare nomen sponsi sui non appellet. ibid.c
- Ecclesia præsentis sæculi quare meridies dicta. 2.246.c
- Ecclesie gynæceum quodnam fuit. 2.144.c
- Ecclesie cultura duplex, & quæ. 2.175.b
- Ecclesia quomodo se nigram appellet, deinde formosam. 2.176.b.177.c.178.b
- Vnde Ecclesie nigredo. 2.176.c.177.a
- Ecclesie facies cum idolis seruebat, qualis. 2.180.b
- Effigies.*
- Effigies Saluatoris quare pingi solita dextera manu erecta, elatis duobus digitis, & reliquis compressis. 2.83.c
- Effusio.*
- Effusio olei quomodo sacerdotium Christi animæ donatum per gratiam notet. 2.88.c.89
- Quomodo ex illa effusione doctrina in nos deriuetur. 2.89.c
- Egrediendi verb.*
- Egredimini, & videte filie Sion quomodo sponsæ fuerint verba. 1.251.c
- Egressus primus sponsæ cur ad vineas. 1.216.b
- Emissiones quid notent. 1.278.b
- Quid apud Hebr. 279.a.b.c
- Engadditanus.*
- Engadditanus saltus ante alios amœnus. 1.105.c
- Idem est cum Valle Achor. ibid.
- Vulgò ab Hebræis dicitur Edem, id est, Paradisus Domini. 1.106.a
- Engaddi ager vineis & balsamis florens. 1.192.a
- Epithalamium.*
- Epithalamia quinam scripsere. 1.5
- Epithalamiorum artem à Salomone arripuere Græci ex Origene. ibid.
- Epithalamium vnde dictum. ibid.
- Epithalamia vespertina & matutina apud veteres, quæ. 1.6.&7
- Matutinis excitabantur sponsi, vespertinis in soporem inducebantur. ibid.
- Quæ omnia etiam ex sacris literis hinc ibidem probantur.
- Canebantur tam à virginibus pedisequis, quàm à viris. 1.9
- Magis tamen proprium puellarum pedisequarum fuit. ibid.
- Epithalamiis intererant amici sponsi, & pedisequæ sponsæ. 1.8
- Amicorum erga sponsum munera quatuor præcipua hinc exponuntur. ibid.
- Epithalamia octo, quatuor vespertina, matutina quatuor. 1.24
- & quidem alternatim decantari solita. ibid.
- Peculiaris singulorum thesis. ibid.
- Eorum argumenta. ibid.c, & 25.26.27. vsque
- ad 35. enarrantur eruditè, quæ propria erant singulorum, tam matutinorum, quàm vespertinorum.
- Epithalamij quarti matutini argumentum, quodnam. 1.242.c
- Epithalamij quinti vespertini argumentum. 1.270.c
- Epithalamij sexti argumentum. 1.291.c
- Epithalamia vespere & manè per vices cantata, quid significant. 1.120.c.1.121.a.b
- Epithalamia octo Cantici Salomonis, qualiter de B. Virgine explicari debeant. ibid.c
- Epithalamij secundi argumentum. 1.216.c.217.a.
- Præcipuum. 1.220.b
- Epithalamium vespertinum in somnos desinit. 1.235.a
- Epithalamij tertij argumentum. ibid.
- Epithalamia matutina & vespertina ad nuptias Christi & Ecclesie translata, quid significant propheticè. 1.84.c
- Epularis Rex.*
- Epularis Regis partes quæ. 2.147.b
- Equa.*
- Equa pro fœmina pulchra, & quare. 1.180.b
- Equitatus.*
- Equitatus variè sumptus. 1.78.b.c.182.b
- Equitatus meo in curribus, variè exponitur. 1.180.181
- Eucharistia.*
- Eucharistia perpetuum conuiuium. 1.70.b
- Eucharistie tribuitur carnis nostræ resurrectio, immortalitas, & dotes gloriose. 1.67.b
- Eucharistie sacramentum epulum est nuptiale. 1.107.
- & cur. ibid.
- Nullò die instaurari cessabit vsque ad vltimum diem. ibid.c. & 108
- Eucharistia iuge sacrificium. 1.108.c
- Nullum est momentum quo alicubi Eucharistia non imoletur. ibid.
- Eucharistie sacrificium per tres annos, & sex menses ex Irenæo defecturum est, Sacerdotibus ab Antichristo in fugam versis. 1.108.c.109.b
- Vna autem ex rationibus huius cessationis sacrificij, erit defectus materie ex fame in his extremis temporibus vehementer grassatura. 1.109.c
- Ecclesia de Eucharistia cessante plorabit. 1.110.a
- Eucharistia quare cœna appellata. 1.100.c.111.a
- Eucharistia quid sit incipientibus, quid perfectis. 1.112.b
- Eucharistia per cœnas Salomonis Cantici denotatur. 1.113.b
- Eucharistia solitudinem exposcit. ibid.c
- Eucharistia arbore vitæ figurata. 1.114.b
- Eucharistia vnionem hominis iusti cum Christo non tantum secundum animam, sed etiam secundum carnem adducit. 1.120.b
- Eucharistia desiderata à Patribus, & Prophetis, non produxit illis gratiam ex opere operato. 1.131.a
- Patres, & Prophetæ spiritualiter Eucharistiam sumpserunt. 1.131.b
- Eucharistia perficit, & absoluit consummationem matrimonij spiritualis Christi cum Ecclesia, quod & probatur. 1.61.a.b.62.b
- Eucharistia carnem nostram & Christi vnã carnem

Index Rerum.

- carnem efficit. 1.61.c
 Nos Christi concorporeos, & consanguineos facit. ibid.
 Homo in Eucharistia Christum in suam carnem non conuertit. 1.64.a
 Nec Christus nostram in suam. ibid.
 Eucharistia vsus propria forma est consummationis matrimonij Christi cum Ecclesia. 1.66.b
 Quod hic probatur ex Patribus, Theologis, & ratione. ibid. & 67.68.b
 Eucharistia conuiuium est quod Christus pro suis, ac Ecclesie nuptiis celebrandis exhibuit. 1.70.71
 Eucharistia Christi vber. 2.19.b
 Effectus Eucharistia proprius quis. 2.27.c. & 2.151.a

Exemplum.

 Exemplorum notitia quomodo odor vnguentorum dicatur. 2.141.a
 Exempli vis distincta à gratia virtute. 2.133.a

Expolio.

 Expoliaui me tunica, &c. qua mente à Salomone dictum sit. 1.295.c

Expositio.

 Expositio versiculi difficilis media charitate construit. 1.249.c.250.c
 Expositio versus primi capituli quarti Cantorum. 1.253.c
 Variæ lectiones huius hemistichij absque eo quod intrinsecus later. ibid. & 1.254.c
 Tandem germana. 1.255.b.c.256.a. & 257
 Exponitur iste: Omnis gloria filia regis ab intus, &c. 1.256.b
 Expositio versiculi, Vadam ad montem Myrrhae, &c. 1.268
 Cuius sint hæc verba, an sponsa, an sponsi. 1.267.b.268
 Expositio versus, Veni de Libano, &c. 1.271.c. & 272.b
 & quorsum ex tam remotis montibus sponsa euocetur. 1.272.a
 Germanus tandem eiusdem versus sensus quis. 1.272.c
 Expositiones variæ versus istius, Veni in hortum meum, &c. 1.288.a.b
 & tandem germana. 1.289.a
 Expositiones versus, Ego dormio, & cor meum vigilar. 1.389.c
 Verba hæc à Sulamite dicta sunt. 1.290.a
 Cor meum vigilar, id est, sponsus, & quare. 1.290.a
 Expositio germana versus, Dum esset Rex in acubitu, &c. 1.189.b
 Expositiones variæ versus, Inter vbera mea commorabitur. 1.190.b
 Omnium maximè cohærens. ibid.c
 Expositio germana versus, Ego flos campi. 1.201.b.c
 Expositio germana versus, Laua eius sub capite meo, &c. 1.213.a.c
 Expositio versus, Adiuro vos, &c. & quidem maximè cohærens. 1.214.b
 Expositio communis versus istius, En dilectus meus loquitur mihi. 1.220.c
 Germana. 221.b
 Expositio communis versus, Surge amica mea, speciosa, &c. 1.226.c.227
 Germana. 1.228.b

Salazar in Cantico.

 Expositio versus, Capite nobis vulpes. 1.230.b.c
 Expositio versus, Donec adspiret dies, &c. & an matutino tempore sit tribuendus, an vespertino. 1.231.b.c
 Communis interpretatio. 1.232.b
 Supponuntur aliqua ad germanam illius expositionem. ibid.c
 Germana tandem expositio. 1.234.b
 Expositio germana versus, In lectulo meo per noctem, &c. 1.236.c
 Expositiones variæ versus, Aperi mihi foror mea sponsa, &c. 1.293.a
 Germana. ibid.b.c. & 1.294
 Expositio versus, Inuenerunt me custodes, &c. 1.301.c
 Expositio versus, Adiuro vos filia Hierusalem, &c. 1.302.b.c
 Expositio germana versus, Manus eius tornatiles, &c. 1.313.c.1.314.a
 Expositio versus, Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis. 1.339.a
 Expositio versus, Apprehendam te, & inducam in domum matris meæ. 1.361.b.362.c
 Expositio prima versiculi, Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delitiis affluens. 1.366.a.b. & alia. 1.366.b.c
 Expositiones variæ versiculi, Sub arbore malo excitauit te, &c. 1.367.c.367.369
 Expositio versus, Pone me vt signaculum super cor, &c. 1.369.c.370.a
 & germana quidem. 1.372.a
 Expositio versus, Fortis est vt mors dilectio. 1.370.b.c
 Expositio germana versus, Vineam pacifico, &c. 1.381.b.c. & 1.382.b
 Expositio mystica versiculi, Osculetur me osculo oris sui, de anima. 2.20.b
 Expositio eiusdem versus, Osculetur me, &c. sed hypermystica de B. Virgine. 2.31.c
 Exponuntur verba; Quia meliora sunt vbera tua, &c. 2.57.a.b. & quidem de B. Mariæ Virginis vberibus.
 Expositio versiculi, Post te curremus, &c. & quidem prophetica de Ecclesia. 2.128.b
 Expositiones variæ ex sanctis Patribus, circa eadem verba. 2.128.c.129.130.133.a.b
 Expositio mystica de anima, Trahe me post te, &c. 2.131
 Item eiusdem versiculi expositio hypermystica de B. Virgine. 2.137.c
 Expositio prophetica de Ecclesia circa versum, Introduxit me Rex in cellaria, &c. 2.144.b
 Expositiones variæ circa versum, Nigra sum, sed formosa. 1.166.b.c
 Tandem eius germana explicatio. 1.167.a.b. 168.a
 Expositiones variæ istius versus, Si ignoras te, &c. 1.175.a.b.c.176
 Tandem germana affertur. 1.177.b.c
 In eoque sponsus loquitur, & quare. 1.177.b
 Expositiones variæ versus, Equitatu meo in curribus Pharaonis, &c. 180.1.181.182. luculenter. 1.183.c
 Expositio versiculi septimi, & quidem prophetica de Ecclesia antiqua, Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, &c. 2.255.c
 Tribuuntur hæc verba primò pedissequis sponsa. 2.257.a
 Secundò sponso ad Synagogam, & melius, & quomodo. 2.258.a

Index Rerum.

- Aliz expositiones minus idoneæ, de Ecclesia ex Patribus congeruntur. 2.259.260
- Expositio eiusdem versiculi, sed mystica, de anima scilicet. 2.261.b
- Item aliz variæ expositiones de anima eadem. 2.262.263.266.& seqq.
- Eiusdem versiculi expositio hypermystica de B. Virgine. 2.276.b.c
- Expositio prophetica de Ecclesia versus, Equitanti meo in curribus, &c. 2.277.b
- Germana inter omnes. 2.284.b
- Mystica. 2.301.a
- Hypermystica. 2.305.b
- Exponitur quadriga Ezechielis prophetice quidem. 2.286.287
- Ignis in medio illius currus quid notet prophetice. 2.287.b
- Quid quatuor facies. ibid.c
- Quid quatuor pennæ. 2.288.b
- Quid pedes equorum recti, & plantæ quasi planta pedis vituli. ibid.c
- Quid rotæ illius. 2.289.b.c
- Quid earum structura. 2.290.a
- Quid firmamentum. ibid.c
- Expositio literalis currus Ezechielis. 2.291.c
- Variæ variorum circa currum istum expositiones. ibid.& 292
- Expositiones aliz prophetice currus illius, & illius partium. 2.297.c.298.& seqq.
- Expositio prophetica de Ecclesia, versus, Nigra sum, sed formosa, &c. 2.175.b
- Eiusdem expositio mystica de anima. 2.185.b
- Expositio prophetica de Ecclesia, versus, Nolite me considerare quod fusca sim. 2.196.a
- Eiusdem versus expositio mystica de anima. 2.204.a
- Eiusdem expositio hypermystica de B. Maria Virgine. 2.213.c
- Item variæ de eadem B. Virgine expositiones ex Patribus. 2.224.225.226
- Expositio prophetica versiculi, Indica mihi quem diligit anima mea, &c. 2.226
- Expositio versiculi, Indica mihi, &c. & quidem mystica de anima. 2.238.a
- Item aliz expositiones ex sanctis Patribus. 2.243.b.c.244.& seqq.
- Expositio eiusdem versiculi hypermystica de B. Virgine. 2.247.b
- Item aliz expositiones eiusdem versiculi. 2.250.c.251
- Expositio duplex mystica de anima, versiculi, Introdixit me, &c. 2.159.b
- Item hypermystica de B. Virgine. 2.164.c.165
- Expositiones duæ versiculi, Sicut tabernacula Cedar, &c. & quidem de Ecclesia. 2.179.b.c.180
- Exultandi verb.*
- Exultabimus & letabimur in ea, quomodo de pedissequis sponsæ exponi debeat. 1.162.a
- F.**
- Fama.*
- Bona **F**ama quomodo virginitati similis. 2.242.a
- Fasciculus.*
- Fasciculus quomodo exponatur. 1.189.c
- Qualis esset myrtiæ fasciculus. ibid. & 1.190.a
- Ex herba torra. 1.191.a
- Fauus.*
- Quid per fauum sponsus hinc notet, cum ait: Comedi fauum, &c. 1.287.b
- Femen.*
- Femen quid significet. 1.339.b. & 1.339.c.340.a
- Ferculum.*
- Ferculum variè expositum. 1.248.b
- Feretrum.*
- Feretri regij descriptio. ibid.c
- Ficus.*
- Ficus præcoqua quæ. 1.123.a
- Ficulnearum species duæ. 1.225.b
- Ficus fatua vrbana, & caprificus. ibid.
- Ficus sativa. ibid.
- Prudens est arbor. ibid.
- Fides.*
- Fides suapte natura in reuelatione nititur. 1.95.a
- Fides Ecclesiæ oculis velum detrahit ignorantie & insipientie. ibid.b
- Fidei mysteria clariora sunt circa finem mundi. 1.99.c
- & huius maioris claritatis figura. ibid.
- Propter fidem Deus visibiliter apparere dignatus est. 1.116.c
- Fides prima dies orbis conditionis. ibid.
- Fides est sponsalia nuptiarum animæ cum Christo. 2.20.b.c
- in Fide pactum est, & quale. 2.20.c
- Fidei ante iustificationem munera, quæ. 2.21.b
- Fideles.*
- Fideles Christiani quomodo Reges & vincti oleo Regis. 2.20.a
- Filia.*
- Filiæ Ierusalem quæ. 1.165.b
- Sponsæ sunt pedissequæ. ibid.
- Filij nuptiarum Apostoli à Christo appellati. 1.70.b
- Item omnes discipuli Christi, seu fideles, & quare. ibid.c
- Item filij regni & thalami dicti sunt. ibid.
- Filiæ vnguentariæ quæ. 1.188.c
- Filia multitudinis quid sit. 1.345.a
- Fimbria.*
- Fimbriæ quid apud Hebræos. 1.280.c
- Fistula.*
- Fistula quid sit. 1.278.c
- Idem cum Casia. ibid.
- Idem cum calamo odorato. ibid.
- Flamma.*
- Flamma Dei pro flamma vehementi. 2.369.c
- Flammei depositio quæ quarta nuptiarum die fiebat, quid significet prophetice. 1.94.c
- Flammeum nuptiale caput, faciem, & humeros ad vsque vbera tegens, quid significet in Ecclesia. 1.98.c.99
- Scilicet Pontifices, Episcopos, Doctores, & Christianos in Cryptis delitescens, persecutionum temporibus. 1.99.a
- Flos.*
- Flores & mala cydonia caput & cor roborant. 1.212.b
- Floruerunt mala punica, quomodo liceat exponi. 1.356.a
- Flos campi plura hinc significat. 1.200.b
- Eius

Index Rerum.

Eius interpretatio vera. 1.201.a
 Rosam significat. ibid.
 Item violam, vaccinium, &c. ibid.
 Flos pastorum, & gloria, quæ. 1.200.c
 Flos campi Rex dici potest, & quare. 1.201.a

Fons.

Fons signatus qualiter tribuatur sponsæ. 1.277.c
 Fons pro pureo, & vicissim. 1.182.a
 Fons quid significet. 1.283.c
 Fons hortorum qualiter sponsæ tribuatur. 1.282.b
 & vxori pudoratæ. ibid. & 283.a.b
 Vera ratio, & germana huius versiculi expositio. 1.283.b.284

Foramen.

Foramen quid notet. 1.297.b

Foris.

Vox quæ varias patitur explicationes. 1.359.b

Forma.

Forma discumbendi in conuiuio nuptialibus. 1.364.b
 Formam inuidentiæ, & detractio sequitur. 1.203.a
 Formulæ iurandi variz. 1.215.b

Frater.

Frater, à sponsa maritus appellabatur. 1.240.a
 Frater, & sugens vbera, &c. synonyma, & quare. 1.359.a
 Fratres pro ciuibus, vel affinis. 1.168.b

Frons.

Frons patula, pars pulchritudinis, & vnde frons dicta. 1.345.b

Fructus.

Fructus sponsi quid significant, & qui sint. 1.206.c.206.a

Fumus.

Fumi virgula quid. 1.244.c
 Quomodo columna dicatur. ibid.

G.

GAZA.

GAza quas ab Aegyptiis Iudæi abstulerunt, quid significant. 1.282.c.283

GENA.

Genarum & turturis analogia. 1.186.a
 Genarum sponsæ interpretationes variz. 1.186.a.b
 Quænam sit germana. 1.187
 Ex D. Bernardo. ibid.c
 Genæ sponsæ qualiter sicut fragmen mali punici. 1.261.b.c
 & quidem secundum exteriorem partem. 1.262.a
 Genarum color flos appellatus. 1.261.c
 Vera expositio similitudinis genarum sponsæ cum fragmine mali punici. 1.262.a.b
 Genæ sponsi, qualiter sicut aureolæ aromatum. 1.310.b.c.311.a

Generatio.

Generatio temporalis verbi quibus virtutibus tribuatur à sanctis Patribus. 2.57.c

Gens.

Gentes quomodo Christum desiderasse dicuntur quem non nouerant. 1.12.c

Salazar in Cantica.

Gentilitas.

Gentilitas ante Christi Incarnationem non fuit Deo desponsata, quod & probatur. 1.50.c.51.a

Gloria.

Quid sit à gloria in gloriam transformari. 1.27.a

Gratia.

Gratia inter animam, & Christum nuptias copulat. 2.20.c
 Gratia excitans quomodo arrha, & Spiritus sanctus. ibid. & 21
 Gratia qualiter est participatio naturæ diuinæ. 2.66.c.67
 Gratia nos Sacerdotes efficit, & quare, & quomodo. 2.89.b
 Gratiz potestas qualis. 2.133.a

Grex.

Greges sponsi qui. 2.257.b
 Greges qui, post quorum vestigia abire iubetur sponsa ab sponso. 2.264.b.c.265.269
 Post quos greges B. Virgo ire iubetur à Christo. 2.272.a.b.c.273.274
 Greges sodalium, qui. 1.171.a

Grossi.

Grossi dicuntur ficus præcoces. 1.225.b

Gutta.

Gutta Myrrha præciosior. 1.190.b
 Gutta humilitatem B. Mariæ Virginis notat, & quomodo. 2.47.c.49.b

Guttur.

Guttur sponsæ quomodo sicut vinum optimum. 1.354.a
 Guttur pro salua, & pro vocis suauitate. 1.353.c. ibid.
 Guttur quid sonet. 1.319.b
 Guttur sponsi qualiter suauissimum. 1.319.a.b.c

Gynæceum.

Gynæceum comparatum cum statu penitentiæ. 2.131.b
 Gynæceum B. Mariæ Virginis quodnam fuit. 1.137.c
 Gynæceum animæ penitentiæ est, & quare. 2.159.b
 Gynæceum positum in timore Dei, & quomodo. 2.25.c.26
 Item in scientia naturali, & quomodo. 2.27.b. ibid.
 Gynæcei descriptio. 1.9.c
 In Gynæceo per annum manebant assumenda ad regias nuptias. ibid.
 Hoc anno pigmentis, & vnguentis adhibitis sese excolebant. ibid.
 Quæ ad regias nuptias parabantur delicatioribus cibis alebantur, ad pulchritudinem. 1.10.b
 Post annum ad Regis palatium transferebantur. ibid.
 Gynæceo pedem efferre non licebat, & quare. 1.149.a

H.

Hebraismus.

Hebraismus præteritum pro futuro. 1.158.a

Et non in Hebraia

Index Rerum.

- Hebrais repetitiones familiares sunt. 1.216.a
 Hebræi tempus præfens sæpe pro præterito, & futuro vsurpant. 1.217.c
Hæreticus.
 Hæretici in tenebras fugiunt, & quare. 1.98.b
Hebdomada.
 Hebdomadam implere, quid sit. 1.82.b
 Hebdomadæ dies quinque extremi, dies erant nuptiarum apud Hebræos. 1.76.b
 Hebdomada virtutum. 1.116.a
 Hebdomadæ spiritualis dies virtutesque iis respondentes quæ. 1.117.b.c.118
 Hebdomada in B. Virginis vita qualis. 1.122.a
 Eiusdem dies antenuptiales, & nuptiales an sint. ibid.
 Videtur non fuisse. ibid.
 Idque rationibus suadetur. ibid.
 Hebdomada ætatum hominis quæ. 1.137.b
Helenium.
 Helenium quid & vnde. 2.6.c
 & ad quid aptum. ibid.
Herba.
 Herba castrorum quid significet. 1.336.c
Hessellanus.
 Hessellani argumento respondetur de demigratione Christi Domini in Eucharistia in carnem suscipientis, etiam indignè. 1.64.b
Hierosolyma.
 Hierosolymæ erant in edito. 1.321.a
Hippia.
 Hippia Platonis de pulchritudine vnde desumptum nomen. 1.180.a
Homo.
 Hominis septem ætates esse ostenditur. 1.78.a
 Ætates illæ recensentur. 1.82.b
Honorarium.
 Honorarium capiebant, qui in conuiuio gryphum enodauerant. 1.363.a
 & quale. ibid.
Hora.
 Hora Canonica prophetice significata à Salomone per sua Cantica. 1.86.b
 Comparatio inter horas canonicas omnes cum Epithalamiis nuptiarum tam matutinis, quam vespertinis. 1.87.b.c
 Earum cum illis concordia. ibid. & 88.b
Hortus.
 Horto quomodo similis sponsa. 1.277.c
 Cur in hortis ex Cantico Salomonis Christi Ecclesiæ nuptiæ dictæ sint, & quid significant prophetice. 1.100.a
- I.**
- Jacob.*
- I**acob quomodo in Lia deludi potuit.
- Ibex.*
- Ibex velocitas mirabilis. 1.218.c
Iesu.
 IESU nomen oleum in fonte Iehoua. 2.71.c
 Nominis Iesu Etymologia: varia. 2.72.a.
 b.c.2.73
 Quid significet. 73.c
 Quomodo sit salus. ibid.
 Quomodo salutare. 2.74.a
 Eiusdem nominis compositio quæ. ibid.
- Nomen Iesu in Catalogo prædestinatorum scriptum, & quomodo. 2.75.b
 Iesu nomen quomodo trilaterum, quadrilaterum, & quinqueliterum. 2.82.c
 Mysteria quæ in his numeris latent. ibid. & 2.83
 Iesu nomen quomodo Spiritum sanctum in Ecclesiam stillat. 2.85.a
 Iesu nomen omnia sacra nomina complectitur, & quomodo. 2.98.b
 Quomodo verè sit oleum effusum. ibid. b.c
 Chaldaicum est, vel Hebraicum. ibid. c. & 2.99.100
- Ignorantia.*
- Ignorantiæ genus duplex, & cognitionis ex Origene. 2.265.c
 Ignorantiam sui in quo ponat Nyssenus. 2.268.b
Ignoratio.
 Ignorantiam sui pœnæ quæ. 2.270.a.b.c
 Ignorare seipsum quid sit apud Honorium. 2.276.a
- Imperatiuus.*
- Imperatiuum pro futuro vsurpatum. 2.266.a
In.
 In pro inter, frequens in sacris literis. 1.321.a
Incarnatio.
 in Incarnatione B. Virgo nuptias cum Christo consummat, & quomodo. 2.52.b.c
 in Incarnatione inuenitur perfecta similitudo matrimonij consummati, non inter Christum & Ecclesiam, sed inter diuinitatem, & animam Christi ratione carnis assumptæ. 1.64.c
 & quomodo id fiat, exponitur. 2.65
 Incarnatio non est forma consummans matrimonium inter Christum & Ecclesiam, at natarum quidem efficit. 1.65.a
 Quonam consilio Deus incarnatus sit. 1.103.b
 Incarnatione Christi matrimonium carnis factum est. 1.122.c
- Infans.*
- Infantes matrum concupiscentiâ ocyus pariuntur. 2.24.a
 Matrum vbera ante respuunt, quàm rei concupitæ aliquid degustarint. ibid.
- Interpretatio.*
- Interpretatio Cantici Salomonis prophetica, eius germana, & literalis est. 2.3.b
 Hypermystica quæ. ibid. c
 Interpretatio prophetica de Ecclesia, versus, Trahe me post te, &c. 2.126.c.2.127.a.b
 Interpretatio versus, Botrus Cypri. 1.192.c
 Interpretatio versiculi, Amore languet. 1.211.a.b
 Interpretatio communis versus tertij, capitis tertij. 1.238.c.239
 & quidem germana. 1.239.b
 Interpretatio communis versus istius, Quæ est ista quæ ascendit, &c. 1.243.b
 Germana. 1.244.b
 & ad illam ponuntur aliqua notatu digna. ibid. 244.c
 Interpretatio communis versus, Vulnerasti cor meum, &c. 1.273.b.c
 Germana. 1.274.a
 Interpretationes difficiles versus, Comæ tuæ sicut purpura tincta carnalibus, &c. 1.348.b.c
 Tandem vera. 1.349.a
 Inter

Index Rerum.

Interpretationes versus, In portis nostris omnia poma. 1.357.c.358.b.c
 Interpretationum genus quodnam sit literale, mediatumne, an immediatum. 1.42.b
 Interpretationes huius libri diuersæ pro diuersitate sponfarum. ibid.
 Interpretationes variz circa illud, Trahe me post te, &c. 1.153.c.154
 Germana. 1.155.b.c
 Interpretatio germana versus, Introduxit me Rex in cellaria sua, &c. 1.258.b
 Triplex sententia circa eundem versum. 1.157.b

Inuidia.

Inuidia maximè inter sceminas. 1.201.b
 & quare. ibid.

S. Ioannes.

S. Ioannes Baptista quare dictus plus quàm Propheta. 1.57.c
 Ioannes duo, Baptista & Euangelista, quomodo duo Christi vbera. 1.19.a
 S. Ioannes Euangelista quomodo spongia dicatur applicata Christi pectori. 2.164.a
 Eiusdem Sancti laudes eximiaz. ibid.c

Ira.

Ira oris pulchritudinem corrumpit. 1.324.a
 Mansuetudo auget. ibid.

Iudæus.

Iudæi an Braccati fuerint necne. 1.317.b
 Iugalibus equis quænam faciant pondera leuiora. 2.279.c.280

Iunctura.

Iuncturæ femorum sponsæ quomodo sicut monilia. 1.339.b.& 1.340

L.

Labra.

Labra sponsi quomodo myrrham stillantia. 1.312.a
 Labra sponsæ quomodo sicut vitta coccinea. 1.261.a

Lac.

Lacte lotæ, id est, aqua mundissima. 1.308.a
 Lactis & vini permixtio quid noter. 2.156.c
 Quid velit sponsus cum dixit, Bibi vinum cum lacte meo. 1.287.b

Lampas.

Lampades ignis atque flammæ, quid significant. 1.372.b

Languor.

Languor pro crapula. 1.212.a
 Languor sponsæ exponitur. ibid.b
 Languor ex amore dupliciter contingit, & quomodo. ibid.

Laquearia.

Laquearia quid. 1.197.a

Lauare.

Lauandi vsus solemnissimus ante nuptias. 2.8.a

Lectica.

Lecticæ apertæ apud Hebræos, quæ. 1.149.b
 De lecticæ vsu quædam. 1.247.c
 Lecticæ nuptialis à curru geniali discrimen. ibid.
 Eius structura. 1.248.249.a.b

Lectio.

Lectioes variæ versus, Fulcite me floribus, &c.

1.210.c.211.a
 Lectioes variæ vocis *descenderunt*, in versu primo, capitis 4. Cantic. 1.257.b
 Lectioes variæ huius versiculi, Tota pulchra es amica mea, &c. 1.268.c
 Eiusdem interpretatio. ibid. & 1.269
 Lectioes variæ huius versus, Quæ est ista quæ ascendit de deserto. 1.365.b
 Lectioes variæ versus, filia principis. 1.337.c
 Lectioes variæ versiculi, ne vagari incipiam, &c. 2.232.a.b.c.233
 Item aliæ variæ lectioes. 2.244.245.248.c.ad 250. & 2.252.ad 254

Lectulus.

Lectulus quid sonet hebraicè. 1.196.c
 Quid Græcè. ibid.
 Lectulus noster floridus multipliciter exponitur. 1.197.b
 An hæc verba sponsæ sint, an sponsi. ibid.
 Lectulus pro triclinari. 1.198.b
 & quare. ibid.

Lectus.

per Lectum quid intelligi debeat. 1.247.a

Legalia.

Legalia quare veniente Christo cessarunt. 2.6.a

Lex.

Lex Euangelica iugi vocabulo designata. 2.97.c
 Leges seueriores sponsæ ab sponso præscriptæ quæ, & quando, & vbi. 1.365.a

Libanus.

Libani nomine quid notetur. 1.271.a
 Eius lignum dictum thuriferum, & quare. 1.279.a
 Libani descriptio. 1.282.b

Libertas.

Libertas Ecclesiæ qualis. 1.96.b

Lilium.

Lilium conuallium quid significet, an rosam, an quid aliud. 1.200.b
 Aliæ interpretationes. ibid.c
 Lilium pudoris simulachrum. 1.202.c
 Lilium rubicundum. 1.311.b
 Lilium apud Hebræos quemlibet florem odoriferum notat. 1.311.c
 Lilia numerata inter alia mundi muliebris ornamenta. 1.265.c
 Quæ porro huiusmodi lilia essent. ibid.

Locus.

Locus in quo Christus reperiatur. 2.274.c

Longitudo.

Longitudo dierum quomodo in dextera Saluatoris. 2.84.a

Lux.

Lux dimidiata quæ. 2.93.a

M.

Maceria.

Maceria quid. 1.226.b

Maius.

Maius mense quare Romani à nuptiis abstinent. 1.138.b

Malus.

Malus quid in hoc Cantico sonet. 1.203.b
 Mali poma amorum symbola. ibid.
 Præcipuè Citrea, Cydonia, &c. ibid.
 Malo quare sponsa sponsum comparat. 1.203.c
 Laudes

Index Rerum

- Laudes ex his verbis refusa in sponsum. 1.
204.a
- Malus inter ligna sylvarum quomodo exponatur. 1.204.b
- Malum inter amantes celebre. 1.205.b
- Malum Cydonium ante nuptias degustatum. 1.205.b
- Illis Cydoniis stipari solebant tori conuiuarum. ibid.
- & quare. ibid.
- Mala morsu tacta amoris symbola. 1.207.a
- Malogranaea sceminarum ornamento nuptialia. 1.28.b
- Textilia. ibid.
- Mamma.*
- Mammæ duæ sponsi, duo Testamenta sunt. 1.157.a
- Mandragora.*
- Mandragoræ nomen quid notet. 1.356.c
- Mandragoræ odoratæ. 1.357.a
- Sterilitati succurrunt. 1.357.b
- Somnum afferunt. 1.357.c
- Amorem notant. ibid.
- Mantolia.*
- Mantolia unde dicta. 1.122.a
- Manus.*
- Manus tornatiles quomodo. 1.312.b.c.313.a.b
- Quomodo aureæ, & plenz hyacinthis. ibid.
- Maria.*
- Maria Virgo & mater Dei quomodo lilium inter spinas. 1.202.c
- Mariæ Virginis dotes ab initio. 1.122.a.b
- Ante Incarnationem non propriè Deo coniuncta est matrimonio, vt ei nulla anima. 1.122.c
- Præseruata est ne in Adami familiam veniret. ibid.
- Quomodo ab Adamo originem traxit. 1.123.a
- Terminus à quo B.V. translata est in domum Christi sponsi sui, qualis. 1.123.a
- in Maria debitum, non culpa est. 1.123.b
- Vel potius natura pura à parentibus ducta est. ibid.
- In cognitione lapsu temporis maximos progressus fecit. 1.123.b
- Ex quibus capitibus, & quot. ibid.
- Copiosius tamen tribus temporibus creuit hæc cognitio. ibid.
- Eminentius Apostolis cognouit. ibid.
- Apostolorum magistra fuit. ibid.
- Tripticem hanc scientiam manifestauit. 1.124.a
- Quomodo consummata ab initio conceptionis fuerit, & tamen creuerit. ibid.b
- in B. Mariæ vita septimanam quandam contemplari fas est. 1.124.c
- Mariæ excellentiæ operibus dierum orbis conditionis comparatæ. ibid.c. & 1.125
- Mariæ vita septem diebus distributa. 1.125.c
- 126
- Mariæ nuptiæ cum Christo, dies antenuptiales, & nuptiales quinam fuerint. 1.126.c
- Eius gynæceum quodnam. ibid.
- Translatio. ibid.
- Christi sponsi amicus ad Mariam missus, quis. 1.127.a
- Mariæ vt sponsæ Christo vt sponso traditio, quæ. ibid.b
- Quod eius velum, & reuelatio. 1.127.c.128.129.a
- Qualiter de ea portatio sponsæ ferretur in templum explicetur. 1.128.a
- Mariæ Corredemptrix, & causa salutis humanæ, & auxilium fuit. ibid.b
- Vbinam Mariæ coronetur à Christo sponso. ibid.c
- Mariæ Eucharistiam spiritualiter gustauit ante Incarnationem. 1.131.b
- Eius præparatio ad Eucharistiam. 1.132.c
- Mariæ omnia innocentie iura ab initio obtinuit. 1.133.a
- Mariæ cognitio vespertina, & matutina. 1.135.a.b
- Eiusdem Epithalamia matutina & vespertina. ibid.b.c
- Mariæ vita, vita Ecclesiæ. ibid.c
- Mariæ totius Ecclesiæ forma, imago, simulachrum fuit. 1.136
- Mariæ Christi non tantum Mater, sed sponsa est. 1.46.a
- Imò sponsa omnes Christi sponsas supereminens. ibid.
- Mariæ quare totius Ecclesiæ habebat auctoritatem. 1.46.c
- An sola, an verò vt pars Ecclesiæ, dici possit sponsa Christi ex hoc libro Canticorum secundum literam. ibid.
- Suadetur ratione, & Patrum auctoritate. ibid.
- Mariæ cum Christo coniunctio, germanum matrimonium dici potest, ratione indissolubilitatis, ex confirmatione eius in gratia. 1.47.c
- in Mariam conuenere maxima corruptibilitas, seu passibilitas, cum maxima incorruptibilitate. 183.b
- & cur. ibid.
- Mariæ dolorum causæ quæ, & quot. ibid.c
- Quomodo simul in Paradiso, & in exilio degebat. ibid. & 134
- Quare in Mariam Deus singulorum gratias contulit. 1.136.b
- Mariæ nomen oleo effuso comparatum. 2.98.a
- Eius interpretationes variæ, & eximie illæ quidem. 2.100.b.c.101.102. & seqq.
- Mariæ quare inter filij dolores & suos non interiecit. 2.108
- Quomodo Maria sit Domina Cribri. 2.119
- Quomodo Domina molæ. 2.120.b.121.a
- Mariæ nominis anagrammata duo. 2.124.a
- Mariæ vbera quæ. ibid.
- Martyr.*
- Martyres primi præsignificati iis quæ tertia die nuptiarum gerebantur. 1.94.c
- Mater.*
- Mater sponsæ apud Hebræos thalamum ornabat genero suo. 1.240.c
- & Mater sponsi cubiculum & reliquam suppellectilem parabat sponsæ. ibid.
- Matri nomen pro nomine auie. 1.239.c
- Item pro quauis nupta. 1.240.a
- Mater sponsi cælestis Ierusalem. 1.52.c
- Matrimonium.*
- Matrimonium duplex est, alterum ratum, consummatum alterum. 1.62.b
- Matrimonia fidelium Christianorum quare plusquam figuræ dicantur. 1.38.a
- Mors alia matrimonia dissoluit, sed Christi cum Ecclesia matrimonium sanat, & consummat.

Index Rerum.

- summat, & quare.* 1.60.c.61
 Matrimonia Gentilium quænam fuerint imagines nuptiarum Christi cum Ecclesia. 1.54.c
 Quænam Patriarcharum matrimonia fuerunt perfecta mysteria coniunctionis Christi cum Ecclesia. 1.55.a
 Quare æqualiter aliqua Gentilium Christianorum & veterum Patrum matrimonia Christi cum Ecclesia vnionis signa sint. *ibid.*
 Plura quidem sunt apud Christianos, quam apud Gentiles, & veteres Patres matrimonia, Christi cum Ecclesia matrimonium significantia, sed non perfectius. 1.56.a.b
 Quomodo antiquorum Patrum matrimonia perfectius dici possunt significare Christi matrimonium cum Ecclesia, quam Christianorum. *ibid.*
 Matrimonium item duplex est, alterum spirituale, mysticum alterum. 1.62.b
 Matrimonio iunctæ, quomodo vineas plures custodire dicantur. 2.214.c
 Matrimonij coniunctio aptè comparata cum equorum duorum biga. 2.277.c
 & quomodo. *ibid.* & 2.278
 Matrimonij Christi cum Ecclesia finis, quis. 2.279.c
- Meditatio.*
- Meditatio diuinorum vitam spiritualem alit. 1.120.c.121.a
 Quæ meditanda monteat D. Paulus. 1.120.c
- Mel.*
- Mel Scripturam notat, & quomodo. 2.46.b
- Mens.*
- Mens hominis, eius cubiculum, & quomodo. 2.163.a
- Meridies.*
- Meridies quid apud Patres notet. 2.231.c.232. & seq. & 2.236.a. & 243.b.c. 2.246. & 2.252.c. 253
 Meridies diei nuptiarum B. Mariæ Virginis cum Christo, quod tempus notet. 2.247.c
 Quodnam manè, & quæ vespera. *ibid.*
 Meridies cupiditatem significat, manè excitationem voluntatis, vespera iustificationem, & quomodo. 2.261.a
- Messias.*
- Messia nomen, Regem significat. 1.152.a
- Miles.*
- Militaria prandia. 1.111.c
 Militum excubantium locus, quis. 1.238.c
- Mina.*
- Minæ & munera fœminas labefactant. 1.372.c
- Misericordia.*
- Misericordia Christi in Incarnatione, in oleo, quo species vnguenti sacerdotalis miscebantur, designata. 1.119.c
- Misilia.*
- Misilia munera quæ. 1.278.b
- Mitra.*
- Mitræ ornamenta fœminea. 1.349.c
- Monastica.*
- Monastica vita quibus rebus labefactanda sit tempore Antichristi. 1.102.a
- Monilia.*
- Monilia talorum mulierum ornamenta. 1.340.b
 Monilia serpentes aurei, dicta. 1.184.c
- Mons.*
- Mons myrrhæ, mons Moria. 1.267.a
- Mos.*
- Mores sponsi faciles, cui similes. 1.219.a
 Mos in conuiuio Griphis, ænigmatibusque conueniendis ab Hebræis ad reliquas gentes manauit. 1.362.a
 Mos consummandi matrimonij apud Hebræos. 1.236.a
- Moyfes.*
- Moyfes quare de nuptiarum ritibus nihil Hebræis demandauit. 1.57.a
- Mulctæ.*
- Mulctam qualem ferebat, qui in conuiuio Griphum propositum non enodasset. 1.363.a
- Mundus.*
- Mundi duratio à prima conditione vsque ad finem septimana quædam est, quod & probatur. 1.76.b
 Mundi ætates recensentur. 1.80.b
 Mundi durationis partitio in tria spatia, legis naturalis, scriptæ, & Euangelicæ. 1.80.a
 Mundus iunior ex Paulo colligitur, cum Christus de cælo in illum descendit. *ibid.*
 Mundi ætates, & Ecclesiæ recensitæ à Tertulliano. 1.81.c
 Mundus ad Abrahamum infans, ab Abraham ad Mosen puer, à Moyse ad Christum adolescens. 1.82.83
 Mundus Chorus Christi. 1.85.b
 Mundus à mundo separatus quid sit. 1.103.b
 Mundi vtriusque differentia. *ibid.*
 Mundi muliebri Hebræi ornamenta quæ, & qualia. 1.185.a
- Munus.*
- Munera reuelatoria quæ. 1.9.c
- Murenula.*
- Murenularum nomine quid significetur. 1.184.c
 Murenulæ vermiculatæ argento quæ. 1.185.b.c
- Myrrha.*
- Myrrha apud Hebræos pro qualibet aromatum specie. 1.311.c
 Quomodo Myrrha sponsæ manus, dum sponso aperiret, stillauerint. 1.298.b.c. 1.299.a
 Myrrha prima B. Virginis virginitatem notat, & quomodo. 2.47.c
- Mysterium.*
- Mysterium nuptiale quid sit, & quodnam. 1.54.c
- N.**
- Nardus.*
- N**ardus quid. 1.188.c
 Nardus cum Cypro, & Croco, amat temperari. 278.c
- Nasus.*
- Nasus sponsæ quomodo sicut turris Libani. 1.345.c. 346.a.c
- Nigra.*
- Nigra sum, sed formosa, &c. variè à variis Patribus exponitur. 2.181. 1.182. & seqq. & quidem, prophetice de Ecclesia. *ibid.*
 Hypermystice de B.V. 2.189.a
 Item de B.V. aliæ minus quidem idoneæ. 2.194.a.b.c
- Nigredo*

Index Rerum.

- Nigredo.*
- Nigredo triplici modo euenit ex carentia lucis.
iuxta Aristotelem. 2.176.c
- Nigredo augens pulchritudinem. 1.166.c
- Nodus.*
- Nodus difficillimus de septennio conuiuij nuptialis soluitur. 1.16.c
- Item de hebdomada dierum nuptialium Iacob, & Liæ. 1.17.b
- Item nodus de die tertia nuptiarum factarum in Cana Galilææ. 1.17.c.18
- Nodus difficilis circa cõhærentiam temporis putationis, vocis, turturis, & vitis odoris. 1.223.c.224.a.b
- Nomen.*
- Nomen Iehouah nomen maritale ac nuptiale apud Hebræos. 1.72.b
- Nomen Adonai, quare Hebræi substituerent loco nominis Dei. ibid.
- Nomen effusum. 2.85
- Nominis Iesu compositio ex literis Hebraicis. 2.76.c.77.&c.
- Notanda.*
- Notanda quædam ad expositionem versiculi. Surge amica mea, &c. 1.227.c.228
- Notanda ad versum quæ est ista quæ ascendit. 1.365.b.c
- Nox.*
- Nox quid significet. 1.112.b
- Nuptiæ.*
- Nuptiæ efficiebantur Sabbato matutino tempore. 1.19.a
- Ante nuptias ex sponso oblati in consensum Virginis muneribus præmittebantur amicorum vota. 1.9
- Sponsus etiam ipse à sponsa petebat nuptias. ibid.
- Quas amici suadebant virgini. ibid.
- Imò donis. ibid.
- Nuptias Hebræi ghalamoth, id est clausas dicebant, quia ad nuptias vsque inclusæ latebant. ibid.
- Imò cum primum videndas se præbebant sponsæ peplo velatæ prodibant. ibid.
- In prima nuptiarum nocte noua nupta tradebatur sponso pallio virginum tecta, dextro tantum oculo libero. 1.15.b
- Hoc pallium seruabat vsque ad mane hesterni diei in quo primum faciem aperiebat sponso, accipiens ab sponso flammeum tenue, ad lumbos vsque tegens. ibid.
- Quot diebus agerentur nuptiæ apud Hebræos. 1.16.a
- Non vno, sed aliquot diebus. ibid.
- Quinque dies exterebant in iis. ibid.b
- Per quinque nuptiarum dies quid agebant Hebræi. 1.19.a
- Nuptialia symposia quæ, & quot apud Hebræos. ibid.
- Quatuor geniales cœnæ seu conuiuia exhibebantur in nuptiis pro quatuor vesperis. ibid.
- Nuptiarum die prima mane puella in gynæceo cum pedissequis, pigmentis expungebant sese. 1.19.b
- Vespere eius diei sponsus sponsæ vota faciebat cum amicis, nuptiasque petebat donis quibus amicis sponsa reuelabat faciem quam tradenda sponso velaret. ibid.b
- Quæ prima translatio sponsæ. 1.19.c
- Quomodo fieret, & in quem locum, ibid.
- Nuptiæ Verbi cum natura humana. 1.44.b
- Non sunt secundum naturam, sed secundum mysterium, & quare. ibid.
- Quare nuptiæ Verbi, & humanitatis ad litteram hoc libro Salomonis non explicantur. 1.45.b
- Sed nuptiæ Christi, & animæ. 1.45.c
- Et quidem sordidæ ante, per fidem autem & charitatem sponsæ. ibid.
- Nuptiarum veterum omnes ceremoniæ Cantico Salomonis continentur. 1.53.b
- Nuptiarum ceremoniæ præcipuæ ab antiquis Patribus obseruatæ ab Adamo fluxisse. Probantur. 1.56.c.57.a
- Ordo eorum quæ fiebant per quinque dies nuptiarum Hebræarum. 1.93.a
- Nuptialium rituum apud veteres Patres antiquitatis. 1.56.c
- Vniuersalitas. ibid.
- Illarum ritus præcipui tempus emptio, transductio sponsæ, vsus velaminis, cœnæ nuptiales, &c. ibid.
- Nuptiarum oblectamenta quæ. 1.70.a
- Quo sensu S. Ioannes dicit, agni nuptias celebrandas ante finem sæculi cum iam inde ab Incarnatione peragi cœperint. 1.75.b
- Quare Beatorum animæ non habent nunc nuptias propriè dictas. ibid.
- Quomodo intelligendi sunt Patres qui dicunt post resurrectionem carnis nuptias consummandas cum Christo. 1.75.c
- Nuptiæ veterum patrum cum pluribus vxoribus vnius Christi cum pluribus Ecclesiis conjunctionem significabant. 1.90.b
- Nuptiarum quintæ diei mane, quam Ecclesiæ ætatem designat. 1.102.c
- Vesperum eius diei Antichristum notat. ibid.
- Nuptiæ spirituum, & carnis. 1.122.c
- Nuptiarum dies qualiter B. Virgini accommodari possunt. 1.133.c
- Nuptiæ osculo, & datis dextris stabiliri solitæ. 1.148.a
- Nuptiales Regum vestes quales. 1.201.c
- in Nuptiali sacrificio non victimæ mactabantur, sed incendebantur Thymiamata. 1.245.b
- Nuptialia calceamenta. 1.338.c
- Nuptiæ Christi cum B. Virgine quando & quomodo consummata. 2.53.b
- Ante nuptias quomodo plures sponsæ, post nuptias verò quomodo vna tantum. 2.87.b.c
- Quare viri nuptias prius quam fœminæ postulerent. 2.151.c
- Personæ quæ admittebantur ad nuptias quæ. 1.89
- Quid propheticè notent. ibid.
- Romana tamen quasi princeps sponsa, & quare. 1.90
- Nuptui apud veteres aliquando tradebantur fœminæ, & viri Deas ducebant. 1.73.a
- Numerus.*
- Numerus spheræ quis. 2.76.b
- Nymphæa.*
- Nymphæa quænam loca fuerit. 2.7.c
- 46.c
- Obum*

Index Rerum.

O.

Obumbratio.

Obumbrare quid sit. 1.204.c.205.a
 Quid proprie. 15.a

Octo.

Octo Epithalamiorum numerus Cantici Salomonis qualiter animæ iusti accommodari debeat. 1.114.c
 Item quomodo accommodetur B. Virgini. 1.134.b

Oculus.

Oculi columbarum sponsæ, quare. 1.194.c
 Eorum interpretatio. 1.195.a
 Quales sint oculi columbarum. 1.195.c
 Ab oculis columbarum præcipua laus sponsæ ducitur. 1.196.b
 Oculi pigmentis illini soliti. 1.256.c
 Oculi sponsi quomodo vt columbæ, & quidem non vt oculi columbæ. 1.207.c
 Item quomodo oculi sponsi vt oculi columbarum. 1.308.b
 Quare sponsus dicat se in vno sponsæ oculorum vulneratum. 1.237.c
 Oculi aqua pura loti frequenter iuuantur. 1.308.c
 Oculi sponsæ quomodo comparens cum stagnis & piscinis. 1.345.a
 Oculi dexter virginitati, sinister nuptiis, quare tribuatur. 1.14.c
 Oculus vnus sponsæ liber, quid notet. 1.94.b

Odor.

Odoris vineæ effectus qui. 1.223.b
 Odor Sulamitis vibem ingredientis vnde. 1.244.c
 Odor oris sponsæ quomodo sicut malorum. 1.353.b
 Odores puerperis sæpe nocent, virgines vera roborant. 1.141.b

Oleum.

Oleum ante Christum magna penuria, post Christum magna copia, & vnde. 2.70.b
 Oleum effusum nomen tuum, exponitur propheticè de Ecclesia, & quomodo. 2.59.60
 Item de nomine Iesu. 2.71.c
 Item mysticè de anima, & quomodo. ibid. & 88.b
 Item hypermysticè de B. V. 2.91.c.92. & seqq. & quomodo. ibid.
 Oleum illud in maria effusum quomodo dicatur à LXX. Interpretibus exinanitum & euacuatum. 2.93.b.c.94
 Oleum effusum exponitur variè. 1.150.b.c.151
 Germana authoris expositio. 1.152.a.c
 Oleum colorem natiuum laborum splendidius prodit. 1.312.a
 Oleum quomodo notet contemplationem Dei. 2.46.b

Oratio.

Oratio sponsi ad sponsam deprecatoria, & inuitatoria. 1.224.b.c
 Eiusque motiua. ibid.
 Oratio clavis est omnium mysteriorum. 2.161.a
 Orationibus suis quid Beata Virgo peteret quandiu in templo erat. 2.49.c
 Ordinare charitatem quid sit. 1.210.a

Osculum.

Osculum nuptiale. 1.148.b

Salazar in Cantica.

Osculum & amplexus duo præcipui nuptiarum faciendarum ritus. 2.13.a.b

Quid propheticè de Ecclesia notent. 2.13.c

Osculum spirituale quale. 2.13.b

Osculi, & amplexus ab sponso desiderio quid Ecclesia postulet. 1.14.a

Osculi nomine Spiritus sanctus notatur, & quomodo. ibid.c

Osculum inuicem dari solitum in Ecclesia sub tempore mysteriorum. 2.15.c

Osculum duplicis vnionis, spiritus scilicet, & carnis vmbra. 2.15.c

Osculi nomine doctrina Euangelica, imò interne inspirata notatur, & quare. 2.16.b.c

Osculi simbolo pax petitur Ecclesiæ. 2.17.a

Quare osculum pacis symbolum sit. ibid.

Osculi nomine Ecclesia Spiritum sanctum efflagitat. 2.17.a

& quomodo. ibid.

Oscula Spiritus sancti, quot, quæ & qualia. 2.17.b

Osculi nomine vsus Eucharistiæ notatur. 2.27.c

Item Dei illustrationes. 2.28.a

Osculi genus triplex, & quomodo & quale. 28.c

Osculum Christi quandonam B. Virgo exposcit. 2.50.b. & 51.b

Quid per osculum illud significetur. ibid.

& quæ oscula petebat. ibid.

& quos amplexus expeteret. ibid.c

Osculum ratum & consummatum matrimonium notat, & quomodo. 2.51.c

& quomodo id factum sit inter Christum & B. Virginem. 2.52.b.c

Osculum quod B. V. petit quid significet. 2.53.b. c.54.a

P.

Pactio.

Pactio sponsalitia quare nuptiis præmitti debeat. 2.32.b.33.34

Pactum sponsalitium quare coniugio præmitti oportet. 2.21.a.b

Pallium.

Pallia virginum & scortantium paria. 1.172

Pallium pro flammeo. 1.300.c

Pallio quomodo sponsus puellam apud Hebræos obnubere dicitur. 1.15.b

Palma diuturnitatis simulachrum. 1.351.c

& quare. ibid.

Eius ascensus facilis. 1.352.b

Panis quotidianus quis. 1.108.a

Parabola 10. virginum vnde, & ex quo ritu desumpta. 1.57.b

Paradisus.

Paradisus terrestris Ecclesiæ orthodoxæ vita. 1.104.c

Eius arbores ex D. Cypriano Christi fideles sunt, 4. flumina quatuor sunt Euangelia. 1.164.c.105

Quæ in eo fuerunt prophetica futurorum indicia. 1.105.a

Paradisus Ecclesiæ vmbra. 1.105.a

Differt ab horto. 1.279.c

Paradisus est lætitia bonæ conscientie. ibid.

Parens.

Parentes vtriusque sponsi assignantur. 1.53.a

Partes veteri vsu fercula, dictæ. 2.45.b

Pasci quare sponsus & sponsa dicantur inter lilia. 1.231.a

Pasci in liliis quid. 1.267.a

Index Rerum.

- Pascatur actiuè, & passiuè potest accipi.* 1.321.a
Passio.
- Passio Christi non fuit forma consummationis matrimonij Christi cum Ecclesia, & quare.* 1.65.c
In ea Christus tradidit quidem pro sponsa sua corpus suum, sed non ipsi tradidit. 1.66.a
Quo sensu passio hoc matrimonium consummasse dici possit. ibid.b
Passio Christi quomodo per meridiem notata. 2.253.b
- Pastor.*
- Pastoris cura appositè regias curas notat.* 1.234.c
Pastoritiam vitam virgines ante nuptias agere solitæ apud Hebræos. 1.176.c
Patrum antiquorum matrimonia, an fuerint typus nuptiarum Christi & Ecclesiæ. 1.53.b
S. Pauli amor erga fideles qualis. 2.253.a.b.c
- Peccatum.*
- Peccato ad nihil tendimus, & quomodo.* 2.204.c
Peccati potestas quanta. 2.205.b
Peccata pœnitentiæ delera quomodo ad decorem animæ conferant. 2.177.c
Peccatum non est naturæ rationali conforme, & quare. 2.204.b
- Pedissequa.*
- Pedissequæ sponsæ diuersas Ecclesias vni obsequentes notant.* 2.181.b
Pedissequæ sponsæ thalamum, & nuptialia carmina pangebant. 1.161.c
Imò & inter epulas cantabant. 1.162.c
Pedes innuptæ velare solitæ. 1.338.b
Non autem nuptæ. ibid. & quomodo. ibid.
Pedes sponsi comparati cum basibus aureis, & quare. 1.317.c.318.a
Penna ingloriæ & degeneres. 1.228.b
Pessulus ostij quid. 1.299.a
- Pharao.*
- Pharao filiis Israël currus suos accommodauerat.* 1.182.b
Phiala pro areola, & sulcis. 1.321.a
Pigmentarij qui. 1.243.b
Pigmei qui. 1.263.c
Piscinæ nominis expositiones variæ. 1.344.c
Planeta septem præsidet 7. hominum ætatibus. 1.137.b
Pœnitudo similis gynæceo. 2.21.c.22
Reges facit. 2.21.c
Balneum est, & quomodo. 2.22.c
Eius gloria. 2.178.a
Pœsis in narratione liberior. 1.293.b
Poma omnia, id est, omnes fructuum delicias. 1.358.a
Porta in sacris libris sæpe pro iudicio ponitur, & quare. 1.345.a
in Portis nostris, id est, in media villa, vel horto, & quare. 1.357.c
Portæ sæpe pro ipso loco qui portis clauditur. ibid.
Præsens pro præterito. 2.173.b
Præcepta connubialia. 1.363.c
Propheta vngi soliti. 2.20.a
- Psalmodia.*
- Psalmodia Ecclesiastica duo in primis præstat, & quæ.* 1.87.c.88
Psalmodiæ cantica sunt nuptialia pro celebrandis Christi & Ecclesiæ nuptiis. 1.88.c
Psalmodia cessabit tempore Antichristi. 1.89.a
Psalmodia vox sponsi & sponsæ. ibid.
- Pulchritudo vnde componatur.* 1.196.a
Proceritas ad pulchritudinem cedit. 1.351.c
- Q.*
- Qualiter sponsus comparet labia sponsæ suæ fauo distillantanti.* 1.277.b
Qualiter sponsa quæ fuisse sponsum dicatur, & non inuenisse. 1.300.a
- R.*
- Ratio.*
- Ratio, quâ inductus fuit Salomon ad Sulamitem præ aliis sibi coniugio iungendam, quænam fuerit.* 1.276. & 1.278.a
Rationes, quare nuptiæ parentum cum filiis damnentur. 2.55.c.56
Ratio quare Ecclesia Christum desiderauerit adedè vehementer. 2.61.a
Rationes mysticæ propter quas omissum sit in hoc titulo, nomen patriæ, parentis, dignitatis, &c. 1.3. & 4
Reclinatorium aureum quid. 1.249.a
Recti diligunt te, &c. variè exponitur. 1.163.b
Germana demum affertur expositio. 1.164.b.c
Exponitur iste idem versiculus propheticè de Ecclesia. 2.152.c.153
Quid per vocem istam recti, intelligi debeat. ibid. & 158.a.b
Item variè à variis exponitur. 2.169.1
De Angelorum amore erga B. Virginem, & quomodo. 2.170.c
Secundò de iustorum erga B. Virginem studio, & quomodo. ibid.
Dénique de ipsius Dei erga eandem Mariam Virginem dilectione. 2.171.c
Redundantiæ affixorum pronominum solemnes apud Hebræos. 1.174.c
- Rex.*
- Regis nomen non dignitatis tantum, sed coniugij etiam est nomen.* 1.4
Reges & pastores apud Hebræos commune nomen habent. ibid.
Reges pro idolis. 1.10.b
Reges sæpe rusticas, si placuissent, matrimonio iungebant. 1.10.c
Reges ab Hebræis vnguento consecrabantur. 1.152.a
& quidem sacerdotali. ibid.
Regum & Reginarum vnctionū ritus. 2.62.c.68
Quare in noua lege Reges non vngantur in capite, vt in veteri. 2.68.b
Reginæ Regibus copulatæ Christianæ, id est, vnctæ dicebantur. 1.152.c. & cur. 153
Regis coniuuij munus quale. 1.160.b
Regum filiæ quæ. 1.169.c
Reges antiqui plures vxores ducere soliti. ibid.
Regum vestis interior, apud Hebræos candida, sub chlamyde purpureo. 1.367.b
Regnum Salomonis à tribus montibus, Amara scilicet, Sanio, & Hermon sumpsit exordium. 1.272.c
Religiosorum vita comparata hortis vbi Christus nuptias cum Ecclesia sua celebrat. 1.101.c
Reuelatio in fœminis seruitutis fuit indicium apud Hebræos. 1.254.b
Reuelatio sponsæ quarta die facta, quid significet. 1.95.a
Reuelationis spiritus quis. ibid.b
Reuertere, reuertere geminatum duplici donatur sensu. 1.336.a.b
Rhoites, vini genus. 1.361.a
Eius

Index Rerum.

Eius haustus iucundissimus. 1.363.a
Ritus connubiales Hebræorum, quid morali sensu circa matrimonia significant. 1.137.138.139. & seqq.
Ritus nuptiarum Hebræorum. 1.56.c
 Illorum antiquitas, & vniuersalitas. 1.56.c.57
 Fuerunt mystici, & figuræ rerum futurarum. 1.57.b
 Eorum origo. ibid.
 Abrogati sunt illi ritus per Christum abrogata lege. ibid.c
Rub, quo velo se poscat à Boos obnubi. 1.15.a
 An flammeo, scilicet, an pallio. ibid.

S.

Sabbatum.

Sabbati tertia quænam esset dies apud Hebræos. 1.18.c
 Quæ prima, quarta, quinta & sexta Sabbati. ibid.
 Sabbato matutino tempore nuptiæ perficiebantur apud Iudæos. 1.19.a
 Sabbatum beatitudinem repræsentat. 1.76.c
Sacerdotes omnes sumus, & quomodo. 2.88.c.89
 Eorum propria functio quæ. 2.89.b

Sacrificium.

Sacrificia die tertia nuptiarum sponsi Hebræi in templo offerebant, & quidem matutino tempore. 1.20.c. & c1
 Sacrificium nuptiale. 1.267.c. & 245
 Sæcularis vita quid. 1.101.c

Salomon.

Salomon Christi typus. 1.3
 Quare Christi & Ecclesiæ nuptias hoc Canticorum ænigmate celauerit. 1.36.b.37
 Eius lectuli & currus qui. 1.246.b
 Salomonis pelles quæ. 1.165.c
 Ex qua materia. ibid.166.a
 Tentoria eius viatoria quæ. ibid.
 Salomonis Cantici Canticorum prouerbiorum, & Ecclesiasticis argumenta. 1.115.a
Sandalia quid. 2.295.a
Sanctitas Regum & Sacerdotum qualiter nobis communicatur. 2.67.b
Sarai vxor Abrahæ à Pharaone adamata, non violata. 1.110.a

Scriptura.

Scriptura sæpe loquitur ex vulgari hominum sensu. 1.357.b
Seducere verbum nuptiale, & quare. 1.100.b
 de *Sella* gestatoriae vsu prælibantur pauca. 1.246.b
Seminarie, seu erroneus. 1.172.b

Sensus.

 Sensus versus, Dilectus meus mihi, &c. 1.322.a. & ibid.c
 Sensus externus & internus Canticorum. 1.37.b
 Quare istius libri interpretes sensum externum omittere non debeant. 1.83.b
 Sensus externus corpus appellatur, spiritualis, anima, & quare. ibid.c
 Sensus externus cum spirituali vnitur, sicut diuinitas cum carne copulatur. 1.39.a
 Quod author eleganter explicat. ibid.
 Non sunt illi duo sensus in Scriptura seiungendi. ibid.
 Dicitur medium Græcè μέσος, quomodo autem, etiam ostenditur. ibid.b.c
 Quisnam ex externo, & interno sensu, litterarum Salazar in Cantica.

ralis dici debeat. 1.40.a
 Concluditur esse internum. ibid.b
 Sensus istius libri spiritualis non vnus, sed multiplex est, quod etiam demonstratur. 1.40.c
 Solutus alius, alius adstrictior. ibid.
 Sensus germanus versus, Indica mihi quem diligis, &c. 1.172.c.173.b
 Variæ item eiusdem expositiones. 1.173.c.174
 Ad sensum literalem non exponitur liber Canticorum de anima fideli secundum se spectata, sed vt est membrum Ecclesiæ. 1.45.46
 Circa multiplices libri, Canticorum sensus iudicium quasi compendiosum. 1.48.c
 Sensus Propheticus verborum, osculetur me, &c. 1.13.a.c

Sex virtutes, sex mundi conditionis diebus comparatæ, charitas quietis dici. 1.115.c
 Sexaginta numerus determinatus pro indeterminato. 1.246.b
Simila quomodo notet Eucharistiam. 1.46.b
Simulatio infidelitatis periculosa. 2.242.c
Solitaria vita prophetata. 1.113.c

Solitudo.

Solitudo quid propriè. 1.100.c
 Pro hortis amœnis extra urbem. ibid. & 1.101.b
 Solitudo paradisi est. ibid.c
 Solitudo recessus à mundanis affectionibus. 1.103.b

Sol.

Sol iustitiæ quid significet. 1.200.b
 Cum Christo Sol comparatur. 2.202.a.b
Spes regni potestatis in anima quod fundamentum habeat. 2.88.b
Spina impudicitiae symbolum. 1.202.c
 & quare. ibid.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus quomodo vnguentum quo Christus vnctus est. 2.64.b

Sponsa.

Sponsa quid velit cum sponso dixit, Ego dilecto meo, & ad me, &c. 1.354.c
 Quare sponsa sponsum ad villas inuitet, flammeo exuta. 1.355.c
 Sponsæ statura quomodo similis palmæ. 1.351.b.c
 Eius vbera quomodo botris similia. 1.352.b
 Quomodo sponsum optet sugentem vbera matris suæ. 1.359.c.360.a.b
 Germanus sensus. ibid.c
 Sponsa sponsi domum ingressa familiam mutat. 1.361.a
 Imò sponsi parentes pro suis numerat. ibid.
 Quomodo dicat sponso, Ibi me docebis. 1.361.c
 Quinta & extrema nuptiarum die qualiter in urbem ab hortis procedat. 1.366.c
 Quomodo se dicat murum, & quibus, & quomodo dicat vbera sua sicut turrim. 1.379.b.c
 Sponsa tertia die nuptiarum reuelata quid significet. 1.98.a.b
 Eius traductio. 1.100.a
 Vnde, & quò. ibid.
 Eiusdem ex hortis in urbem processus duo. ibid.
 & ab urbe in hortos reditus. ibid.
 Eius traductionum, processuum, & redituum

Index Rerum.

- mystica significatio. *ibid.* & 1.106. a. b. c
 Sponsæ nuptiarum quinque dies mysticè expli-
 cantur de Ecclesia. 1.106. c. 107
 Eius velatio, & reuelatio qualiter B. Virgini
 accommodari debeant. 1.121. c
 Item translatio eius exponitur de B. Virgine.
ibid. & 1.133. a
 Qualiter sponsa se haberet cum dixit, Oscule-
 tur me, &c. 1.146. c
 Germanus sensus illorum verborum, Oscule-
 tur me, &c. 1.147. b. 148. b
 Sponsæ ioco vexatæ, & quare. 1.301. c
 Sponsa quomodo se vulneratam dicat à custodi-
 bus murorum. 1.302. b
 Sponsa curru vecta cum duce exercitus compa-
 rata, & quare. 1.184. a
 Eius currus equis vehebatur. *ibid.*
 Sponsis proptium erat parare corollas, & vn-
 guenta coniuuis. 1.189. a
 & maritis in thalamis. *ibid.*
 Sponsa quomodo lilium inter spinas. 1.201. b
 Quomodo sponsæ tribui possit versus iste, ego
 flos campi, &c. 1.202. b
 Quomodo lilium conuallium. *ibid.*
 Quomodo lilium inter spinas. *ibid.*
 Quare à sponso vocetur columba. 1.221. a
 Sponsæ silentium prima die nuptiarum. 1.228. a
 Eius reuelatio & prima vox. 1.229. b
 Sponsa quare comparata cum virgula fumi, à So-
 lymitanis puellis. 1.245. c
 Sponsa sola regni focia quæ. 1.269. c. 270. a
 Ea diademate coronabatur. *ibid.*
 & quidem regis manu, seu sponsi. 1. 270. c
 Sponsa Christi an dici possit sola Romana Ec-
 clesia, an vniuersalis. 1.89
 Non vna Christi sponsa, sed plures. *ibid.*
 Sponsæ pedissequæ quid notent. 1.92. a
 Notant Ecclesias. *ibid.*
 Angelos. *ibid.*
 Catechumenos. *ibid.*
 Singulas fidelium animas. *ibid.*
 Sponsæ virgines quæ lampades præferbant,
 aliæ à pedissequis. 1.8
 Sponsæ sponsi domum contendenti ibant obuiâ.
 1.9
 Sponsa à viro tempore desponsationis apud He-
 bræos cerua appellabatur. 1.21. b
 Quonam modo sponsus, & sponsa in tem-
 plum veherentur tertia die nuptiarum. 1.
 21. c. 22
 Sponsa apud Ethnicos flammeo velata procede-
 bat in templum. 1.22. b
 Sponsa Hebræa ab sponso. Rege tertia die coro-
 nabatur, sed post libamina & hostias Deo per-
 solutas, & quare. 1.22. c
 Sponsa vespere quartæ diei ex vrbe redibat in
 villam, vbi nuptialis cœna parabatur. 1.22. c
 Quarta die reuersura in urbem, & in ingressu
 vrbis flammam detractura. *ibid.*
 Quinta die à matre linquebatur sponso. *ibid.*
 Quo ordine & quo tempore sponsa reuelaret
 faciem. 1.30. & b. 31
 Sponsæ quatuor filij Dei, duobus modis spectari
 possunt. 1.43. b
 Quos hædos sponsa iubeatur pascere. 2.265.
 b. c. & 2.269. c. 273. b. 274
 Sponsæ collum quomodo sicut monilia. 1.186. a.
 1.441. a
 Sponsæ ancillæ seu adolescentulæ quid de ani-
 ma notent mysticè. 2.161. c. 162. a. b
- Sponsæ collum quomodo sicut Turris David. 1.
 264. b. c
 Quid illius collum significet. 1.263. a
 Clypei pendent ex ea. quid per Clypeos hîc.
 263. b
 Quomodo anathemata essent. 1.263. b. c
 Sponsæ collum qualiter sicut turris, & turris
 eburnea. 1.344. a. b
 Sponsæ caput qualiter vt Carmelus. 1.347. a
 Eius comæ quomodo similes purpureæ vinctæ
 canalibus. 1.348. b. c
- Sponsus.*
- Sponsi noui Reges, & sponsæ Reginæ dictæ. 1.4
 Caput sponsi quomodo vt aurum optimum.
 1.305. c
 Eius comæ, quomodo sicut elatæ palmarum,
 & nigræ sicut coruus. 1.306. c. 307
 Sponsus quare Rex dicebatur. 1.161. a
 Quare pastor. *ibid.*
 Sponsus quare sponsam sororem appellet. 1.275. c
 Sponsi species qualiter vt Libani, qualiter electus
 dicitur sponsus vt Cedri. 1.318. b. c. 319
 Sponsus qualiter à sponsa dicebatur totus desi-
 derabilis. 1.319. c
 Sponsus quare vocet sponsam suam pulchram.
 1.323. c. 324.
 Quomodo eam decoram vt Ierusalem appel-
 let. 1.324. c. 325. a
 Sponsi, Reipublicæ Reges dicti, & quare sic di-
 cti. 1.324. c
 Sponsus quomodo sponsam dicat esse terribilem,
 vt castrorum aciem, &c. 1.325. c
 & quamobrem. *ibid.*
 Quare sponsæ suæ dicat, vt auertat à se suos
 oculos. *ibid.*
 Quare se ipse dicat esse florem campi, &c.
 1.201. c
- Sponsi primus sermo ad sponsam. 1.222. b
 Quare columbam amicam, & formosam il-
 lam appeller. *ibid.* c
 Sponsi floribus, & vnguentis perfundi soliti, &
 cum pompa incedere. 1.245. a
 Sponsus nuptiarum Christi cum Ecclesia est
 Dei verbum. 1.61. a
 Sponsi amici quid significant. 1.91. b
 Sponsi vbera quid notent. 1.30. a
Stactos quid. 2.7. a
- Synagoga.*
- Synagoga in sponsalibus tantum fuit, & quo-
 modo. 2.4. a
 Quasi puella in gynæceo. 2.8. b
 Synagoga, & Sion idem. 2.11. c
 Synagoga etiam fidelis non contraxit cum Deo
 matrimonium, sed sponsalitia, &c. 1.49. c
 Quo sensu infidelis Synagoga sit Ecclesiæ
 mater. *ibid.*
 Multa afferuntur quæ suadent Synagoga à
 Deo amatam, & ipsi nuptam. *ibid.*
 Sponsalia tamen inter eam, & Deum fuisse
 probatur ex promissionibus ab initio per
 omnes vates ipsi factis. *ibid.*
 Synagoga ante Christi aduentum in gynæceo
 fuisse probatur. 1.51. b
 Vbi aromatibus, id est, legis, & Prophetarum
 verbis, vino cibisque deliciaribus pul-
 chritudinem excolebat, id est, hostiis, sacrifi-
 ciis, & libaminibus cedentibus, præsertim
 in cibos laicorum sacrificantium, partim
 in cibos sacerdotum. 1.51. b
 Synagoga

Index Rerum.

Synagoga duplex acceptio. 1.51.c
 Sola fidelis Synagoga Deo desponsata dici
 debet. 1.52.a
 Synagoga, & Ecclesie vnitas ibid.
 Quo sensu distinguitur Synagoga ab Ecclesia.
 ibid.b
 Synagoga infidelis, mater sponsi dicitur, & so-
 crus sponsæ, & quare. ibid.
 Synagoga in hoc cantico solam personam matris
 sponsæ, id est, Ecclesie sustinet. ibid.c

T.

Tabella.

TAbellis depictos, quos amarent Iudæi è col-
 lo ferebant appensos. 1.90.c
 Tabella obsoniorum Estiatori deferri solita. 1.
 160.a

Tabernaculum.

Tabernacula Cedar & pelles Salomonis sunt
 symbolum pulchritudinis. 2.189.c
 Tabernaculis pastorum quomodo templum Dei
 figuratum. 2.271.c
 Tabernacula Cedar quæ. 1.165.c
 Qualia. 1.167.a.b
 Talaris tunica filiarum Regum virginum qualis.
 1.294.b

Tempus.

Tempore Regis Dauid solus vsus erat diadema-
 tis, seu fasciæ. 1.350.a
 Tempus nuptiarum quomodo differat à tempo-
 re, seu diebus matrimonij. 1.69
 Tempus nuptiale, tempus Ecclesie dicitur. 1.70.
 a.c
 Tempus Euangelij vsque ad sæculi finem nu-
 ptiarum celebrationi impendi ratione proba-
 tur. 1.74.c
 Tempus aureum prædictum à S. Ioanne, quale.
 1.75.c
 Tempus ab aduentu Christi ad extremos iudicij
 dies nuptiale est. 1.76.b
 Tempus legis, non à Moysè, sed ab Abrahamo
 inchoandum est. 1.80.c
 Tempus infirmitatis quodnam sit ex Apostolo.
 1.81.a
 Quid per tempus matutinum & vespertinum
 debeat intelligi ex Origene. 1.83.b
 Tentoria Regum non alba, sed albo & purpura
 temperata. 1.166.b
 Vnguentis imbuta. ibid.

Testamentum.

Testamenti veteris, & noui discrimen. 1.72.b
 Testamenti veteris ignorantia & noui scientia.
 1.93.c.94
 Terribilis nomen variè à variis expositum. 1.
 323.c
 Thalami nomen quid significet apud Patres Gre-
 cos. 1.236.a
 Pro geniali curru. ibid.
 Thuris nomine omnes aromatum species com-
 plexæ. 1.281.a
 Tiara Regum erat recta, & qualis. 1.349.a
 Tibialia prisca ignota. 1.317.b
 Tigna quid sonent. 2.197.a
 Timor Dei animæ est Christi nuptias ambientis
 pro gynæceo. 2.25.c.26
 & quomodo. ibid.
 Titulo non apponitur nomen Salomonis Regis,
 & quare. 1.3
 Traditio sui corporis alteri, & pro altero vt dif-

ferant. 1.66.a
 Traductio sponsæ quare per simulationem vio-
 lentie fieret. 2.302.a.b

Triclinium.

Triclinium sceminarum quodnam. 1.155.b
 Triclinarij, Tricliniarchi, & Architriclini qui-
 nam fuerint. 1.160.a

Translatio.

Translationis sponsæ in hortos, forma quomo-
 do anima iusti accommodari debeat. 1.114.c
 Translatio sponsæ ex syluis in Regiam quando
 fiebat. 1.243.c
 & quomodo. ibid.
 Translationis Ecclesie à Iudæis ad Gentes, & à
 lege ad Euangelium similitudines duæ 2.
 281.b
 Turpitudine in Scriptura quid sonet. 1.254.a
 Quid sit, reuela turpitudinem tuam. ibid.b
 Turris nomine monile ex naso pendens. 1.346.b

Turtur.

Turturis propria. 1.223.a
 Turturis nomine quid significetur. 1.184.c
 Turtur veris est aduentantis signum. 1.223.a
 Casti coniugij symbolum. 1.225.a
 Turturum propria quædam. ibid.
 Quare sponsus vtatur exemplo turturum, vt
 sponsam suam ad hortum inuitet. ibid.
 Turture vocalior, prouerbum de quo. 1.215.a

V.

Vbera.

Vbera sponsæ quomodo sicut duo hinnuli
 gemelli capreæ. 1.343.0
 Quomodo sicut botri vineæ. 1.353.a
 Vbera pro secretis amoribus, & amplexibus.
 1.356.c
 Vbera pro amplexibus. 1.147.c
 Vbera sponsæ hædinis captibus comparata.
 1.265.c
 & quomodo. ibid.
 Item comparata cum hinnulis, & quare. 1.265.
 c.266.a
 Vbera sponsæ duo ex D. Bernardo, quomodo
 partita. 2.18.a
 Vbera qualiter sponso tribui solita. 2.18.b
 Vbera Euangelij rudimenta, & prima elementa
 vocat Beda, & quomodo. ibid.c
 Vbera dicti Apostoli, & Euangelistæ, & quare.
 ibid.2.19.a, 157.c
 Vbera Christi, item Ecclesie Doctores dicti.
 2.19.a
 Vbera duo Christi, duo Testamenta. ibid.
 Vbera sponsi, id est, cor sponsi. ibid.b
 Vbertas camporum liliis notata apud Hebræos.
 2.231.b

Vela, Velamen, Velatio.

Velum Virginum crassum & cæcum. 1.13.c
 Velum virginum pallium dicitur, nuptiarum
 flammæum. 1.14.b
 Forma eorum quæ. 1.12.b.13
 Velaminis & pallij vsus apud Hebræos qualis.
 1.11.a
 Fœminæ liberæ pallio & velo vtabantur. ibid.
 Velaminis ablatio libertatis amissæ nota. ibid.
 Virgines primum pallio velabant faciem. ibid.
 Item meretrices. ibid.
 & nuptæ velum gestabant. ibid.b
 Discrimen inter huiusmodi meretricum, vir-
 ginum & nuptiarum pallia. ibid.c. & 1.12

Index Rerum.

- Velatio & reuelatio sponsæ quid propheticè significant. 1.93.a
 Velum sponsæ crassum, quid propheticè significet. 1.94.b
 Velum flammæ dictum quid significet. *ibid.*
 Significat Spiritum sanctum. *ibid.*
 & flammatas linguas. *ibid.*
 Velum super Mosis faciem, quid significet. 1.95.c.96
 Velamen positum super cor Hebræorum. 1.96.a
 Velum subiectionis indicium. *ibid.*
 Velaminis detractio, libertatis amissæ symbolum. *ibid.*
 Veli crassioris excussio à sponsa Hebræa patriam potestatem excutiebat. *ibid.*
 Velum templi rescissum clariorem mysteriorum fidei Ecclesiæ reuelationem factam adumbrat. 1.97.b
 Velum legalis litteræ. *ibid.*
 Velatio & reuelatio sponsæ qualiter animæ iusti accommodari debeat. 1.114.c
 Quid morali sensu significet circa matrimonia. 1.141.c.142
 Velamen sceminae, eius obedientiam & subiectionem notat. 1.142.c
 Velaminis virginum inæqualitas duplex subiectionis genus notat. 1.143.a
 Sunt velandæ æquè mulieres, ac virgines, & quare. 1.142.c
 Velatio capitis in signum doloris, 1.171.b
 Item velatio viduarum propria est. Item adulterarum signum fuit. *ibid.*
- Venter.*
- Venter sponsi quomodo eburneus, & distinctus saphiris. 1.314.b.315.a.b
 Tandem germana huius versus expositio. 1.316.c
 Venter sponsæ qualiter sicut aceruus tritici vallatus liliis. 1.342.b
 Quomodo liliis vallatus. 1.343.a.b
 Venter pars sceminae zona stricta. 1.342.c
- Ver.*
- Veris ineuntis descriptio. 1.222.c
- Versus.*
- Versus, Genæ illius sicut areolæ, &c. lectiones variæ. 1.310.b
 Versus, Equitatu meo in curribus, variæ lectiones. 1.178
 Item variæ eiusdem versus expositiones. 1.179.b.c.180
 Versus, Soror mea vbera non habet, cui tribui debeat sponso, an sponsæ puellis. 1.375.b.c
 Tandem sponsi ritualibus tribuitur, & quare. *ibid.*
- Vestis.*
- Vestis regia apud Hebræos partim alba, partim purpurea. 1.304.c
 & qualiter. *ibid.*
 Vestis alba ab Herode Christo data, regiam eius potestatem significauit. 1.305.b.306
 Vestes floridæ apud Persas. 1.201.c
 Imò apud Hebræos. *ibid.*
 & quidem nuptiales. *ibid.*
 Vestes scurulatæ quæ. 1.265.a
 Vestis nuptialis qualis esset. 1.280.c
- Via.*
- Via duplici ad spirituales sensus procedi potest. 1.41.a
 Via quindecim ad Deum, item aliæ quinque ad
- Deum. 1.115.b
- Vigil.*
- Vigiles qui. 1.238.c
- Vinculum.*
- Vinculum quo Christus & Ecclesia iugo colligantur, quodnam. 2.279.b
- Vinea.*
- Vinea variè accepta. 2.196.197.198
 Vinearum duplex genus. 2.214.b
 Vineæ nomen apud Hebræos variâ notat, & quæ. 1.223.b
 Vineæ amputatio. 1.224.c
 Vinearum furculi edules. *ibid.*
 in Vineis & vitibus nuptiarum exemplum reperitur. 1.225.c
 & quomodo. 1.226
 Earum primuli racemi. *ibid.*
 Vinea quemlibet saltum significat in Scriptura sacra. 1.192.a
 Vineam meam non custodiui, qualiter exponi possit. 1.69.a
 Germanus item sensus. *ibid.*
 Vineæ diuersæ tres in cantico Salomonis. 1.380.a
 & quæ. *ibid.*
- Vinum.*
- Vinum in sponsalibus libari solitum. 1.148.c
 Vini nomine conuiuia significantur apud Hebræos. 1.147.a
 Vinum conditum pro beneolenti. 1.361.a
 Vina fictitia in conuiujs per interualla ministrati solita. *ibid.*
 Vinum conuiujs apparatus significat. 1.207.b
 Vinum bonum & malum quid allegoricè notent. 2.19.b
- Virginitas.*
- Virginitas sponsæ quid notet. 2.242.b
- Vitis.*
- Vites sibi odorem asciscunt fructuum iuxta se crescentium. 1.192.c
- Vitta.*
- Vittæ pars mundi muliebris. 1.258.c
- Vmbra, Vmbrosus.*
- Vmbra sponsi protectio est. 1.204.b
 Item alia expositio. *ibid.*
 Vmbra vxor mariti dicta, & quare. 1.199.a
 Vmbrae in conuiujs quinam dicerentur. *ibid.*
 Vmbrosus lectulus quare. *ibid.*
- Vnctio.*
- Vnctionis Christi acceptio apud Patres. 2.63.c
 Qua ratione Spiritus sanctus Christum vnxit. *ibid.*
- Vnguentum.*
- Vnguentum sacerdotale compositum erat. 2.10.b
 Species ex quibus componebatur quæ. 2.19.c
 Vngendi Reges mos quis. 2.61.b
 Vnguentum quod sponsa in se ab sponso deriuari desiderabat quale. 2.61.c.62. & sequent.
 Vnguentum defluens à nomine Christi sponsi castitas est & pudicitia. 2.86.a
 Item summa charitas. *ibid.*
 Item remissio peccatorum. *ibid.*
 Vnguentum item sacerdotale, seu pontificale quodnam. 1.51.b
 Vnguentis myrrhinis sex mensibus in gynæceo utebantur virgines ad læuigandas carnes, delendos næuos, rugas exterendas. 1.51.c
- Vnitas.*

Index Rerum.

Vnitas.

Vnitus Verbi & nature humane quomodo coniugium dicatur. 2.277.c
Vnitus Beatę Virginis cum Christo qualis. 2.54.b.c.
& per quid effecta. ibid
& in cuius rei vsu. ibid.
Vnitus carnis non ex prole genita est, non est physica, sed moralis. 1.66.c.67
ex Vnitute illa, domus, lectus, honores, diuitię, soboles communia fiunt. 1.67.a
Vnitatis bonorum inter amicos, & eorundem inter virum, & vxorem discrimen quodnam. 1.67.b

Votum.

Vota inter nuptiales ritus numerantur. 1.9
Vota Patrum expressa his vocibus, Osculetur me osculo oris sui. 2.11.a

Vterus.

Vterus B.V. coniunctionis carnis, & Verbi th-

lamus fuit.

Vterus B. V. officina multorum connubiorum fuit, & quomodo. 1.44.c
2.52.a.b

Z.

Zelotypia.

Zelotypię columbarum descriptio elegans. 1.221.a
Quomodo sponsa Zelotypia exarserit. 1.237.b.c
Zelotypia Sulamitis quid mysticę noter. ibid.
Quare illam Zelotypia innaferit. ibid.c
Zelotypia ignis validissimus. 1.373.a.b

Zona.

Zona torrida regiones habet temperatissimas. 2.207.c

F I N I S.

